CISTERCII REFLORESCENTIS

SEV

CONG. CISTERCIO-MONASTICARVM B. MARIÆ FVLIENSIS IN GALLIA

ET

REFORMATORVM S. BERNARDI IN ITALIA

CHRONOLOGICA HISTORIA

AVCTORE

D. CAROLO IOSEPHO MOROTIO

Ex strictiori eadem Obseruantia

PROVINCIÆ PEDEMONTANO-SABAVDÆ MODERATORE.










AVGVSTÆ TAVRINORVM, M.DC.XC.

Sumptibus Bartholomæi Zappatæ.

Superiorum permissu.



DIVO PARENTI BERNARDO

INCLYTO CLARÆ-VALLIS ABBATI

MELLIFLVO ECCLESIÆ DOCTORI

CAROLVS IOSEPH MOROTIVS

D. D. D.

REstaurationis Cistercio-Fuliensis Chronologica enarratio ad te rectà inuolat Sanctissime Abbas. In quem enim illa potissimùm collimaret? Tua res agitur: Tuo duntaxat sistendum nomini munus. A crepundijs exordior Sodalitatis, sartamtectam exhibeo ornatiorem in Claustrum Fuliense inuectam: At ipse suffulsisti domum, quo è Beatorum sedi-


bus auspicante, afflata Cœnobiarchæ Barrerio diuina mens aßerendi in Asceterio collapsi moris disciplinam suos æquantem numeros; quo & incrementis consulente, per Galliam, Italiamque celebris inde deriuata propago, in cuius expolitiori consuetudine Cistercienſis viuendi ratio audijt absolutiſsima. Capita Generalia recenseo, Archimandritas profectò eximios, quorum momentis rerum summa optimè insedit: verùm à Te, legum claustralium apud Claram-Vallem præcellenti adeò Duce, condidicere omnes temperare sanctiùs habenas, & loco è superiore, cum iure Monastico, præstantiorum etiam virtutum luculentius iubar in Cœtum vniuersum effundere. Scriptores centuria: sed

ſed ingenia à Te Eccleſiæ Doctore planè ſuauiſsimo, & ſapientiſsimo edocta religioſum otium eruditis impendere vigilijs, & agendo perinde ac elucubrando Rempublicam demereri Christianam. A pietate ſuſpiciendos depromo: nec niſi ad Tuam efformatos amuſsim, & ſpectatiſsima indole præſeferentes Bernardum. Cum historica tandem cæterorum laude, & memetipſum Tibi deuoueo, ſed quemnam ex Institutioni emancipatis? Omnium profectò minimum, quem rubore ſuffundi fas ſit, pudeatque in ſinu Tua stipendia ſegniter nimiùm præ reliquis facere, & geſta ab eiſdem præclarè adornaſſe typis, nec imitatione complecti.

CISTER-



CISTERCII REFLORESCENTIS Sodalibus vniuersis.



EST Religiosissimi Patres quò in operis limine Vos paucis sistam. Laudo viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua, in quibus à sęculi huic anterioris anno septimo & septuagesimo reparator Ordinis Deus Prouidentiam magnificauit suam, ac sapientiam, & viuendi norma ad suos demùm apices exculta, Fulium in reparatæ Institutionis princeps Cœnobium assurrexit, delibauitque Cistercium initialis obseruantiæ vernantes iterum flores. Antesignanis præstantiores succenturio Commilitones, filios ad Patrum imagines reuerà expressos, & virtutum exuberantiam incurrentem ob oculos in Maioribus egregia profectò æmulatione contendentes æquare. Operæ pretium erat annuntiarentur hæc in generatione altera, præclarisue erudirentur exemplis quotquot supernæ vocationis illapsus postero auctuario Professioni accensebit. Impar quidem scriptio cum Prædecessorum, tum vestrorum historiæ suis cum lineis concinnandæ. Verùm à magnorum vsurpatione nominum splendidior accedet lux, illustrior affulgebit pompa, quàm suæ exiguitatis veritor stylus abstineret à commentatione euulganda. Fauete beneuolentia quod gestorum solemnitate cumulatis opus, & congruenti cum laude, consonum stabit præmium Auctori, cui typos cogitanti nihil altiùs inhæsitanimo, quàm Vobis vigilias probare suas. Valete.

D. Ca-

D. Carolus à S. Francisco Abbas Generalis Congregationis Monachorum Reformatorum S. Bernardi Ordinis Cistercienfis.

F*Acultatem Tibi Adm. Reu. P. D. Carolo Ioseph à S. Anna eiusdem Congregationis in Prouincia Pedemontana Prouinciali concedimus, vt* Cistercij reflorescentis, *seu Congregationum Monasticarum Beata Maria Fuliensis in Gallia, & Reformatorum S. Bernardi in Italia Chronologicam Historiam à te conscriptam, & à duobus Theologis dicta nostra Congregationis sedulo perlectam, & approbatam in lucem edere valeas, seruatis tamen alijs de iure seruandis. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, ac sigillo munitas dedimus in Monasterio S. Bernardi de Vrbe die 9. Ianuarij 1690.*

D. Carolus à. Francisco Abbas Generalis præfatus

D. Dionysius à S. Luca Secretarius.

E*X commissione Reuerendiss. P. Magistri Clementis de Gubernatis Inquisitoris Generalis Taurini &c. attentè perlegi librum cui titulus* Cistercij reflorescentis &c. *ab Adm. R.P.D.Carolo Iosepho Morotio compositum, & nihil in eo reperi quod obstet sana doctrina, & bonis moribus, ideò iudico dignum vt typis mandetur in sua Illustrissima Congregationis honorem, ac legentium ædificationem. In quorum fidem. Datum Taurini in Conuentu S. Maria de Platea die 16. Martij 1690.*

Fr. Clemens à S. Cecilia Carmelita S. Theol. Mag. & Sancti Officij Consultor.

Imprimatur.

Fr. Clemens de Gubernatis Inquisitor Taurini.

Aucto-

Auctoris Protestatio.

CVM Sanctiss. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate, seu martyrij fama celebres è vita migrarunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quacunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes sine recognitione, & approbatione Ordinarij: Et quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctiss. die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem. Huic decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu quicquid in hoc libro refero accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuina Catholica Romana Ecclesia, aut Sancta Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, & Martyrum Catalogo adscripsit.



CISTER-



CISTERCII REFLORESCENTIS

PARS PRIMA

Restauratio, Leges, atque Præstantia.

I. MOnasticorum Cætuum sacras inter institutiones religiosissimum Cisterciensem Ordinem dedisse in tempore suo fructus suos, eosque vberrimos, nemo ibit inficias; quandoquidem radijs solaribus elucescat clarius, copiosum illi incrementum donante Numine, Colonias propè innumeras vbique gentium eduxisse, & solitudines claustris, claustra verò ornatissimis implendo Ascetis, celebriorem famam suo decantando nomini diù occupasse totam. Verùm sua stant Cænobiticis etiam plantationibus tempora. Ramos extendunt, folia explicant, fructus emittunt, tandemque frondium denudantur pompa, sterilescunt, arescunt. Æternum Satorem, ineffabilis dispositione sapientiæ, earumdem reparationi prouidè occurrere impendens ruina multoties exposcit. Id, quod in cæteris Regularium disciplinis passim videre est, pertimescendum erat, & præclaro in hoc Sodalitio, cuius Reformationis in Gallia, & Italia Historiam contexendam aggredior. Dum per quatuor

tuor ab incunabulis ætates haud infrugiferum in Vinea Domini terram occupat, illustres scilicet Cœlo diuos, inuictosque Fidei pugiles dare pergit; Dum & Maximos, & Optimos Romanæ Sedi Pontifices; Augustos Purpurato Senatui Patres, sedulos Ecclesijs Pastores, vtque micantia pietatis lumina, ita etiam egregia doctrinæ monumenta vniuerso terrarum Orbi præbere prosequitur, arctiori conuersatione sensim labefactata, collactaneæ sanctitatis in discrimine versabatur. Cum ecce Altissimo placuit alios, aliosque excitare cultores, maximè verò Ioannem Barrerium, qui impigra primordialem ad virtutem contentione postliminiò reuocata, pristinum illi restitueret cum floriferum reuiuiscentis Obseruantiæ Verem, tum & fœcundum consummatæ perfectionis Autumnum.

II. Qua die S. Robertus, prælibati Cisterciensis Ordinis Auctor, in lucem venit, nimirum 3. Cal. Maias, ipsamet A. 1544. editus est & Barrerius, sacræ eiusdem disciplinæ reparator iam supernè delectus. Patriam habuit Fanum S. Syri, Prouinciæ Cadurcensis, Parentes verò Bartholomæum Barrerium, & Leonardam de Amadu, à Stirpis splendore, & opum claritudine commendatos. Ingenui infantis nobilitabat indolem formatum ad virtutes suscipiend s pectus. Curæ pueriles vestigia erant pietatis. Vidisses deuotè æmulari quæ ritè à Sacerdotibus obiri munera conspexisset, ornare in cubiculo Altariola, fundere illis coram preces, instruere processiones, concionibus habendis se aptare, aduocare socios, accersere fratremque, sororesque, ac addere inuitamento pondus, nempè interpellationem ad Matrem, si interesse contemnerent. Annorum quindecim Adolescens ab ætatis flore, & ab humanioribus literis religiosè, eruditèque emersit Clericus initiatus, ac Rhetoricus emeritus. Cumque diuina mox arte ad excitandum rerum fluxarum contemptum planè cerneretur instructus; promouere quod Apostolici feruoris præbebat indicium Galliæ Episcopi voluere, ac Euangelio declamando freqnentius adhibuerunt. Desudabat in hoc puluere omnium cum plausu, ferebaturque vulgò approbata vsque adeò opera, vt annum agens sextum decimum, consalutatus fuerit Abbas Monasterij B Mariæ Fuliensis, Diœcesis Riuensis, in Aquitania, ad Garumnam flumen, septimo ab Vrbe Tolosa lapide.

III. Suberat eò temporis Fulium Carolo de Crussol, filio Caroli, Barò-

Baronis de Crussol, Vicecomitis de Vsez, Magni Franciæ Panetarij, & Ioannæ Galioth de Gemouilac, qui Caluiniana hæresi, vt aliqui produnt, licet tinctus, virum tamen Mundo addictum, Monasticis cumulari opibus minus consonum iure meritò existimans, illam resignandam duxit, resignauitque Barrerio die vndecima Aprilis A. 1560. Æquitatis nimirum, quam vtilitatis potiora esse momenta cogitabat. Posse illum, Clerici Catholici iam caractere insignitum, Catholicæ Ecclesiæ locupletari diuitijs. Posse Religioni subditus instillandæ impendere studia, posse restituendo Cænobio zelum quo inardesceret optimè collocare. Barrerius verò etsi consanguineus vrgeret, impellerent licet genitores, dimissioni in sui fauorem aures obstruxit. Ætatem acceptandis huiuscemodi beneficijs imparem adhuc obiecit. Insuper quò se remotiorem à cupiditate lautioris patrimonij comprobaret, Burdigalam, indeque Lutetiam versus itineri se commisit, vbi excolendo facultatibus speculatiuis ingenio incumberet. At cum fratrem natu maiorem dispensationem super Annorum defectum, Pontificio ab Annulo, se inscio, impetrasse, bullatas iam emanasse literas, initamque suo nomine Fulij possessionem resciuit, concessit in suorum sententiam.

IV. Vt verò pedum capessiuit, expensis continuò Abbatiæ insignibus, & Abbatis oneribus, non luxuriandum infulatis censibus, sed animarum inhærendum quæstubus cogitauit. Maturo adeò actus consilio, pede ex studiorum arena retracto, patrios lares repetijt; Cænobium inuisit, Pagos Abbatiæ subiectos lustrauit, verbo Dei per ipsos disseminando diuturnam nauauit operam, vt conclamata penè in his Romana Religio, illo adlaborante, feliciter reuiuisceret. Spiritùali Monasterij reparationi curas interea destinabat maiores. Pristinos illi dies, vultumque restituere tandem aliquando optabat. Magnam in hanc cogitationem arcano quodam instinctu ferebatur. Sed maturanda res erat. Quare Parisios versus viam iteratò ingressus, intermissum Artium, ac Iuris prudentiæ periculum in florentissima Galliarum Academia expleuit sub Reginaldo Dossat celeberrimo professore, & postquam sublimioris doctrinæ primis plausibus laureato, ad augustius eminentissimi ingenij ornamentum, roseo galero Romæ cohonestando. Erat Dossatus perinde probus ac doctus. Confluebant ad eius domum viri tam scientiarum comparationi, quam religionis

amori addictissimi. Agitabant identidem consilia de reuocandis ad initiales contentiones Regularium familijs. Aurum siquidem esse, sed versum in scoriam, castra Dei exercituum, at desidia torpentia; Vineam Sabaoth, verùm nec florentem germine, nec redolentem fragrantiam, dissipatam sepem, conculcatam amænitatem, depastos fructus. Indolendum profectò obmutescere eorumdem choros, nec astra matutina collaudare simul Altissimum, nec Dei filios, Spiritus Sancti gaudijs perfusos, Angelica iubilare lætitia. Pudendum prorsus, penetrasse delicias inter pœnitentiæ septa, ac dominari luxum, vbi perfectionis studium Regiam sibi parasset. Felices sanè, & per quam laudandos, qui tantam assumerent Prouinciam reuocandi easdem Regularium Domos ad primæuam morum sanctitatem. Neminem melius agere posse, nec cum ipsis quidem, quæ degenerare ab inita vitæ ratione iam finerent, nec cum Mundo, qui optimo præeunte conuersationis exemplo, facilius se se à prauitate compesceret, & ad obiectam virtutis normam componeret.

Hæc passim admurmurare socios audiebat Ioannes, excipiebatque haud secus quam Dei verba, qui iniectum antea consilium de Benedictina institutione, ac primis Cisterciensium consuetudinibus in sua Abbatia redintegrandis huiuscemodi opportunis sodalium colloquijs cordi altius vellet imprimere. Ineluctabilem iam probabat ignem pectori admotum. Pergendum constituit quò duceret. Nec mora; Approbatore Dossato Abbatiam cogitauit, vtque confinia attigit, subditis laicis verba Dei fecit. At congregatis in Capitulo Monachis sermocinaturus de meliorem ad mentem redeundo, audijt: hæc proponere Claustralis esse Abbatis, non Sæcularis. Ergò temperandis & illorum moribus aptior futurus, se contulit ad proximum de Vlna Cisterciense Cœnobium, habitum induit, & Tyrocinio expleto vota solemniter concepit Anno 1583. secunda dierum illapsui Spiritus Sancti in Orbem solemnium.

V. Liberet hic, Barrerio iam cucullato, Reformationis infantiæ gratulari. Et reuerà Carolum de Crussol Equitem supra quam laicum hæreticum, proindeque à Religione, & à gratia collapsum Abbatiam sibi commendatam vltrò cessisse Ioanni, quod nomen gratiam sonat, gratiæ profectò censeri machina debuit, quæ iura Fuliensia transferenda statuisset ab homine Mundi vanitate, fideique erroribus

bus

bus vitiato in Clericum diuino cultui sacrum, aliorumque formandis moribus Cœlitus expolitum, quo Asceticam familiam à luxatæ obseruantiæ discrimine traduceret ad absolutam, exactamque ad suæ regulæ numeros disciplinam. Quod si quempiam delectet salutare natalium eius diluculum perennitatis auspicijs, sitæ ad Garumnam fluuium Ædes, ac indita claustro Fuliensis nuncupatio, illam sanè prænunciat arborem secus decursum Aquarum complantatam, cuius nec decident folia, nec deerunt vnquam fructus. Ad hæc Templi augusto Mariæ nomini inauguratio, Deiparam, inquit, placere sibi renouatam Cistercij ætatem virgineo in sinu fouere. Tanti Ordinis, vti olim, ita & nouissimè se se profiteri Parentem. Tunc pronubi dono annuli Robertum sibi in sponsum subarrhasse; Tunc niueæ lacte papillæ Bernardi, dilectæ vtpotè sobolis, ora inspersisse; modò verò materni, nutritijque continuatione amoris velle illum repuerascere suæ inter incunabula domus, nec pati tenerioris dilectionis alijs complecti vlnis quam suis.

V I. Verùm felicia quamuis hæc omina, enascentem tamen Sodalitatem varia excepit aduersitas. Tres hic indicabo perpaucis: Actum in Institutorem calumnijs, ferro, veneno. Communis exorientium Reformationum est sors, per opposita eniti, quò innotescat euertendis molitionibus, Cœlo iubente, susceptis, conflatam Orbis, & Orci nequitiam haudquaquam esse parem. A Religionis sacramento ritè pronuntiato, magis, magisque à moribus ad Patriarchæ Legislatoris sancita indictis. exarsere actutùm Monachorum studia in Barrerium. Redire ad officium refragabantur ad vnum. Exosam restaurationis Sobolem perdituri, ad intentandam Parenti necem conspirarunt. Alij toxico illum è medio tollere attentarunt. Alij nec quidem abstinuere à iugulo expetendo, cruenti militis opera. Sed Numinis bonitas dæmonis machinationes elusit. Culinæ Præfectus, venenatæ coniurationis particeps, ad diram nimium criminis adeò atrocis exhorruit faciem; & reatum erubescens suum, consociorumque, festinauit se prouoluere ad pij Antistitis pedes, ipso viro, cibis, iam immiscendo, seque veniam postulabundo eius ante vestigia proiecto. Primis tenebris conditæ noctis Sicarius adfuit Monasterio, promptam operam mandatarijs exhibuit. At Barrerius Tolosam instanter vocatus, illuc bona sua sorte, Deo Ductore, concesserat. Re infe-

infecta, alijs instruendis insidijs addidere iras, nimirum interimendo viro Dei, dum stata hora per nemus Monasterio adsitum inambularet. Passim id consueuerat, orando tamen, & meditando semper. Iniqui consilij adhibitus exequutor hic ipse probatæ iam malitiæ, ac audaciæ grassator. Hominum flagitiosissimus Dei famulum cunctatum diù, tandem aliquando solum offendit, ac sclopulo exploso, cominus impetijt. Verùm ille, ignita glande declinata, superna etiam vi potuit homicidam apprehendere, ne ensem exereret impedire, imò obstringere cingulo, & secum intra claustra raptare, opportunis ad salutem monitis imbuendum, ac dimittendum. Itaque Satan, qui breui manu de eo exultaturus, teterrimum suum filijs inhalauerat spiritum, prostratus ipse, & victus est, effecitque acrioribus odijs haberemus in vno Institutore Ioanne & Benedictum, & Romualdum, vtrumque suis ab Ascetis strictiores aduersantibus obseruantias conquisitum ad necem, alterum quidem potione infecta, alterum verò pugione districto.

VII. Proxima huic euincenda difficultas fuit Nicolai Boucheratij Abbatis Cistercij infensior voluntas. Propendebat in Monachorum partes, seueriori, vt conquærebantur, rigore grauatos. Reclamantibus aures præbuit faciliores. Repeterent ideo voluit proprias sedes, comite Procuratore Generali, & parentibus ad Ioannem literis, queis mandabat. Abstineret imposterum ab innouando. Suauiori manu suæ familiæ temperaret habenas. Ab esu carnium minimè prohiberet, ac in Monachorum censum iteratò inferret expunctos, excommunicatione mulctandus si secus ageret. Addebat comitijs generalibus in Principe Asceterio, solemnique S. Roberti die, proximè celebrandis omnino adesset, causam dicturus suam ante primas Ordinis Infulas. Sed quales non habet triumphos zelus in paucis constans? Iaculandum anathematis fulmen, respondit ad hæc Ioannes, se nequaquam pertimescere, qui optaret anathema esse pro fratribus suis. Et illos quidem se postliminiò recepturum, si resipiscentiam sponderent, reijciendos secundò, si emendando quidquid initialium Ordinis consuetudinum remisissent, minus intenderent. Visa commendatione digna animi firmitas. Vbi Monasticarum legum vis obsolesceret, non alio confirmandam pectore, fama dixit. Calumnijs dudum lacessitus, plausibus ad comitia exceptus est. Exempli clari-

claritudo acuerat iam æmulationis ſtudia. Maturabat Patrum conſeſſus decreta edenda pro diſciplinæ flore in toto Cœtu excolendo; cum, adueniente Barrerio, Definitorum grauior aſſurgens inquit: Ad Barrerij amuſſim cæteri Abbatiarum moderatores ſe ſe conforment, & ſuperuacua erit excogitata à nobis ſancitorum congeries. Audijt ergo Reformator amans decorem domus Dei, & cum Fulienſis clauſtri Antiſtite meritiſſimo, Monaſteriorum totius Aquitaniæ, & dependentiæ Toloſanæ Generalis Vicarius. Nimirum Ordinis Archimandrita virum proximè agnouerat, & quem obſeruantiæ detractores ſuis auribus inſuſurrauerant nouatorem, abſolutiſſimæ virtutis ipſe ſuſpexerat hominem, ac dignum, qui ſuas gerendo vices, alijs familijs æmulandi Fulienſem inijceret flammas.

VIII. Acceſſere domeſtico hoſti auidior præpotentium cupido, bellorum ciuilium furor, gliſcentis impietas hæreſis, malorum peſſima vti ad ſacra, prophanaque tota Gallia permiſcenda, temporum iniquitate, velut in aciem diſpoſita, ita & ad euerſionem Fulienſis Domicilij, nouo caſtigatiſſimæ vitæ nitore longè coruſcantis ad ſigna vocata. Erat qui Fortalitium ſuum munitionibus cingeret operibus, nobilis inter primæ notæ Eques. Ligna molitioni apta exciderat è proxima Monachorum Sylua, munifico Abbate vltrò donante. Mœnijs conſtructis, effoſſis cuniculis, propugnaculis abſolutis, deerat vallum arci conſummatæ circunducendum. Deſiderabantur alij arborum ſtipites, quos nequibat Barrerius prouidere expoſcenti, ne totum nemus, ſuccîſis etiam plantarum tenerioribus, caderet. Perficiendi ſui caſtri fruſtratus ſpe, necnon irarum impotens Eques, iurauit ſe vlturum illiberale reſponſum Monaſterij cinere, ac Monachorum nece. Accerſit Centurionem, imperat validam militum manum cogere, nocte incedere intempeſta, Monaſterium adoriri, nec igni parcere, nec gladio. Datæ iuſſionis, ac imminentis excidij certior factus Vir Dei, Monachis ad Capitulum conuocatis, ſecederent quò liberet annuit. Addidit tamen probare magis continerent domi greſſum. Ibi operiendum hoſtem. Nihil formidandum. Clauſtra Deo famulantium Dei eſſe Caſtra. Dei patrocinio frangendos proculdubiò agminis aduerſi conatus. Ita planè. Sicut enim conſtitere omnes, ita nocte tota incubuerè in Cœli, Cœlituumque præſidium. Denſiores tenebræ præpediere medio itinere aduenientes. Illuceſcente mane præ-

præcucurrit rumor Phalangem accelerare gressum. Dux cogebat, sed infelix volens ab equo descendere, itineris incommoda pedes superaturus, fatali sui sclopi displosione, confossus, occubuit. Agmen infestum, sublato ductore, terga vertit; sacræ familiæ salua res fuit.

IX. Interea serpebat hæretica lues, vigebatque bellum inter sacri fœderis acies, & Regium militem, vt afflicta per Franciæ Prouincias Religione, concussoque funditùs Regno; sceleratiora quæque impunè licerent. Insulæ, ac Comitatus Fuxij incolæ iam à multo temporis inhiauerant Fuliensium opibus. Tempestate vtendum, & expilandas deliberant. Stata die, ea erat celebrandis Diuorum omnium Fastis solemnis, armatorum cunei hinc, & illinc concurrunt. Insulani citius aduolant, propius accedunt. Fuxianis superandus erat Garumna Amnis. Cœlo ille sereno excreuerat, nec poterat transfretari. Hac ratione, expetita frustrati præda, dilabuntur ad vnum. Fuxiani quidem veriti prodigiosam fluminis intumescentiam, Insulani verò destituti validiori sociorum manu, nec proprijs viribus satis ad direptionem apti.

X. Sed discrimine multò grauiori Patremque, sobolemque inuoluit, illum Tolosæ perorantem dixisse è suggestu: orandum pro Henrico tertio. Sententia erat; si quid in Cœlum, hominesque peccasset grauiter Rex, enixis contendendum precibus flagitium agnosceret, defleret, emendaret. Apostolicæ censuræ nondum percussum fulmine, iuuandum adhuc publicis Ecclesiæ suffragijs, efficiendumque, si Romanam errasset in Purpuram, noxæ veniam Romana à Sede deposceret, impetraret. Verùm mortalium mentes ægris plerumque corporibus similes. Flectunt deteriorem in partem quod hauriunt, vt illa quam optimam degustant escam, vertunt in bilem. Stabant Tolosates pro fœdere contra Regem inito. Vtque magni momenti est virorum existimatione summos commendare, vel improbare quod agas, visum Concionatorem, non indixisse pro Henrico preces, sed damnasse conscriptas contra Henricum copias. Percrebuit rumor Barrerium apertè Henricianum. Inualuit suspicio, breui illum famaque, voceque conciliaturum Aulæ populum, ac Fuliensium stationem futuram Regijs munimentum. Coacto Concilio propulsandùm dijudicant ingentem metum complanatione Abbatiæ, ac cæde Abbatis. Actum erat, nisi adfuisset Numen conclamato penè Sodalitio,

litio, per contrarietatum scatebras ad stabilitatis verticem irrepturo. Mirum dictu! tormenta bellica ad quassandos Cœnobij muros ter educta, nunquam pertrahere fas fuit vltra Moretum, renitentibus semper, & retrocedentibus equis. Restitutis suo loco tormentis, tota iam tempestas detonabat in Barrerij caput. Insequitur à Tribuno Fœderatorum Commissario. Capitur. Quantocyus Tolosæ sistendus, truditur mox in cubiculum, donec miles, qui ducendum stiparet, reficeret cibo vires. Cum ecce, rem comperram narro, fracto cubiculi tecto, tota Dei famulus obruitur maioris trabis ruina. Humi iacens, capite colliso, sanguine madidus, vix reciprocans spiritum, agere in extremis creditur. Sublatum putat Tribunus, narratque Tolosatibus. Interim ipse, vigore luxatis membris sensim afflato, contracto quoque frontis vulnere, se se in libertatem asseruit, fatali salutis discrimine à luctuosæ mortis scena ereptus.

XI. Hæc inter, aliosque decumanos oppugnantium calamitatum fluctus victrix Congregationis infantia ad exoptatam velificabat adolescentiam. Enimuerò qui Institutoris pectus inconcussum ad lydium patientiæ lapidem exploratum volebat Deus, temperabat & calumniarum, insidiarumque pondera reformationis amplificatione, ac summorum capitum laude. Antiquiores Monachi, inuisæ detrectatores disciplinæ, ad alias domos defecerant omnes. In Fuliensi morabantur duntaxat quos Barrerius ad habitum recenter admiserat, suisque angelicis moribus, ac pœnitentiæ spiritu, à Mundo abdicato, imbuerat. Videre erat qua cœlestis affatim norma vitæ ad sanctitatis brauium omnes contenderent. Laniabant flagellis corpus, discruciabant cilicijs, operiebantque rudi centone paulò infra genua demisso. Calceorum, galeri, pallij antiquauerant vsum. Cubabant nudo solo. Rumpebant noctis conticinium diuinarum laudum concentu, intercipiebantque somni compendia rerum cœlestium contemplatione. Omni procul sæculi commercio, solo ardore instituendarum animarum euocabantur è solitudine, dispertiri ad concionandum per oppida, vrbesque diebus festis. Tempori pretium dabant suum. Diuino officio defuncti transibant ad sacrorum codicum lectionem, inde digrediebantur ad lanæ opificia, ad agri domestici labores, aliaque ad corporis exercitamenta. Cibum sumebant sedendo humi. Toto anno vnica erat comestio, verno, & æstiuo tempore post

Nonam, seù hora vndeuigesima, in Autumno, & in Hyeme post Vesperas vigesima & altera, nostro ritu, pulsatas. Stomachi lenocinio adhibebant escam ex auena comminuta, & aquæ ebullienti immixta, edulium perinde valens propellendæ fami, ac extinguendæ siti. Monachus eo pulmenti genere diù vsus, asserebat integro semestri se nihil gustasse potus. Cæterùm ablegatis gulæ illecebris epulabantur solis herbarum oleribus. In Aduentu, & Quadragesima furfureo tantùm pane cœnabant, ac bibebant ex fonte. Abbati apponebatur cum egenis, & peregrinis, accumbebatque conuiuarum postremus, genuflexus ante sedentes, acetario contentus inter abundè refectos. Porrò inopum illuc frequentia apum referebat examen. Admittebantur omnes, degebant vt cuique libebat. Nec mirum, cum suarum labore manuum ipsi victitantes, non cogerent in Monasterij promptuaria nisi pauperum annonam, ac exhaustam horreorum copiam repleret multoties Cœlum. Si qui etiam nocte intempesta pulsarent fores, cernebant illicò præferri faces, adesse excipiendis Conuentum, ignem, mensam, lectisternia parata, vt dicerent nonnulli: Charitatis diem inter Fulienses nunquam aduesperascere.

XII. Et aduersabantur quidem humanæ commendationis laudem. Verùm luculentus adeò perfectissimæ conuersationis fulgor, haud poterat longè omninò ab ætatis plausu effulgere. Gratulabatur in primis Gallia suo in sinu, suoque in indigena egregiam florere mentem occurrendi Monasticorum Ordinum clarissimo, qui à Legislatoribus supernè inspiratis conditus, tanta illustrium fœcunditate Virorum, tam diuite censu, perque tot decursum annorum ornatissimus, vergeret iam ad nitidioris disciplinæ occasum. Secum adeò feliciter, præclarèque agi gaudebat in paucis amplissima Bernardi Soboles, quæ vernanti in nouissimo germine frondescere in gratiam denuò cerneret candida Cistercij lilia, adeoque emicanti cum virtutis lumine reuectam conspiceret in Christianum Orbem meridianam Claræuallis lucem. Annalium propterea Ordinis Centuriator Manrique Nicolao Boucheratio optimam Tom. 1. pag. 491. gratulatus sortem, supremam illius in Cistercio Præfecturam faustissimam inquit: *erecta Fuliensi Congregatione per Venerabilem, & verè Beatum Patrem Ioannem de la Barriere, ex Abbate Commendatario (quis id credere posset?).*

posset?) primitiui Cisterciy restitutorem. Ad Castra Fuliensia solutioris militiæ statione vacua aduolabant è Sæculo lectissimi Adolescentes, solidæ disciplinæ ponendis rudimentis addicti omnes, qui tantam in pœnitentiæ agone experiebantur diuinæ vbertatem gratiæ, cœlestiumque affluentiam deliciarum, vt Ludouicus à S. Malachia, illorum vnus, in præfatione ad Elegiam de solitudine religiosa, piorum carminum libro primo, de semetipso fateatur: *hoc vnum dissimulare non possum (absit autem inuidia verbo) me diuino munere tantum in ea bonum reperisse, vt si regnum Orbis terrarum, & ipsam in terris immortalitatem (si liceat assequi) præ eo bono teruncij apud me non esse dixero, perparum adhuc de tanti boni magnitudine dixisse mihi videar.* Festinabant præcellentiores etiam Commilitones quotquot ex Aquitaniæ Abbatijs veterani iam Athletæ alebant animum conserendi cùm hoste communi generosam manum, ac fortiter aggressum fundendi, prostrandi ardentiores. Nunquam Censoriam potestatem, pro facultate à Cistercij Archimandrita sibi collata, obibat; quin bona eorumdem manu comitatus, reuiseret suos. Si quos præterea Tyrones proprijs in arenis informauerant Abbates, illos, emenso nouitiatus curriculo, ad Barrerium dirigebant, publica spiritualium stipendiorum vota in eiusdem manibus enunciaturos. Quandiù fuit in humanis laudatus Ordinis Proto-Abbas Nicolaus Boucheratius, durauit & penes Reformatorem grauis adeò potestas. Ad hæc complexandæ Reformationis ardore calescere iam cernebantur illustres etiam ex Principe nobilitate fœminæ, à quibus sub Margherita de Polastron, & Iacquelina de Dimpatalla conditum postea primum Sanctimonialium Fuliensium Collegium, cum Sixtus V. in Bulla erectæ Congregationis annuit propagationi in Virorum septa, & in Virginum Parthenios. Mirapincensium Pastor merendi & ipse sub nostratum signis fragrabat voto. Et sacramentum profectò dixisset, quando à cogitatione pectori seriò incumbente non eum Vir Dei amouisset, Ecclesiæ Mirapincensis addictior decori, quam suæ Congregationis, ornamento inhærens. Paulus Foxius Tolosatum Archiepiscopus, idemque renuntiatus Orator regius ad Summum sacrorum Antistitem, antequam profectionem adornaret in Vrbem, Fuliensem secessum adijt. Suæ ablegationis plurima illi prece commendauit negotia. Inductam in Cistercium restaurationem probauit multis. Apud

Purpuratos Romæ Patres summoperè illam se laudaturum spopondit, omnemque positurum operam Apostolica auctoritate firmaretur. Cardinalis Borbonius, Barrerium Ecclesiastem euangelicæ notæ sæpius admiratus, se sibi furabatur, quò, Monasterij limen frequentius terendo, perfectam Mundi abnegationem, illumque morum candorem exciperet oculis, quorum studium in declamando ille accendebat. Conciones magni ieiunij diebus Moreti habebat, cum ad hospitantem apud Minores de Obseruantia descendere Ioanna Nauarræ Regis Mater, Henricus ipse Rex, quamuis Hæresi infectus, vnáque lectissima eius coniux Margarita Valesia. Augustum par fœminarum præcedere festinauit Regem. Sacrum ad Altare eis coram litaret, diceret è suggestu, benè ipsis precaretur maximi beneficij loco duxit, impetrauitque. Hinc æmulo alloquendi studio, longiorem, quem de animæ institutione protrahebat sermonem, abrupit ad solum Regis aduentum, retexuitque, vt discessit. Porrò Regi placuit per Viridarium inambulando serios cum celebri Dei famulo immiscere discursus, recessitque; quemadmodum summa de eo concepta existimatione, ita Regia in illum propensione amplissimè exhibita, visus etiam profecisse alloquio, vtpote pronior exindè ad eiurandam quandoque Sectam veræ Religionis exortem. Contulit oppidò Ioanni comparata sibi magnificè apud Henricum gratia. Cui nimirum, generales subeundo Cistercij vices, aliquot Cænobia Hæreticorum pagis circumsepta, intra Nauarræ limites, visitanda supererant, obtentis literis supremo eiusdem caractere signatis, nullius fuit negotij discurrere quò vellet, cum stratas etiam honoribus semitas reperiret, & Caluinistæ obsequijs vbique occurrerent, famularentur.

XIII. Sed maiora adhuc illi parabantur decora Lutetiæque, Romæque. Imbutus laudum præconijs Henricus Rex, Barrerium colebat & absentem. Adscitum ad aulam, vultuque agnitum maiori habuit in pretio. Honoribus affecit inuidiosis, & prudentia, pietateque eminentem sederet in Vrbe Methropoli maluisset. Verùm, quòd Vir Dei tranquillioris vitæ amore succensus, Sæculi curas velis, remisque fugeret, deberet nec non & suo augendo Cœtui opportunas impendere curas, ne tunc ampliare negligeret, cum omnium Ordinum candidati ad nomina donanda sua tota Aquitania confluerent, illum Rex humaniter amplexum dimisit. Vnum adiecit: habere in

votis

votis decorare Parisiorum Vrbem nouæ Reformationis Asceterio. Cupere proinde simul ac Alumnorum census ad centum accederet, bis viginti Fuliensi in mansione retineret, reliquos sex decies ad se destinaret.

XIV. Ex quo verò in primam disciplinæ Coloniam Parisios traducendam incidit sermo, haud abs re erit Italiam quoque, Orbi potissimùm imperantem Romam Barrerij nomine, & Fuliensis conuersationis occupatam celebritate inspicere. Iam & apud Gregorium huius nominis tertium decimum Pont. Max. inter exactæ virtutis laudatissimos Asseclas ferebatur. Quocirca Carolo de Angennes Rambouilletto, S. R. E. Cardinali commiserat Fuliensium copiam Romam accerseret, conceptam nimirum Auctoris, Sociorumque mentem se gratulari. Velle eamdem Apostolica auctoritate fulcire, ac amplificare extensione per Italiam. Acceptis Epistolis Cardinalis quidem de Angennes caractere exaratis, datis tamen nomine Dei vices in terris agentis, Pontificijs fauoribus sedulò occurrendum Ioannes duxit, destinatique Romano itineri Ioannes Balades Catalaunensis, Philibertus Bourdesius Tolosanus, Iacobus de Rupe Aluernus Sacerdotio initiati, vnàque cum ipsis Clerici duo Ludouicus Eustachius Delphinas, & Carolus Chabot Vasco. Hi rigente Februario iter ingressi, Vrbem attigere ad sext. dec. Calend. Maij. Intereà Gregorius die decima Aprilis Reipublicæ Christianæ fasces, simul ac mortalitatis exuuias deposuerat. Nemo tamen despondit animum, quin potius adauxit, cum Cardinalium Guastauillani, Caietani, Rambouilletti, aliorumque augusti Senatus Patrum conspirante pietate, inducti primò in Ædes S. Mariæ de Monticulis, & mox in Ecclesiam S. Bernardi apud columnam Traiani. Liquit dilucidè illa esse & domicilia, & auspicia, habituros nimirum nostros Romæ propitios Virginem Deiparam, Diuumque Bernardum. Præcipuos Reformationis Patronos eos in Vrbe aduenas hospitio vicissim excepisse: Afflare insuper spem nacturos in Gregorij successore addictum Gregorij animum, breuique immigraturos ex precarijs domibus ad proprium aliquod domicilium. Et ad votum profectò inauguratum conspexere Sixtum V. oculum illum, gemmamque Pontificum; zelo Religionis propagandæ Apostolico fastigio æqualem, nam sub tanto, adeòque maximo Ecclesiæ Antistite, & breui transiere ad S. Pudentianæ

tianæ concessam perpetuò Sedem, & Reformatio, primò quidem literis signatis Nonis Maij 1586. assertam se vidit in libertatem à Cisterciensium vexatione, mox verò alio diplomate emanato septimo Id. Nouembris anno 1589. cum erectam in Congregationem, tum & nomine Beatæ Mariæ Fuliensis, laude, authoramento, priuilegijs denique, & facultate se se quaquauersum propagandi facultate donatam.

XV. Sed cedat Italia stylus reuersurus in Gallias, vbi Henricus Rex Monasterij Parisiensis vrget fundationem. Euulgata Bulla propagationis ad suas preces obtentę, auctoque Fuliensium albo ad capita centum, manum admouit ædificio claustri in Vico Sancti Honorati propè Luparam, amandauitque Centuriam Velitum, qui aduenientes tutarent incolas, nam itinera laborabant bellorum motibus, vnà cum deteriori sæuientis hæresis appendice. Nequaquam verò silentio damnandæ ceù Monachorum profectio ad præclarum humilitatis, paupertatis, ac Religionis specimen composita, ceù præcellens inuitantis pietas Regis. Incedebant illi, Barrerio Duce, bini, & bini pedibus excalceatis, capite aperto, tunica tantùm breuiori induti, sine caputio, vt agmen addictorum Cruci, cui obsequi regnare est, & mancipem se deuouere in veram asseri libertatem, vesanæ plebis, ac irridentium Caluinistarum inter iurgia audiret coactorum ad Triremes manipulus. Toto itinere leniere continentem ieiunij abstinentiam solo pane cum frigidæ potu. Horis à Regula psalmodiæ designatis sistebant in semita gradum, & partiti in Choros concinebant laudem diuinam alternatim. Henricus autem ad Saltum Vincennarum aduenientibus procedens obuiam, in omnium complexus gratanter ruit, accommodauitque in ædibus à Minimis Sancti Francisci de Paula modò inhabitatis, ad optatum vsque tempus, quo in destinatam Parisiensem domum, nullam iam manum desiderantem, introduxit. Parum fuit, & primam propaginem laudata beneficentia deduxisse: nisi & continuatæ addictionis magnificasset argumentis. Nam quod aptata claustra Regiæ forent adsita, ad illa per quam frequenter descendebat, agebatque cum Monachis vsque adeò diuturnè, & domesticè, vt Aulici susurrarent tantam cum Monachis consuetudinem cucullatum veriùs exæquare hominem, quàm regnantem præbere maiestatem.

XVI.

XVI. Stationes Romana, & Parisiensis auspicante gratia Pontificis Summi, ac Regis Christianissimi; in præcipuis Italiæ, ac Galliæ Vrbibus sub idem temporis positæ incendere Burdigalensium, Lucentium, Taurinatum, Ameriensium studia ad Fulienses cooptandos in Ciues, proficiendumque domestico virtutis exemplo. Sed harum, aliarumque domorum erectiones, ac fundatores suo loco finimus. Rerum nunc series narrationem iterum Romam euocat, quò Barrerius, declinatis Galliæ motibus, minisque suam in ceruicem intentatis, se contulit. Sixtus Papa amplissimis fauoribus restaurationis promotor, roborator, cum ad sacra pedum oscula prouolutum vidit Auctorem, ad illum conuersus: fulsisti, inquit, in diebus tuis domum Fuliensem, exacta quam adornasti reparatione. Labores nouimus, contentiones scimus, sartam tectam suspeximus, approbauimus. Nos gaudemus planè. Tu macte animo. Felicior in dies res cadet. Aderit inceptis Deus. Aderimus & nos eius vicibus in terris fungentes, quò religiosis faueamus Cœtibus, illis summoperè, qui vitæ à Mundo segregis non in aliquam laborant speciem, sed numeris inhærent cunctis. Superest reuiuiscentis disciplinæ capita scriptis consignes. Tuo Oraculo, feruore in præsentiarum vigent. Dissoluentur, obsolescent, nisi perpetuò seruanda calamo perennes, illisque Apostolica adstipuletur auctoritas.

XVII. Pontificijs monitis concitati Patres condendis Constitutionibus animum adiecere. Verùm obortis varijs difficultatibus cura refriguit quadriennio. Sedente postmodum Clemente VIII. nostrates sicut Reipublicæ Regularis induere formam, ità & legum momentis confirmati. Cessatum pendere à nutu Abbatis Fuliensis, eo nomine veniebat Ioannes Barrerius, vocata Romam comitia, renuntiatus Vicarius Generalis Ioannes Gualtheron, inuectaque consuetudo parendi sancitis supremi cuiusdam Magistratus, & obtemperandi moderationi Principis in tota Congregatione Cænobiarchæ. Pro cognomento gentilitio assumpta pia à Sanctis nomenclatio, dictique Ioannes Gualtheronus, Vicarius Generalis à Sancto Hieronymo, Ioannes Barrerius à Sancto Benedicto, Rogerius Perus à Sancto Gerardo, Philibertus Bourdesius à Sancta Pudentiana, Rogerius Sourdus à Sancto Nicolao, Guillelmus Compagnonus à Sancta Genuefa, Antonius Ferrera à Sancto Vincentio, Petrus Boygert à Sancto Paulo.

Hi

Hi primi reperiuntur Diuorum agnomine nuncupati, & subscripti. Exauthoratis domorum Superioribus, alij renuntiati, & exemplo dimissorum à regimine constabilitæ præclaræ vices capessendi moderationis fasces, ac deponendi, imperandi, ac obsequendi. Obseruantia, cui se adstrinxerat, excolebatur traditione, voce, non regula constanti. Quocirca partes concipiendi, & conscribendi eiusdem Canones demandatæ præstantissimæ existimationis confessoribus Ioanni à Sancto Hieronymo, Petro à Sancto Bernardo, Philiberto à Sancta Pudentiana, Pantaleoni à S. Placido, Ioanni à Sancto Mauro, Alexandro à S. Michaele.

XVIII. Sex Viri demandatæ solicitudinis aliquod specimen, seù rude schema proposuere primò Congregationi Generali decimo sexto Calendarum Augústi celebratæ, tandemque sanctiones triennij decursu maturatas, exploratasque, à Clemente octauo approbatas, ab omnibus receptas typis consignarunt, præfixa attitulatione. *Constitutiones Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis Ordinis Cisterciensis ad Sancti Benedicti Regulam accommodatæ in Capitulo Generali eiusdem Congregationis Romæ celebrato anno 1595.* Quarum quidem declarationum, Constitutionumque summa capita, quidque additum, innouatumque deinceps fuerit, ne Lector desideret, paucis referam. Delecti Patres ita conspirarunt in mentem D. Benedicti, vt delibarint etiam nonnullas selectas aliorum Ordinum consuetudines, nimirum Mendicantium, & Clericorum Regularium, consultis ideò, imò ad consessus vocatis, & iubente Clemente octauo adhibitis Alexandro de Franciscis Ordinis Prædicatorum, & Cosma Dossenio Barnabitarum Sancti Pauli solemnis famæ viris, in suorum Cætu primis muneribus defunctis, indèque raptis ad Infulas Episcopales, alterum Foroliuiensium, alterum verò Dertonensium. Id fuit in nostrorum quoque mores transferre quæcumque rerum vsus opportuniora consuleret, nec recedere vel latum quidem vnguem à Patriarcha Legislatore permittente Superiorum arbitrio transigere cum tempore, & experientiam sequi. Itaque, vt à regiminis norma exordiamur, prima ad eorum præscriptum in tota Congregatione recensentur nomina Abbas Generalis, Assistentes, Visitatores, Procurator Generalis, Prouinciales, Monasteriorum Moderatores. Cœnobiarcha Generalis ius summum dicit, restrictum, mediatumque Prouinciales

in

in attributis Prouincijs, singulis autem in Claustris Rectores singuli, Abbates appellandi vbi maior familia degit, Priores verò vbi minor. Assistentibus incumbit prçstò esse consilijs Sodalitij Archimandritæ; Procurator Generalis negotiorum apud Romanam Curiam molem gerit. Visitatores perlustrant familias censoria auctoritate, non vt libuerit, sed ad placitum primæ Infulæ, nec antequam ipse Præfectus Generalis suam in toto Cœtu, & Prouinciales coloniarum propriæ dependentiæ visitationem obierint. Omnium potestas triennij spatio durat. Absoluuntur autem ab exantlatis officijs, ad eadem repetendi, vel grauiori, ac sublimiori cohonestandi, aut sanè feriaturi omninò in Capitulo Generali, ad quod cum primis Congregationis Patribus, Familiarum Præfecti singuli, ac Discreti tertio quoque anno euocantur pro Feria secunda Dominicæ tertiæ post mundi vindicem, de mortis victoria gloriosa Resurrectione ouantem.

XIX. Qualem verò disciplinæ solertiam, pietatemque Comitia vndequaque redoleant, seù quænam ibi negotia præter Superiorum depositionem, & renuntiationem agitentur, haud facilè omittendum duxerim. Rerum agendarum summa quotidianis Deo precibus in vnoquoque Monasterio commendatur. Inuitantur & Christifideles ad suarum Orationum conferenda subsidia, alliciunturque Indulgentijs à benignitate Pontificia pro inuisentibus nostrorum templa sub idem temporis, eumque ad finem impetratis. Illucescente primæ sessionis mane Præsul Generalis Sacrum de Spiritu Sancto Abbatiali ritu decantat. Cæteri votiuam eamdem Missam concelebrant. Idipsum reliquis in domibus exactè seruatur ab omnibus Sacerdotio initiatis, & Sacrum canit qui præest. Vocales à litatione ad Aram contendunt processionaliter ad aulam Capitularem, vbi suo loco compositi auscultant perorantem de laude Monasticæ conuersationis, ac de obseruantia impensiori studio nunquam non excolenda. Mox, toto corpore solo prostrati, superioratuum titulos, pondusque deponunt, subesse magis, quam præesse parati. E vestigiò creantur consessus Præses, ac quatuor Assessores præter nuperos Abbatem Generalem, & Procuratorem Generalem, Assessores & ipsos, non electos, sed natos. Principem hunc Septemuiratum Definitorium vocamus, cui interest Sodalitatis sanctitati, & incremento cauere. Animaduertere item in abusus strictiorem vitæ rationem eneruantes, Monaste-

riorum status singillatim excutere, libellos supplices reijcere, aut subsignare. Processus, si qui à Prouincialibus instructi sint, ratos habere, vel rescindere, sanctionum antea editarum abrogare quas expediat, & nouas ferre prout temporum vsus exegerit, integro denique iure decernere quæ singulares personas familiasue tangunt, reliqua omnes respicientia maturare quidem, sed Capitularibus proponere, eorumdem calculis comprobanda. Ad hæc si Patrum conscriptorum aliquis non ad castigatissimi exempli specimen quippiam patrauit, perstrictam id vocare ad censuram. Ipsum Generalatu dudum exauthoratum, si remissiùs, quàm par est, habenas duxit, correctioni subijcere, tandemque vacantium dignitatum affectatione insimulatos inhabilitate ad earumdem consequutionem damnare. Expleto Septemuiratus munere consedentium vota incumbunt in futuri omnium Capitis, præcipuarumque dignitatum electionem, à quibus consalutatis, renuntiantur Prouinciarum, ac Monasteriorum Præfecti, & exinde constabilito futuri Capituli Generalis loco omnes proprias sedes cogitant. Hac ratione ineuntur vsque in præsentiarum, absoluunturque Congregationes Generales, nisi quod Discreti primò ad minorem numerum in toto Sodalitio restricti, & deinde in Italia prorsus antiquati, diplomate Clementis decimi euulgato anno 1672. Prouinciales prætereà celebrare Conuentus cùm alij Regulares consueuerint Ordines, nulla de his nostris in Constitutionibus mentio, nec introductus vnquam vsus, nisi fortè a. 1644. quo actos reperio à Patribus Prouinciæ Romanæ ad S. Bernardum de Vrbe.

XX. Ad hæc Magistram Regulam sanctitate, ac discretione attemperatam Legislatores optimè gnari, quemadmodum concessere primo reformationis feruori refectionem sumere discumbendo humi, nihil gustare sale, vel oleo conditum, nudis vestigijs incedere, modicam vestire tunicam, extinguere sitim aqua, reficere ieiunia solo furfureo pane, corpora quietem oppetentia duro ponere solo, ita rigidiore austeritate moderatione linita, voluere alumnos obseruantiæ perpetuis statutis vinciendæ incultiùs construere domos, quò aptiùs ædificarent conscientias cùm proprias, tùm alienas. Semel in Hebdomada incessere carnem flagris, septies in die Choro adesse, meditari quotidie ad horam. Cum vrbanitatis, vel charitatis officia id postulauerint, posse adire domos sæcularium, inuisere etiam mulieres, sed præte-

prætereà degere domi taciturnitate mutos, solitudine clausos, indultâ tamen mutua confabulatione aliquanto temporis post Nonam, ceù post Vesperas. Poscente ægritudine sterni lectulos culcitris, linteisque, parari carnes, itemque adhiberi indusia, cæterùm ligneis sandalijs ambulare, rudem lanam induere, cubare nudis tabulis, aut sanè palea stratis. Nihil habere proprij: possidere omnia in communi. Ieiunia protrahere ab Idibus Septembris ad Sanctum Pascha, nec vitam sustinere nisi lacticinijs, piscibus, ouis, ac oleribus. Harum deniquè, aliarumque obseruantiarum transgressores nec mortali, nec veniali culpæ censendos obnoxios, sed nec aliam incurrere pœnam, præter definitas in Constitutionibus ipsis. Adamussim seruantur hæc omnia, depositis tantummodo sandalijs ligneis, ideò quòd Monasticæ grauitati, silentioque nimium obesse compertum.

XXI. Consuluere & Nouitiorum informationi. Lata statuta, superiores locales nomina daturos solummodo conscriberent, dura, & aspera proponerent, vocationem probarent. Prouincialibus data facultas admittendi ad habitum, & ad professionem. Tyrocinium posituris sua qualibet in Prouincia staret Domus, atque Magister spirituum directioni perquam idoneus. Post vota ritè concepta, & enuntiata subessent triennali disciplinæ Instructoris Professorum. Libera consuetudine tunc duntaxat antiquioribus iungerentur, cùm benè in Monastica vitæ ratione confirmati, non amplius periclitarentur excidere à rudimentis nouitiali in puluere haustis. Abbates Cistercienses consueuerant excipere quotquot implendo suæ familiæ syllabo necessarios ducerent, proindeque varijs in Cœnobijs, variaque informantium indole Ordinis Alumni singulatim ferè omnes educabantur. Sed tempus edocuit hanc methodum instruendi mittentes Mundo nuntium oppidò vtiliorem, ideoque constabilitæ Nouitiorum stationes in Gallia quidem Monasteria B. Mariæ Fuliensis, Sancti Bernardi Parisiensis, & Sancti Caroli in Ciuitate Lugduni. In Italia autem Sanctæ Pudentianæ de Vrbe pro Romanis, Pro Pedemontanis verò B. Mariæ apud Testonam, id quod Alexander septimus ratum mandauit literis in forma Breuis expeditis 12. Iunij 1655. postquam sui periculum facere desijssent in Abbatia Beatæ Mariæ secus Pinerolum.

XXII. Prospexere & comparandis literarum presidijs, capite il-

lato de artium lyceis in selectis vniuscuiusque Prouinciæ Monasterijs aperiendis, de Theologiæ à conscientiarum directione nuncupatæ quęstionibus per singulos festiuos dies erudito congressu agitandis, prętereàque de ipsis Rethorices pręceptis tradendis, vbi florentiores Adolescentes, humanas literas nondum benè edocti, disciplinæ legibus se se imbuendos tradiderint. Hinc, (obiter dictum censeatur) errant toto Cœlo, nos recollectam omninò vitam agere, qui putant. Et nostris, & proximorum compendijs vacamus. Cunctis nascimur. Collactáneum à Parentibus hausimus studium procurandæ animarum salutis. Venerabilis memoriæ Institutor nedum ipse celeberrimum pręebat in Galliæ Prouincijs Concionatorem, vitiorum, hęresumque Insectatorem acerrimum, sed ex Eremi secessu emittebat permultos suæ doctrinæ, pietatisque æmulatores. Quare propagatam in Posteros exempli vim voluere leges. Mineruæ operam dantibus domesticę patent Athenæ, Athenarumque commoda. In facultatibus speculatiuis Doctores sequimur nostris formatos in scholis. Vtque varia multiplicis eruditionis commissa typis monumenta pręteream, nostri spectatiores Gallię Vrbium ambones toto anno conscendunt, ea subselliorum frequentia, ac plausu, vt Fulientinę methodi Ecclesiastem laudare aliquem, perinde sit, ac Euangelicum primi nominis asserere declamatorem. Porrò ad hęc munera aptiora excogitata sunt, delectaque Claustra his, qui vltra montes ingenio excolendo vacant ipsęmet, quę Nouitiatus Palęstræ, ac insuper Sancti Antonij Burdigalę, Beatę Marię Cellensis, itemque Beatę Virginis de Valle, & Sancti Maximini propè Aureliam. Illis verò qui citrà montes domus Virginis Consolatricis Augustę Taurinorum, itemque Beatę Virginis à Monte-Regali, aut pro libito Prouincialium SS. Petri, & Andreę de Noualitio Subalpinorum Familię, quemadmodum & Sancti Ioannis Baptistę in Oppido Florentiolę, aliquandò etiam Sancti Bernardi de Albario Genuę, frequentiùs verò Sancti Caroli Maioris Neapoli, aut Sancti Bernardi ad Thermas in Vrbe pro Romanis.

XXIII. Cautum & per eosdem in damnabilem honorum affectationem pœnalibus scitis, quorum tenor. *Vt autem honorum, & dignitatum cupiditati, omnique ambitioni, quantùm fieri potest, obstruatur aditus, decernimus, vt si quis Abbatis Generalis, aut aliam*

quam-

quamcunque dignitatem Congregationis , aut aliam quamuis externam ambierit, aut vt ea mandetur alteri cuiuis, conatum adhibuerit, is voce actiua, & passiua in perpetuum careat, vel etiam grauiori pœna puniatur arbitrio Capituli Generalis. Quod si quis aliquem ei rei dare operam cognouerit , nisi quam primum deferat ad Capituli Generalis Præsidem, eadem pœna teneatur. Quæ tamen possit interdum à Capitulo minui. Et in vniuersum quisquis aliquod officium, munus, ordinem , aut gradum superiorem, in Congregatione , vel Monasterio studuerit adipisci graues pœnas luat : vt eius exemplo alij sapiant, & huic teterrimæ pesti nullus sit locus in Congregatione. Quòd si quis contra hoc decretum dignitatem, vel officium ambitum fuerit assequutus, is præter dictas pœnas, dignitate etiam, aut officio adepto mulctetur, aut ijs fungi, quantum in nobis sit, prohibeatur. Nec contra hanc Constitutionem vnquàm dispensetur. Condignæ prorsus grauissimam in noxam animaduersiones, quibus Summi Pontifices robur addidere suis literis Paulus quintus Bullatis 27. Iulij 1605. alijsque signatis penultima Martij 1613. & Alexander VII. datis Romæ die xi. Augusti 1655.

XXIV. Iam verò quod ad varios ritus, & cęremonias spectat ; maximè verò ad Opus Dei,non alijs voluere consuetudinibus peragi, quàm peculiaribus, & antiquissimis Ordinis Cisterciensis. Verùm cum Sacer Purpuratorum Patrum Cœtus declarasset Congregationes Sancti Bernardi omnes teneri ad recitationem Breuiarij pro omnibus sub Regula Diui Benedicti militantibus à Paulo quinto approbati, Itali die Sabbati præcedentis Dominicam secundam Aduentus anni 1681. vti cœpere in Sacri quidem celebratione Missali Romano, in Choro verò Psalmodia prælibato Breuiario Benedictino. Prouinciæ Galliæ,ab Italis iam seiunctæ Breuiarium adhibent Romano quantùm fieri potuit accommodatum.

XXV. Pro more eiusdem Cisterciensis, Cœlorum Reginæ addictissimi Ordinis, ipsammet Virginem Deiparam in Reformatæ Sobolis Protectricem Augustàm delegere. Recolendæ vt Patronæ decreta perpetuò quæ sequuntur deuotionis obsequia. Cœtum ipsum nuncupandum Congregationem Beatæ Mariæ Fuliensis. Templa à nobis erigenda Virgineo eius nomini inauguranda cuncta. Festiuitates singulas habendas inter solemniores. Cum ad Analogium in

Choro



Choro annuntiantur, teneri actutùm omnes procumbere super oram cucullæ, ac reuereri recitatione Salutationis Angelicæ; prçuenire postea vigilijs, ieiunijsque, ac demum celebrare cum feruentiori deuotione, tum & splendidiori Altarium apparatu. Paruum eius Officium addendum quotidie penso Officij maioris, ac prçtereà omnes ipsiusmet Officij diuini horas complendas Antiphona Salue Regina, post Completorium decantanda, ad reliquas verò horas sine cantu pronutianda. Ita & nos Marianum sodalitium audimus, gratulamurque auspicijs, quod si Principe quodam studio Deiparam colimus, agnoscimus qualem se nobis exhibet, planè Matrem.

XXVI. Hæc Fulientinæ viuendi normæ statuta, hæ Constitutiones, Regulæ Diui Benedicti, & Consuetudinibus Ordinis Cisterciensis consonæ, à Clemente octauo firmitate Apostolica munitæ, à D. Ioanne Baptista à Sancta Anna doctis commentationibus illustratæ in sua praxi Iuris pro Congregatione Beatç Mariæ Fuliensis. A quarum synopsi vt ad obseruantiç laudem, assequutumque celebritatis culmen se se narratio vertat, vnum proferam Diuum Franciscum Salesium in Epistola ad Clementem octauum, qua impetraturus eorum suffectionem in Abbatia Beatç Mariç de Abundantia, inquit.

Beatissime Pater.

Bonis Religiosis melius nihil esse, malis nihil peius, & veteres dixerunt, & hac ætate ita compertum est, vt de illis cum Hieremia dici meritò possit, si ficus sint bona, bonas valde esse; si mala, malas valdè: Nulla verò Orbis Catholici Diœcesis malarum istarum ficuum nocumentis adeò patet, quàm ista Gebennensis: qua nulla magis bonarum ficuum prouentu recreanda foret. Hic enim Pater Beatissime in ipsa certaminis acie constituti inimicorum vires cominùs experimur, quorum ingenium est ex moribus nostrorum deprauatis, Ecclesiæ illibatam doctrinam carpere, ac infirmas Populi mentes deijcere. Quo nomine eò magis dolendum est, inter multa Monasteria variorum Ordinum, quæ in hac Diœcesi sunt ædificata, vix vnum reperiri, in quo Religiosa disciplina labefactata; imo potius conculcata penitus non fuerit, vt ne quidem vestigium veteris illius cœlestis flammæ appareat, adeò obscuratum est aurum, & mutatus color eius optimus. Cui quidem malo, nullo præsentiore remedio medicinam fieri posse existimant periti rerum æstimatores, quàm si ex Reformatis, & recenti

centi Spiritus Sancti igne accensis, & inflammatis Congregationibus Viri Religiosi adducantur, & in locum eorum (vt modestissimè dicam) qui terram hactenus perperam occupauerunt, sufficiantur. Hoc consilio adductus est Vespasianus Agatia vt Monasterium Sanctæ Mariæ de Abundantia, cuius ille Abbas Commendatarius existit, Religiosis Sancti Bernardi Fuliensibus, quorum bonus odor multis iam in locis manauit, si qua fieri posset opera, attribueret, & committeret, motis inde sex Monachis, omnibus propemodum senio, ac disciplinæ Religiosæ crassissima ignorantia non laborantibus modò; sed penè confectis. Res sanè bona, & omni acceptione digna, vt pro spinis, Flores in hortum Ecclesiæ inferantur. Id autem vt succederet, omnia cum Generali Fuliensis illius Congregationis parata, ac delineata sunt, quæ in eam rem necessaria videbantur; ita vt nihil præter vnum, sed illud quidem maximum, ac præcipuum desiderari posse videatur. Sedis nimirum Apostolicæ beneplacitum, quo omnia hæc, & fiant, & facta constent, ac firmentur. Cum autem huius rei vtilitas in hanc ouilis Dominici partem, cuius curam Apostolica vestra prouidentia mihi demandauit, primùm deriuanda sit, non debui committere, quin ego quoque humillimis ad pedum oscula precibus à Beatitudine Vestra efflagitem, vt suam Paternam, & Apostolicam gratiam huic negotio liberaliter impertiri dignetur Christus Dominus S. V. quam diutissimè nobis seruet incolumem. Annesij Allobrogum vigesima septima Octobris 1604. Beatitudinis Vestræ Indignus, & Humillimus Seruus F. E. G.

XXVII. Hactenus ad sanctimoniam clarus Gebennensium Antistes, qui de mandato Gregorij XV. cum præsedisset Comitijs Generalibus habitis Pinerolij Anno 1622. eaque opportunitate suis cõspex[illegible] oculis disciplinæ contentionem, votorum consensum, curamque deferendi regiminis nonnisi in optimos, omnia suo testata voluit caractere Cardinalibus Ludouisio, Montalto, Sanctæ Susannæ, & Bandino, fusius autem eidem Summo Christianæ Reipublicæ Patri, Scribit enim

Sanctissimo in Christo Patri D. D. Gregorio XV. Pontif. Max.

Beatissime Pater.

Acceptis Sanctitatis Vestræ literis Apostolicis 20. mensis Aprilis huius anni expeditis, quibus me in Præsidem Capituli Generalis Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis constitui, sine mora parui, &

in

in Monasterium eiusdem Ordinis Pinerolij me transtuli, vbi me præsente, & secundùm mandata Apostolica præsidente, Capitulum illud generale celebratum est, in quo, vt par erat, de varijs, quæ vndique allata sunt negotijs totius Congregationis, plurima decreta sunt, & sancita, ac de more Superior Generalis, alijque, tum Prouinciales, tum Abbates, ac Priores electi: & quidem tanta animorum consensione, tanta pace, tanta morum suauitate, vt nihil suauius, nihil amabilius videri potuerit. Ita sanè vt illud propheticum dici de hoc Capitulo existimem: Quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron. Nihil vt expectandum supersit, nisi vt quemadmodum non tàm vnio, quàm vnitas, inter tot variarum Prouinciarum, ac Nationum capita hoc tempore laudanda est: ita & deinceps laudari possit: Superiorem autem Generalem nunc habet ista Congregatio, maxima votorum, ac suffragiorum conspiratione electum, cui sine controuersia omnes eruditionis, prudentiæ, ac ingenij palmam cedere debent: Virum spectatissimæ probitatis, & pietatis, qui grauissimis scriptis Ecclesiam Dei non solum hactenus ornauit, & muniuit; sed deinceps, quando ei per otium licuerit, ornare, ac munire paratus sit, vt sperandum sit, sub eius moderamine totam istam Congregationem vberiores in dies prouentus facturam. Caterùm quandoquidem anno 1625. istius Congregationis Capitulum generale Romæ in conspectu Sanctæ Sedis Apostolicæ celebrabitur, si quid supersit ad tanti Ordinis splendorem, ac maiorem perfectionem addendum, nullo negotio, & facillimè addetur. Deus autem Optimus Maximus, pro sua erga Ecclesiam singulari prouidentia, sanctitatem vestram tueatur incolumem, vt summis, ac imis votis supplex peto, & expeto Taurini 1622. F. E. C.

XXVIII. Tanto tanti Viri ad Principem Ecclesiarum Antistitem encomio nihil in Reformatæ plantationis laudem solemnius addidero. Quòd si prudens Lector ex eo animaduerterit: optandum vt floreret deinceps, quę tunc vigebat, sententiarum consensio; hoc opus, hic labor fuit. Maiora probabantur quotidie itinerum incommoda, familiarum dispendia, votorum discrepantię. Ea propter Vrbanus octauus motu proprio emanato 22. Maij 1630. Gallię Monasteria erigenda censuit, erexitque in vnam Congregationem sub nomen-

nomenclatione Beatę Marię Fulienſis, Italię verò domos in alteram ſub appellatione Reformatorum Sancti Bernardi, vtramque ſpeciali à ſuo Antiſtite moderandam. Noua tamen hęc rerum facies abſque charitatis, animorum vinculi, iactura apparuit. Data quippè omnibus optio ſe ſe, pro libito, cui vellent ex Congregationibus adiungendi. Habituros ſingulos inter illius Profeſſos, cui adhęrere maluiſſent. Romanis pręterea Monaſterijs iniunctum onus parandi domicilium, annuumque cenſum ſubminiſtrandi Procuratori Generali Fulienſium in Vrbe, cum duobus Socijs, commoraturo. Ad hęc inuiolabile adinuicem vbique perſtat hoſpitij contubernium, pleraque alia in moris habemus mutuę vrbanitatis continuata argumenta, quibus vt fratres agimus, & regimine diſtincti, beneuolentia coniungimur.

XXIX. Poſt nationum diuortium Congregationem Fulienſem ad ſe multoties Ciſtercium inuitauit, inaurauitque recurſum ad matris ſinum, & teneriorum ſponſione amplexuum, & ſpecioſa adiectione Fulij ad tres Principes in Ordine Abbatias. Sed audijt: Fulio placere magis à ſe ipſo pendere, Filiam eſſe Ciſtercij, ſed Filiam aſſumptam in Parentis Reſtauratricem. Sat ſibi eſſe laudis, profectuſque laceſſiſſe exemplo Matrem ad generalem illam morum correctionem, qua, ad puram Diui Benedicti Regulam, ac initialium Cœtus conſuetudinum obſeruantiam, ſuam poſteà conuerſationem compoſuit.

XXX. Nec ſemel etiam agitatum de Congregatione Sancti Bernardi amplificanda acceſſione aliarum Ordinis Ciſtercienſis in Italia Societatum, quæ Congregationes Lombardiæ, Tuſciæ, ac Calabriæ nuncupantur, ſeù aliorum etiam Sodalitiorum ſub Regula Diui Benedicti conuerſantium. Sed in ea ſententia animum noſtrates obfirmarunt, ſolitariè merendi, proindèque nec Monaſticorum aliorum agminum nos immiſcere caſtris, nec intra noſtra alios admittere. Et de Ciſtercienſibus quidem eadem recurrit ratio, quam Fulienſes retraxiſſe diximus, ne cum ipſis coaleſcere in vnum conſentirent vnquam. De alijs verò potiores ſunt obices, qui intercedant, nexumque prohibeant. Experientia ſiquidem edocuit religioſum aliquem Cœtum nunquam ſatis benè in alium migrare totum. Nam cùm ſuæ vnicuique, ſi non leges, peculiares ſaltem conſuetudines ſint, relabi facilè eſt in indolem propriam, eidemque adeò hærendi, vt conſequens ſit vel totam Inſtitutionem, varia geniorum mixtura, à pri-

mordiali recedere vitæ ratione, vel morum dissimilitudine, fore quidem vnitam, sed non vnam.


XXXI. Nec arguat quispiam nos in Gallia, quemadmodum & in Italia pusillum esse gregem. Nam Regnum complacita patris benignitate pusillis donandum certiùs speramus, quàm exoptemus anxiè, aut inire vrgeamus. Et profectò cùm Prouinciarum, tùm Monasteriorum, incolarumque albo longè locupletiori potiremur, si amplificationis studium animis aliquantò solicitiùs insedisset. Verùm hæc vna semper valeat inter minoris ponderis curas ablegari. Vna disciplinæ facies paucos inter professores vegetior, ac vniformior faciliùs asseruatur. Oliuetana ideò, Vallis-Vmbrosæ, Syluestrina, ac Guillelmitica, Montis Virginis, Cœnobiticæ & ipsę Congregationes in Italia exortæ, in Italia duntaxat florent. Benedictino Cassinensium Cœtui nihil cum exteris ab Italia nationibus. Theatini, Barnabitæ, Somasci, à Matre Dei appellati, Clerici Regulares omnes, paucas vltrà originale solum eduxere Colonias. Extrà Hispaniarum Regna propagari noluere & Seraphica Virgo Theresia insignem suam Carmeli restaurationem, tùm & reuocatam ad præscriptum Diui Hieronymi Asceticam viuendi normam præclari Reparatores Petrus Fernandez Pecha, Episc. Giennensis, Alphonsus Pecha, & Fernandez Yanes. Horum, aliorumque exemplorum adinstar edocemur perfectioni magis, quàm extensioni studere.

XXXII. Id, quod supplet, honestatque oppidò breuiorem domorum, alumnorumque numerum, amplitudo est Priuilegiorum, Indultorumque, quibus munimur, nec non & Patrum copia regiminis excellentia, eruditione, ac pietate illustrium. Approbationi nempè Constitutionum adiecit Clemens octauus luculenta alia Pontificiæ benignitatis compendia. Præstat inter cætera exemptio à Prælatorum Cistercienſium superioritate, visitatione, ac iure sub. Dat. Romæ pridie Nonarum Septembris 1592. Præcedentia item attributa in processionibus, & publicis actionibus super omnes Mendicantium Ordines, diplomate signato die nona Februarij a. 1599. Recursus ad iterum merendum sub nostris signis vetitus ijs, qui semel addicti Reformationi, ad aliam regularem conuersationem transijssent, vel migraturi imposterùm forent, expeditis bullatis literis decimo sexto Calend. Iunij 1604. Paulus quintus, & Prædecessorum suorum amplissi-

mos

mos in nos probauit fauores, & confirmationem cumulauit subiectione immediata Sedi Diui Petri, nec non consortio Indultorum quorumcumque; Priuilegiorum, immunitatumque Monachorum, & Mendicantium Ordinibus concessorum motu proprio euulgato 21. Nouembris 1607. Alijs literis in forma Breuis voluit idem Paulus quintus nostros duntaxat conficere, & signare in Cera *Agnus Dei*, prætereàque concessit Indulgentiam trecentorum dierum nedum Monachis, & Sanctimonialibus huius Congregationis, qui ad deuotiorem Completorij clausulam decantarent in Choro Antiphonam *Salue Regina*, sed etiam infirmis, qui absentiam ab Odeo pia aliqua prece compensarent, nec non & Christifidelibus vtriusque sexus, qui audiendæ decantationi interessent. Eamdemque Indulgentiam Alexander septimus extendit ad alias Virgineas laudes *Alma Redemptoris*, *Aue Regina Cælorum*, *Regina Cæli*, quas Breuiarium Benedictinum loco Cisterciensis posteà assumptum, pro terminatione Officij diuini, secundùm temporum varietatem disponit. Horum Priuilegiorum, gratiarumque exemplaria ab Authographis desumpta dabuntur in postrema huius elucubrationis parte, cui præcedant par est aliæ complectentes viros à Republica optimè administrata, à doctis Mineruæ monumentis, & à soliciciori pietatis studio spectabiliores.





CISTERCII REFLORESCENTIS PARS SECVNDA

Abbates Generales.

Anno. 1592.



Ntistitum Generalium Illustrem Chorum ducit *Ioannes Gualtheron*, *Gallus*, *Catalaunensis*. Genere nobilis, ætate florens, literis excultus, prudentia clarus sub ipso statim Reformationis exordio Ven. memoriæ Barrerio adhæserat, adeò pœnitentiæ amator, vt eam amplecteretur tanquam sponsam, coleret pro delicio, veneraretur veluti manuductricem ad Cœlum, adeòque felici contentione in Monastica arena, vt multis in eo virtutibus certatim elucescentibus, vix initiatus Diaconus, admoueretur administrationi Sermonetani Cœnobij in agro Romano, quod maturioris in eo iudicij, & singularis morum grauitatis argumentum extat. Porrò qualis, quantusque vir foret Ioannes, luculentius ostendit in excelsiori supremi magistratus sede, quam sub nomine Vicarij Generalis Apostolici conscendit anno à Deo Redemptore nonagesimo secundo supra millesimum quingentesimum,

ſimum, menſe verò Iulij, quo Patres Congregationis Romæ conſiſtentes primò comitia celebrarunt in Monaſterio Sanctæ Pudentianæ ad radices Viminalis. Enimuerò præfuit Congregationi, an Congregationem exorientem compoſuit? Deſijt mox anceps illa trepidatio, quæ in arduo rerum maximarum limine (non enim Ordinis Monaſtici Reformationem ſtabilire Prouincias inter minores ablego) fortiora nonnunquam pectora labefactat. Abhorrentibus à communiori ſententia, Congreg. ab Ordine Ciſtercienſi ſegregandi, poteſtatem fecit deficiendi ad quamcumque mallent ex Inſtitutionibus Carthuſianorum, Capucinorum, Eremitarum Camaldulenſium, vel Minimorum Sancti Franciſci de Paula. Eo Auctore noſtrorum Cœtus Abbati Ciſtercienſi obnoxius, Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectus eſt, ſub cuius etiam protectione ſuſceptus. Eodem ſatagente Conſtitutionibus ad Regulam Diui Benedicti accommodatis extrema manus impoſita; & à Pontificia approbatione iuris robur comparatum. Grauiſſimis huiuſcemodi curis incumbenti totum abijt triennium, non autem Generalitij muneris tempus, cuius labores ad trium annorum ſpatium iterum exantlaret, vellet, nollet oportuit, Dei Vicario vi legis, cui refragari nefas, ita mandante. Demùm ex publicis curis ſibi redditus in ſumma humilitate, obedientia, paupertate quieuit in Domino quarto Idus Ianuarij, anno à Deo in noſtræ carnis ſubſtantia milleſimo ſexcenteſimo vltrà vigeſimum, fato ſublatus apud S. Pudentianam de Vrbe.

1598. *Guillelmus à S. Claudio, Ennoion, Burgundus* decenniò poſtquam habitum Romæ ſuſceperat, pedo Generalitio ibidem cohoneſtatur ſeptimo Cal. Iunij. Adeò breui à Sacramenti pronuntiatione decurſo tempore, ad Congregationis ſubeundum regimen deligi, præſtantiſſimæ, quibus pollebat, partes expoſcebant. Debebant profectò & ipſi non modicum Reformationis incunabula, quòd eam perfectionis puriorem ſpiraret auram, quam reliqui vitæ Monaſticæ candidati auidè haurirent. Auſteritates vorabat intrepidè, ac vnus in paucis cenſebatur, qui, ad mentem Sancti Bernardi, Religioni nomen daturus, corpus extra Monaſterij limen reliquiſſet, Spiritu duntaxat in clauſtra inducto. Debebat & agitatæ Congregationis conſolidata ſtabilitas, viro quippè vi directionis, & incrementi ſtudio, ſi quis alius, prædito, qui oppidò profuiſſet, ne, quod commune

eſt

est religiosarum plantationum discrimen, aduersitatum ventis vndique impetita, disiecta corrueret, quinimò altiùs radices iaceret, quàm vt iactatione vllo vnquam tempore periclitaretur euelli. Qui ante Generalitia decora de Republica adeò benemeruerat, ampliora spondebat beneficia, si in eam sententiam Patrum Senatus concederet, vt primá Infula redimitus fulgeret. Expectationem haud fefellit euentus. Ipse nimirum, Coloniarum augendarum zelo nemini secundus Ebredunensem emisit, aliasque. Monasticæ præeminentiæ vindex feruentissimus, Mendicantium quorumcumque Cœtibus in actis, & processionibus publicis nostri anteirent, solerter curauit, ac obtinuit. Qui verò Antistites religiosorum Ordinum Soles esse optimè nouerat, ac proindè tunc magis eosdem moderatione illustrare, cùm visitationibus lustrant, secundo regiminis anno ab Vrbe discessit, inuisitque quotquot ea tempestate enumerabantur nostratum stationes. Nunquam è viuis abire debuisset, si desideratissimis viris cæca mors, inuida veriùs, parcere sciret. Guilelmum, noua semper ad commune bonum molientem, ipsa nobis luctuoso prorsus funere Taurini eripuit anno à depositis dignitatis insignibus, & æui, in quo sumus, quarto.

1601. *Petrus à S. Bernardo, Matharel, Aluernus*, ex Oppido *Vison* dicto, Reformationis legibus rita votorum solemnitate se deuinxit in Abbatia Fuliensi ætatis anteactæ anno octuagesimo primo supra sesquimillesimum. Abbas Generalis in limitaneo Gallis, ac Italis Pinerolij Conuentu renuntiatus, præclarè elusit Edmundum à S. Cruce Cistercij Antistitem, & Ordinis Primatem, cuius censoriam potestatem in hanc Congregationem opportuno Clem. VIII. diplomate excussit. Cætera viri præconia aptiori conceduntur loco. Superata quippè virtutum eminentia, quam calculorum conspiratione attigerat dignitatem, sacros inter fastos aliquantò fusiùs reponendus erit. Planè vsque adeò commendata toto Cœtui præclari capitis religio, & pietas, vt repetitis suffragijs ad Infulam secundò regendam assumptus, eamdem vnà cum mortalitatis sarcina deposuerit a. 1606. 22. Martij, à quo tempore vsque ad futurum Capitulum præfuit *D. Io. à S. Hieronymo primus Assistens.*

1604. *Petrus à Sancto Bernardo* Sodalitatis regimini iteratò admotus.

1607.

1607. *Sancius à S. Catharina, Beauuer, Vasco*, cooptatus in Fuliensem familiam anno à Virgine puerpera 1586. in Abbatia, à qua Sodalitati origo, nomenque. Summo Congregationis regendo clauo tertiò adlectus est, primùm ab anno voluentis seculi septimo ad decimum, iterumque à decimo quarto ad decimum septimum, & exindè ad vndeuigesimum. Pietate, eruditione, abiectione sui, nec non & solitudine efformauerat quidem se se in Superioris claustralis ideam; at suffragia toties in eum conuenisse, ea præsertim tempestate, qua in perfectionis stadio nemo impigrè se gereret, quinimò vnusquisque pro viribus charismata æmularetur meliora, alia potissimùm causa fuit, sedulitas nimirùm in rebus agendis, consilijque feracitas, & vbi rei communis immineret periculum, illicò, nec vna ex via, reparationi adesse & ipsum, fortique animo labem impendentem propellere. Studijs moralibus perindè vacabat, ac si Philosophiæ, & Theologiæ cursus summa perspicacis ingenij cum laude minimè confecisset. Verùm qui spiritui excolendo neruos intendebat, omnes, planè vt nesciret à psalmodia, à lectione sacrorum codicum, à diuinarum meditatione rerum se abstrahere, sapientiæ Sanctorum venas tantùm foras produxit, visus eleuasse viatores ipsos ad Ciuium vitam elucubrationibus in Athenæo recensitis, quibus, vt tituli præferunt, hominem edocet animo à Sæculi curis reuocato Deum contemplari, sui abiectione Deo accedere, diuini amoris æstu in Deum transire, & diuinæ assiduitate præsentię, vitam transigere mente in eum defixa, cuius visio tota merces. Eminentissimi Principis Francisci Cardinalis Barberini sacramentales confessiones diù excepit, aliorumque prępotentium in Vrbe virorum conscientias audiuit non sine magno eorumdem christiana in perfectione incremento, cuius contentionem feruentissimis ipse adhortationibus, diuinis veluti flabris, accendebat. Denascitur sexagenarius ad S. Bernardum de Vrbe anno à votis emissis quadragesimo tertio, humanę verò restaurationis millesimo sexcentesimo vndetrigesimo; pridie Iduum Octobris.

1610. *Ioannes à S. Mauro, Balades, Tolosanus*, conuolauit ad castra Fuliensia anno 1579. meruitque sub strictioribus obseruantię signis inter primos. Post mortem Venerabilis Patris Ioannis Barrerij Abbatia Fuliensi à Clemente VIII. donatus, eamdem Congregationi cessit, Regularem ex Sęculari ab eo temporis futuram. Itaque qui sua Refor-

Reformationi incunabula prębuerat, iuremeritò in omnium Patrem plenis suffragijs erat deligendus. Sed Antesignanus potiùs ostensus fuit, quàm datus, nam mense ab inauguratione sexto supremam obijt diem Taurini, pridiè Cal. Septembris, cuius interim partes vsque ad proxima indicenda comitia suppleuit D. Marcellinus à S. Benedicto, Louerius, Pedemontanus, Procurator Generalis.

1611. *Martialis à S. Bernardo, Colet, Lemouicensis*. Exacti seculi anno nono & octuagesimo Mundi triumphati gloriosum specimen & ipse dedit apud Principem Ordinis mansionem in Aquitania. Ornatissimus Ecclesiastes annis fermè viginti insigniores Galliç templorum Orchestras, expectationis diuini partus, magnique ieiunij diebus occupauit, ab eruditione nescias, an vernaculi idiomatis ab elegantia commendabilior. Nobiliori è Sede per biennium ius dixit, acerba interceptus Parca Burdigalę anno Christi 1613. sui æui 44. Monachatus verò quarto & vigesimo. Defuncti partes ad opportunam vsque totius Congregationis conuocationem suscepit Petrus à S. Eligio, cognomento Vincen, ipsi Patria quidem conciuis, munere autem Generalis Assistens.

1614. *Sancius à S. Catharina.*

1617. *Sancius à S. Catharina* ter repetita electione Congregationis Antesignanus dictus.

1620. *Hilarius à S. Io. Baptista, Ratta, à Scalenghis*, Taurinensis Diœcesis, in Comitatu Plozaschi Oppido, Christum sub Diui Bernardi insignibus Romę induit pręcedentis ętatis anno quarto & nonagesimo. Vitę à Mundo sequestris exemplar notis omnibus absolutissimum, dono contemplationis, austeritatis, & charitatis pręcellens proclamatur Superior Congregationis ea tempestate, qua Monachorum flos audiens, virtutem verè masculam in futuro omnium capite exigebat. Respondit omnium votis, Pręsulemque egit ex illis vnum, quos citiùs raptos ingemuere greges, visumque Cœlum hominem inuidisse terris; Abijt è viuis austeriore sui afflictatione, ac humilitate sublatus. Quòd enim in familijs perlustrandis nec quidem equó insedere vellet, sed longiora etiam itinera pedes absolueret, Parmę in morbum incidit, & Florentiolam delatus, ibi se se ad ęternitatem composuit. Meritorum vertice Prędecessoribus par, ac Successoribus, speciali funerum splendore honestatur, quippè cui conti-

contigit & tumulus singularis ad latus dextrum Aræ maioris, & Epitaphium vt sequitur.

Hic requiescit Adm. R. P. D. Hilarius à S. Ioanne Baptista Sup. Gen. Cong. B. Mariæ Fuliensis, obijt die 2. Februarij 1622. Ætatis suæ Anno XXXX.

Ipso conclamato Sodalitatis optatissimo Parente orbatæ curam gessit Petrus à S. Eligio, quem & D. Martialem à S. Bernardo præcoci funere ad Superos raptum, sub nomine Vicarij Generalis summo in munere excepisse iam diximus.

1622. *Ioannes à S. Francisco, gentili agnomine, Gulonius,* Lutetiæ natus; anno 1604. ibidem solemni iureiurando vouit stabilitatem suam in hac Congregatione, quam post varios inferiores gradus pleno tandem iure rexit ad sexennium. Promotioni collimarunt Generalium Confessuum celebriores, alter quidem habitus Pinerolij, cui S. Franciscus Salesius, auctoritate Apostolica, præfuit; alter Romæ in conspectu Sanctæ eiusdem Apostolicæ Sedis coactus. Iurisprudentiæ Canones diligentissimè excusserat, humanæ, diuinæque Philosophiæ arcana secretiora peruestigauerat omnia, in Græco quoque idiomate, sub Patre, eiusdem linguæ in Parisiensi Archigymnasio Professore celeberrimo, luculenter profecerat. Verùm maternæ linguæ nitore, quo Dionysij Areopagitæ opera Gallicis auribus accommodauerat, aureus calamus appellabatur. Quare aureus Scriptor, plumbeo nequaquam exprimendus stylo, Diuum Franciscum Salesium Encomiastem iuremeritò habuit, qui de eius ad primam exedram conscensu ità ad Greg. XV. in Epist parte antecedenti prælaudata scribit: *Superiorem autem Generalem nunc habet ista Congregatio, maxima votorum, ac suffragiorum conspiratione electum, cui sine controuersia omnes eruditionis, prudentiæ, ac ingenij palmam cedere debent: virum spectatissimæ probitatis, ac pietatis, qui grauissimis scriptis Ecclesiam Dei non solùm hactenùs ornauit, & muniuit; sed deinceps quando ei per otium licuerit, ornare, ac munire paratus sit, vt sperandum sit sub eius moderamine totam istam Congregationem vlteriores in dies prouentus facturam.* Quæ perstrictim Salesius in Ep. ad Pont. Maximum, eadem fusiùs Io. de Vassan in Elogio impresso ad calcem versionis S. Dionysij Areopagitæ ex Græco idiomate, in Gallicum sermonem, quod sic habet.

Inter Gallos doctrina illustres Ioannes Guloniùs annumerari meretur, quem Nicolaus Pater (Ioannis aurati gener, ac in regia Græcæ linguæ professione successor) singulari natura bonitate præditum adolescentem, non vulgariter, & adeò felici successu instituit, vt ab Academia Parisiensis curatoribus dignissimus sit iudicatus, qui sublato è viuis Parente, literariam eius professionem susciperet; sed in Fratrem se Minorem muneris istius functionem paterna pietate transmisit. Foro iam assuetus, vbi celeberrimos inter Iurisconsultos tunc temporis eminere posset, mutato de repente consilio, secreto quodam impulsu asceticæ vitæ secessum appetens, Sodalibus se Fulensibus adiunxit; apud quos in perpetua iam à primis tyrocinij annis præfectura vixit, postremis verò, ad Magisterium eius sodalitij, summam scilicet huius Ordinis regendi curam euectus est; ac dum istius muneris obeundi causa Romæ ageret, Vrbano VIII. Pontif. Max. innotuit, cui ob variam, perfectamque eruditionem; fuit acceptissimus: in Patria autem bonis, ac literatis omnibus charus, quorum & elogijs certatim ornatus est, sed aulæ præsertim nostræ Proceribus virtutis nomine gratiosus, ac familiaris vixit. Et si verò maior apud omnes fuerit suaui consuetudine, & vsu, literarum tamen etiam monumentis inclaruit. In medijs etenim, grauissimisque Monasticarum Præfecturarum occupationibus (mirabilem ingenij vbertatem sortitus) multa elegantissimè, patrio præsertim sermone composuit; sed eius præcipua in Græcis ornatissimè, ac magna fide conuertendis laus fuit.

Nicolai Patris versionem librorum S. Gregorij Nysseni contra Eunomium recensuit, atque ipsius Gregorij editionem recognouit.

Viri clari Nicolai Fabri, vitæ sanctitatem oratione funebri celebrauit.

Vir fuit in rebus agendis summa prudentia, in omnis generis libris censendis acerrimi iudicij, acuti, & sagacis ingenij, oris, ac staturæ decore præstans, canitie venerabilis, vt seniorem, quàm erat, ex vultu suspicarere, moribus candidissimis, ac Patriæ amantissimus. Nec sublimiorem modò Philosophiam, verùm & omnes ferè disciplinas animo, & studio complexus est. At, quod dolendum, exacto dignitatis supremæ, quam inter suos gesserat, sexennali tempore, cum successori Consiliarius præcipuus, & Assessor adhæreret, & in eius muneris administratione otio maiore liberior, ac solutior, quæ iam animo

præ-

præconceperat quamplurima (tanta erat in scribendo facilitate) publico daturus speraretur, ipso ferè famæ mirificè succrescentis momento, vehemens febris cum lateris dolore continuis æstibus iactatum vndecimo à natali Christi die, quo post peractam ter, de more, nocturnam liturgiam lætales dolores præsensit, immaturo fato quinquaginta quatuor tantùm annos natum nobis eripuit. Tranquillè, & constanter vti Philosophum Christianum, piumque Archimandritam decuit, felicem animam inter suorum permixtas precibus lacrymas, Deo reddidit. Quum Sancti Dionysij diuinis operibus Gallico sermone reddendis stylum primò exercuerat, in ijsdem post vigesimum, & amplius à prima annum, noua versione illustrandis scribere desijt, eorum editioni immortuus. Corpus defuncti in Odeo B. Bernardi ad portam honorianam suburbanæ ædis conditum est, Epiphaniorum die solemni, Magnatibus aliquot, ac quamplurimis amicorum ex Vrbe postremò illum visuris ad funus accurrentibus; ijsdem amicum amissum, vniuersis autem Cœnobij Monachis Patrem acerba morte præmissum mœrentibus: Lutetiæ Parisiorum anno huius seculi vigesimo nono.

1625. *Ioannes à Sancto Francisco* Generalitio munere secundò donatus.

1628. *Carolus à S. Paulo, Vialart, Gallus*, patriam nactus Lutetiam, parentes Felicem Vialartum, Dominum de la Forest, libellorum supplicum in Regia Magistrum, & Ioannam Hennequin; ingenium verò politiori literaturæ, scholasticis facultatibus, monumentis, seù Ecclesiasticæ, seù prophanæ Historiæ excutiendis aptissimum. His, alijsque nominibus floruit gratia apud Regem Christianissimum, æstimatione apud Regni Primates, obseruantiæ zelo inter domesticos, concionatoris ornatissimi, ac rerum Ecclesiasticarum illustratoris eximij æquè inter coæuos, ac inter posteros claruit, honoresque in Claustro offendit, quos fuga à Sæculo declinauerat. Siquidem Abbatiæ Fuliensis primò, Generalitijs deindè Infulis redimitus est, tandemque Abricensium Pastor renuntiatus, in Episcopum initiatur anno 1640. in Parisiensi nostratum templo vnà cum Nepote Felici Catalaunensium Antistite, & Comite. Gregibus tùm Monasticis, tùm & laicis in pascendis pietate, & solertia enituit. Ecclesiç desponsatç iura, si quis alius, adauxit. Diœcesim perlustrans, ouium vitijs obrutarum quamplurimas salutari pœnitentia Christo lucri-

lucrifecit, nec Prędecessorum pręstantioribus gloria ęquandis quidquam ei defuit, nisi longior duntaxat ętas, nam infrà biennium reuocatus è viuis, diem nouissimum expectat ante gradus Arę maioris.

ABBATES GENERALES CONGREG. B. MARIÆ FVLIENSIS IN GALLIA.

Anno 1631.



Arolus à S. Paulo ex vltimo Pręsule Cisterciensis Reformationis in vnum Cœtum adhuc vnitę, primus, post diuisionem, Fuliensium in Gallia Antistes.

1634. *Carolus à S. Maria, Lauson.* Sęcularium, ac Monasticorum natalium sedem habuit Parisiorum Vrbem, Parentes à luce generis claros; mentem verò ad literarum comparationem ardentiori inclinatam genio. E Mundo traductus ad Claustra, floruit ex adolescente æquè ingenuo, ac ingenioso, Asceta perindè probus, ac doctus. Disciplinas Philosophicam, & Theologicam non delibauerat tantùm, sed studiosissimè excusserat, ac pręclaro quodam acumine diuturno inter circulos periculo immixto suspiciebatur in alijs erudiendis, explanare cum plausu sententiarum obscuriores, expendere dubias, reijcere improbandas, edocere delectas. Apostolica quoque excultus eloquentia, eamdem sacris ex Cathedris ad communem produxit admirationem, ac vtilitatem, eruditione quidem locupletem, stylo ornatam, rationum pondere grauem, ad animarum lucra vndequaque instructissimam. Fatigasset & vigilijs pręlos, sed quòd calamus in syllabum Fuliensium sanctitate illustrium, suarum lucubrationum primam incidisset, ità animus ab adornanda eorumdem Synopsi, ad ęmulanda charismata abductus est, vt imitationi totus incumbens, raram scriptioni manum admoueret, studeretque Parentes nostros, viros gloriosos in generatione sua gestis potiùs, quàm verbis prębere expressos. Sanè quo illi diuini amoris calescerent ęstu, quo feruore orationem mentis, ac linguę pluri-

plurimas ad horas protraherent, qua austeritate corpus afflictationibus insequerentur, vigilijs compescerent, solitudine, taciturnitate edomarent, qua solertia sublimiorum etiam virtutum conquirendis inhærerent præsidijs, in vno Lausonio cernere erat. Laudatis ornamentis, quemadmodum apud Sodales, ità etiam exteros inter conspectissimus, grauissimis nunquam vacauit Prouincijs. Post Monasteriorum, aliorumque munerum gestam approbatissima cum opera curam, rerum tandem summam, in Congregatione Capitularium die 17. Maij Cellis-Bituricum aduocata, sibi concreditam, pro dignitate gubernauit. Quid plura? Præterquam quòd Ecclesiastem agere, celebrioresque occupare ambones oportebat, in excipiendis confessionibus & virorum Procerum, & lectissimarum ex aula Regia fœminarum multus erat. Iulius insuper Cardinalis Mazarinus, eo inter suos Theologos adnumerato, Lausonij Oraculum consulebat, quò in præcipuis Regni negotijs pietate, ac sententijs viri spectatissimi vtens, feliciùs summam illam optimi administri consequeretur laudem, inseruijsse Deo, & Regi. Hæc inter ingenij, morum, honorumque præconia Fuliensem viuendi rationem ad annos quatuor vltra quadraginta tenuit, excessitque Lutetijs, ibi septima die mensis Decembris anno 1659. euocatus ad Religionis præmium, vbi vigesima secunda Februarij anno 1615. publica susceperat Religionis vota.

1637. 1640. *Carolus à S. Paulo* iterum, iterumque ad clauum tenendum designatus, secundò quidem sub ipsis Maij Idibus Cellis-Bituricum, tertiò autem Parisijs die viij. mensis eiusdem.

1643. *Matthæus à S.Gerardo, Maillons, Aquitanus*, ex Oppido vulgò *Casiber*, in Diœcesi Tarbensi supernæ vocationis directione Congregationi Fuliensi nomen dedisse, quo ipsimet Congregationi leges præscriberet planè dicendus. Enimuerò à regimine feriauit nunquàm, vtque alios obiter indigitem dignitatum caracteres, Abbatis, Prouincialis, Censoris, ac Generalium Consiliarij, quater in Primatem euasit, primò in Conuentu celebrato pridie Nonarum Maij, apud S. Maximini secus Aureliam Cœnobium, mox in altero, eadem die anno 1646. Lutetiæ ad S. Bernardi coacto, iterumque, decenniò post suffragijs Capitularium Burdigalæ sedentium, & tandem anno 1657. designatione euulgata duodetrigesima Aprilis die, dum

Comi-

Comitia haberentur in præfato S. Maximini domicilio. Nec ornatissimi cuiusque Antistitis in præclaro toties Cœnobiarcha partem desideraueris vllam. Institutionem vrgere imperio, præbere exemplo primi erat momenti ad votorum consensionem in eum flectendam. Legum zelo affines erant præter magnam mentem, vbi ardua negotia ampliori sinu nequaquam egerent, summa prudentia, vndè solliciti timoris euentibus cautè consuleret, ac imminentia discrimina feliciter eluderet, dum eisdem maturè prospiceret. Ad hæc noua semper experientia æquabat existimationem sui. Cùmque frequentiores inter honores alteram homines induant faciem, Matthæo ipsissimi mores inter honores, imò nunquam regendo Cœtui aptiores habiti, quàm post regimen. Eadem prona in omnes paterni affectus & benignitas, & dulcedo. Eadem semper intuentibus occurrebat absolutissima viri claustralis effigies, disciplinæ in se apprimè tenax, in cæteris vindex acerrima. Sed quæ illi præ cæteris animos adiungebat virtus, studium erat rei Fuliensis amplificandæ, cui quidem cùm extera non deessent adiumenta, aulæ gratia, Potentium fauor, internis quammaximè vtebatur subsidijs, ijsque potioribus, quandoquidem in deligendis studiorum Præfectis, domorum Administratoribus, Prouinciarum Censoribus in optimos quosque propenderet, nec in dignoscendis oberraret. Erat & acceptior, quòd in tanto munerum lumine constitutus, nec minima quidem fastigij illecebra tangi contingeret. Se sibi restituere, & in ordinem redigere semper mens fuit. Verùm cum eminentiores forent dotes, quàm vt vacare à moderatione paterentur, rapi ad gradus fas erat, nec superiorem locum conscendit vnquam ad electorum schedulas in se conspirantes auditas, sed ad illa reluctanti obnitentium verba: obediat, insedeat, pareat. Hæc electionis terque, quaterque iteratæ pondera, hæc incitamenta. Commune coronare delicium Patres conscripti censebant, cum Maillonij tempora pastorali Infula redimirent. Accessit ad felicitatis compendium diuturnior ætas, nam duobus tantùm annis nonagenario minor, Cœlo maturus, mortalibus valedixit in Abbatia Fuliensi x. Octobris anni à Virginis partu 1678.

1646. *Matthæus à S. Gerardo* Lutetiæ Parisiorum, pridie Nonarum Maij ad aliud triennium confirmatus.

1649. *Arnaldus à S. Benedicto*, *Tappiè*, *Auxitanus*, multis promotio-

motionibus varia & ipse dignitate ornatus, Generalatum tandem iniit Cellis-Bituricum, quò Electores ad diem iv. Maij conuenerant. Desiderium sui sola diuturnitate æui non æquauit. Cæterùm claruit moderator optimus si quis alius. Pollebat cum literarum coronide, morum commendatione. Præstabat probatissima in rebus agendis opera, miraque in animabus regendis directione. Reliquas inter, duabus potissimùm, iisque inter se pugnantibus elucebat virtutibus, mansuetudine, qua, animos deuinciens, optabatur longæuus; & disciplinæ studio, quod vitæ nexu citiùs abscisso, illum breuiorem effecit. Præclarum sanè charisma, & planè nuncupandum Pastorale, benignitas, quæ superiorem renunciantibus, Patrem præbet. Ab eius quammaximè vsu nunquam non recolendus erit Arnaldus, cuius etiam fausta auspicante acclamatione imperium cum triennij occasu elapsum, ad aliud triennale spatium sibi prolatum conspexit. Verùm dum felicior ei ætas augurabatur, omnium vota anxia frustrauit spe institutionis contentio. Visitationum cursus afflicta valetudine, nec alio nisi vigentis animi robore confirmatus anno 1653. constanter prosequebatur, cum præpropero abreptus fato, vltimum vitæ actum peregit vndeuigesima Septembris in Ciuitate Prouinciæ Lemouicensis, cui nomen Vzerche. Indè elatus ad Tutellense Cœnobium, inter Sodalium cineres dormitionis locum accepit.

1652. *Arnaldus à S. Benedicto* primo Triennio feliciter expleto ad subsequentis exhauriendos labores quinto Calendarum Maij Cellis assumptus.

1654. *Matthæus à S. Gerardo*. Burdigalæ tertiò renunciatus Nonis Maij.

1657. *Matthæus à S. Gerardo* pro quarta vice electus in Capitulo Generali die 28. Aprilis Aureliæ celebrato.

1660. *Arnaldus à S. Bernardo, Boç, Petragoricensis*, ex Oppido *Bourdeilles* dicto, Ecclesiastes, cui ob inuidiosam prorsus eloquentiam perpetua stabunt nominis, famæque decora. Non vnum is, alterumue è celebrioribus Galliarum suggestis facundè perorando gloriosissime conscendit, sed, postquam, legum Fuliensium sacramento ritè enuntiato, dicere ad concionem instituit, eo laterum robore, ea subselliorum acclamatione Apostolicam in hanc spartam incubuit, vt septem vltra triginta eamdem adornauerit annis. Totidem

tidem ex alto verba fecit æquè in expectatione diuini partus, ac recurrentibus quadragesimalis abstinentiæ diebus. Affluebat, in declamando, Sanctorum oraculis Patrum, prædiuiti Historiæ sacræ, & prophanæ thesauro, selectioribus veterum Philosophorum sententijs, ineratque dictioni ea omnis doctrinæ vbertas, quam occasio poscerct, quam auidiores expeterent aures. Orator erat, vno rem verbo absoluam, adeò disertus, vt à copioso facundiæ decursu, seù exundanti à flumine abreptos diceres Auditores, quos citra fastidium attentissimos elapsa semper clepsydra dimittebat. Nec ab eruditione tantùm placebat, sed & à voce perindè grata, ac plena, ab actione lepida, ac efficaci, à peramplo memoriæ sinu, &, quæ prima in Verbi diuini enuntiatore attollitur pars, ea in suadendo vi, qua animarum intima peruadens, corda feriret, ac flecteret, cùmque pectora diuini amoris æstuarent igne, corda soluerentur in lacrymas liquida, & patentia compunctionis argumenta. Eadem arte, eodemque plausu valebat, & cùm post linguæ officium, aurium præberet obsequium. Qui nimirum expiari noxas gaudebat, quarum dolorem exciuerat, impendebat confessionibus excipiendis tempora à dicendo feriata, ferebaturque sicut in sublimi euangelicæ prædicationis exedra lucidissimum concionatorum sidus, ita & in arcano sacramentalis pœnitentiæ tribunali eximius conscientiarum institutor. Adibant præterea Arnaldum Matronæ acrioribus diuexatæ scrupulis, adolescentes iuuentuti optimè formandæ addicti, alij alijq; ecclesiastico caractere spectabiles, ac proinde delicatiori spiritui solicitius excolendo intenti. Sed & Sanctimonialibus Visitationis B. Mariæ, Reformationis Carmeliticæ, ac Sanctæ Claræ, alijsque Virginum Claustris operam impertiebatur salutarem, noscebantque illa perfectionis Asceteria optimè sua tractari vulnera, & probatissimis curari medelis. Sanctioribus adeò curis distento varijs plaudebat fama nominibus, maximè verò Prouinciæ Prouinciæ Apostoli, Episcoporum oraculi, solemnisque consecratarum Deo fœminarum directoris. Nec opere externo absorbebatur totus, qui & manum domesticis negotijs admouit, renuntiatus Censorque, Prouincialisque, ac tandem bis Abbas Fuliensis, Congregationis Pater, quam post laudatissimè administratam, postridie Cal. Decembris spiritum reddidit Creatori, in Ciuitate Vzerche nuncupata, vbi anno 1670. senem agebat quadriennio minus octuagenarium, adhuc tamen

tamen sibi parem, intentumque sermonibus ad populum habendis in Festis, quæ Dei sub forma hominis natalia in Orbe præcurrunt.

1663. *Arnaldus à S. Bernardo* iussus prosequi munus & consequenti triennio.

1666. *Cosmas à S. Michaele, Rougier, Parisiensis* Generalis Præfectus nono Cal. Iunij Cellis consalutatus, Historiam quidem temperare suis à laudibus mallet, at calamus ad virtutum Encyclopædiam in eo celebrandam lubens festinans, haud remoram patitur. Religionis sacramentum sexdecennis enuntiauit, ac consuetis edoctus facultatibus, humanis nempè, ac diuinis, publicum agere Ecclesiastem instituit, quòd eò selectiores naturæ dotes animum euocarent. Mirùm autem quantam sibi ardua in hac palęstra existimationem conciliarit. Gallicum Herculem, sed Hercule feliciorem facilè dixeris, qui aureis exquisitioris facundiæ nodis audientium animos & sibi, & Cœlo deuinciret. Certarè Vrbes, certare inuidiosa æmulatione suggesta tanto occupari Oratore. Inculpata in eo dictio, fusa, & elegans, copiosa, & selecta, suauis, & ardens, ingeniosa, ac frugifera, & quod rarissimum, aures mulcens, ac pectora feriens. Non actio compta, non lepida vox, & plena; non apta in eo desiderata præsentia. Perorator absolutissimus, si quis alius, claruit. Iniurius sim viro ad miraculum celeberrimo, si illum ingenio, ac moribus instructissimum ad eruditorum admirationem, ad nobiliores Congregationis gradus, ad famæ præconia, tandemque ad Pedum Episcopale breui sibi munijsse viam comprobare enitar. Ludouico XIV. Galliarum Monarchæ, magnis in viris dignoscendis maxima prædito sagacitate, sacræ eloquentiæ sua ætate Princeps visus est, ac dignus, qui in magnis Aduentus, & Cinerum ferijs ad Regiæ aulæ declamandum ter repeteretur. Nec vnum tantùm Regiæ existimationis proferam argumentum. Post assumptionem ad Infulas Generalitias, Cosmam ad se accedentem, lepida Ludouicus gratulatione excepit: eum iuremeritò in Fuliensium Præsulem renuntiatum inquiens, qui & Prędicatorum iamdudum Antistes suspiceretur. Grauem aliquem Ecclesiasticum ad Serenissimum Etruriæ Ducem serijs pro negotijs ablegaturo, vnus ob oculos incurrit Cosmas, selegitque. Quem postremò Pastorali è fastigio sacrum ius Lamacensibus dicere voluit, & Pontificiam sedem pro dignitate implentem, Diœcesim suam eo diuini cultus zelo com-

ponere, quo Monachorum mores supremus Rector formauerat. Huiuscemodi in munere adhuc viuit, pergitque ad Congregationis decus, & sui nominis perennitatem, communis applausus aura, vela facere secundissimè.

1669. *Cosmas à S. Michaele* confirmatus in prima sede nouo totius Congregationis placito emanato in præfata apud Cellas-Bituricum domo die vigesima Maij.

1672. *Petrus à S. Francisco, Rougier, Lemouicensis*, vt Fuliensium lacernam induit, suscepitque Institutionis authoramentum, religioni æqua attribuit spatia, ac disciplinis, tàm præstans animo virtutum sationi idoneo, quàm ingenio præditus doctrinarum culturæ perapto. Omnigena claruit Minerua, diserta Rhetoricorum eloquentia, suaui Musarum amœnitate, subtilibus Scholasticorum controuersijs, solerti Iuris Pontificij, atque Cæsarei discussione, exacta Historiarum peritia, maximè verò diligentissima vetustatis indagine. Iuuabat ingenium portentosa memoriæ facultas. Si quis vnquam viuentis Bibliothecæ dignus præconio, is proculdubiò extra Rogerium minimè conquirendus. Quidquid semel in eius sinum vel incuriosè coniecisset, inhærebat tenacissimè, poteratque, velut ex numeratò, depromere mira facilitate. Eruditionis quà sacræ, quà prophanæ ipsos etiam apices referebat, haud secus, quàm si legendo percurreret. Canonistas ad linguam habebat paratissimos, quippè qui responsa sciscitantibus designaret voluminum partes, paragraphos, folia, puncta, ipsas etiam lineas, idque extemporaneè. Sed, quod maximè opus erat, vt doctrina eminentior assurgeret, eamdem strictioris vsu obseruantiæ, feruentiori in Numen pietate, & si quid reliquum est, Monasticarum virtutum, in basi constabiliuerat. Humilitatem cùm redoleret, propria indumenta, ferias inter curas, sua manu sarcire, aliaque præbere sui demissionis exempla, deuotionem ob oculos ponebat, vltra consuetum Odei pensum, temporis plurimum in precando insumere. Cùmque tolerantiam saperet parci victus ratio, mansuetudinis speciem præseferebat parcere linguis, ac obtrectationibus obsurdescere, si qui minus mores, ac literaturam probarent, laudarentque. Maioris erant momenti tot animi, studiorumque applausus, nec delitescere intra Monasterij recessum patiebantur. Litium grauissimas sapienti componebat arbitrio, quòd ad temperandas partes apprimè valeret

exco-

excogitatis rationibus, matura dexteritate, & opportunis consilijs ad animos in suam pertrahendos sententiam. Ascetam cõmendatis laudibus cumulatissimum nobilioris citrà insignia dignitatis; sat propria euehebant merita; cum & ipsa, ornamentum potiùs acceptura quàm collatura, eidem addenda censuit Patrum Senatus aduocatus ad S. Maximini septa pro votorum collatione Idib. Maijs habenda. Nec semel tantùm Principatum assumeret rei Fuliensis voluere Comitia, sed fasces triennio elapso depositos noua renuntiatione iteratò capesseret comprobarunt. Verùm aliud petebant detrimenta valetudinis, quę eius ætatem nono & quinquagesimo anno circunscripsere. Itaque excessit Parisijs è regione mortalitatis tertio Id. Nouembris 1675. humo conditus in aula capitulari, vbi Cœnobiarchæ seræ posteritatis laude dignissimi, ac diutiùs lugendi, quòd non diutiùs rexerit, legitur etiam sepulcralis Inscriptio, quæ sic habet:

Hic iacet Reuerendissimus Pater
D. Petrus à S. Francisco
Nota apud Lemouicos Rogeriorum familia,
Quo occumbente
Occubuit Fuliensium Caput,
Quippè qui
Pietate, Religionis zelo, ac eruditione conspicuus
Toti Congregationi bis præfuit,
Pluriesque præfuisset,
Nisi primo completo triennio,
Alteroque à sex mensibus incboato;
E viuis abiens
Sui desiderium omnibus reliquisset,
In vno verò habeto plures,
Vtpotè in quo
Multorum insigniora naturæ præmia
Assensu singulorum adunabantur,
Mens scilicet fortis, & præcelsa,
Pectus sapientiæ ferax
Memoria adeò tenax,
Vt nullius vnquam scibilis oblita
A posteris nunquam sit obliteranda

Etsi heu! hic Vir in tantis maximus
Deuixit sexagenario minor
Anno salutis 1675. die xj. Nouembris
Viator abi, & consule tibi.

Hactenus elogium ad tumuli decus, & nominis perennitatem appositum, quòd si disertiorem adhuc Rogerij laudem quempiam audire delectet, adeat, fas est Io: Baptistam Pradillionium in præfatione *Praxis Iuris pro Congregatione Fuliensi*, quam illo iubente elucubrauit.

1675. *Petrus à S. Francisco* altera renuntiatione in eadem S. Maximini domo celebrata Cœtui moderando adlectus.

1678. *Io. Dauid à S. Bernardo*, *Tourseus*, *Parisiensis*, Generalis Abbas apud Bituricos die 6. Maij consalutatus, nominibus amplissimè respondit suis, prębuitque quem spondebat virum in Ioanne religiosum, & Deo gratum, in Dauide dilectum, ac fortem, in Bernardo autem suauem, ac morum fragrantiam redolentem. Ex pręclara vitę ratione dignosci facilè queunt desideratissimę huiuscemodi claustrali quoque in Antistite partes. Gratię diluculum pręluxit in iuuenta omni procul vitiorum cęno transacta. Illa à Sęculo auulsa, & Cistercij restituti collocata in sinu, id quod Plessiaci gestum sexto Idus Maij anni tertij & trigesimi supra millesimum ac sexcentesimum, sese absolutissimum in Cœnobitam efformando spiritualium rudimentorum tempus impendit. Hinc è tyronum palęstra ad veteranorum aciem eductus, alter Dauid censeri potuit seù in viribus diuturna communi cum hoste in lucta conserendis, seù in gratis de aduersario prostrato laudibus regiam ad eiusdem citharam Deo psallendis. Per quinquaginta totos annos potuit vi supernè sibi collata asperrimè cum corpore agere, ac recenti semper spiritu ad studiorum labores, omniumque spectatissimi Ascetæ numerorum promptitudinem vegetari. Cùm autem, fato volente, ascendit superiùs, quantus, quantus fuit, omnium consensu totus norma, totus fuit Institutionis nitela. Id præstitit nedum accurata tractans manu, quæ molliorem animaduersionem nequaquam exposcerent, sed nectarea etiam dulcissimi Parentis regendi methodo. Hac potissimùm omnibus acceptissimus statutum supremo muneri trium annorum curriculum absoluit, & Visitatoris Generalis cum decore adhuc inter mortales agens, gloriæ superest suæ, hic quidem breuiori cum lau-

de

de dimittendus, à posteris verò ampliori elogio donandus.

1681. *Io. Baptista à S. Anna, Pradillion, Lemouicensis* ex Vrbe *Emoutier*, Fuliense tyrocinium ponentibus in domo Reformationis parente postridie Calendarum Martij anno 1659. adnumeratus, vt se se strictioris obseruantiæ, votorum dictione, verè mancipem cognouit, animum addidit scientiarum nitori, quo Religionis ornamentum augeret. Humaniores literas abundè iam in Sæculo hauserat. Hinc altiorum disciplinarum facturus periculum, aperuit sui perspicaciam ingenij Doctoribus primò inter facultates audiendas, magis magisque cum eorumdem Antesignanus illas profiteretur ex Cathedra. A scholasticorum placitis digrediens ad Canonistarum arenam, ijsdem Græcæ cultum linguæ, sacræ exercitium eloquentiæ, Musices quoque intermiscere oblectabatur peritiam, quò suæ mentis Athenas multiplici florere doctrina contenderet. Super hæc typos occupare placuit, & impressionis beneficio accommodare publicæ vtilitati, quæ otij eruditi in gratiam elucubrauerat. Iam verò, quòd planè Deo sacrum indutus hominem, virtutum etiam reformato Monacho condecentium corona fulgeret, Sodalium exemplum, iubar, & Coriphęus adlegi promeruit, creatus Prior, Procurator Generalis in Vrbe, & Coloniarum censoria porestate lustrator. Dum igitur meliorum Artium optimè gnarus æuum decorat, dum vigiliarum editione posteros cogitat, dum varijs solicitudinibus Congregationi obsequitur, excitauit Patrum vota ad Cęnobiarchæ pondera ei deferenda. Qualem præbuerit Archimandritam ipsimet inquiunt suffragatores, qui primam electionem celebratam Parisijs Dominica quarta post Pascha anno 1681. comprobarunt, collaudaruntque secunda enuntiata mense Maij anni 1684. in Meximiacensi Abbatia, eaque cumulatissimè perfunctum Antonio à S. Benedicto clauum in præsentiarum regenti Assessorem designarunt. Sed de viuentis, ac intimi amici laudibus satis, haud enim adulatoris notam effugiam, nisi illustriorem eius commendationem alijs commisero.

1684. *Ioannes Baptista à S. Anna* altera creatione supremo munere cohonestatus.

1687. *Antonius à S. Benedicto, Fremicour, Perrona* natus, in cuius designatione Congregatio ostendit se adhuc minimè effætam esse præstantissimis viris, maximè regimini aptis. Suam ornauit iu-

uentam

uentam diuini mancipio obſequij, ſuſcepto die 28. Octobris anni 1659. ad S. Bernardi Pariſijs. Auxit diſciplinæ adſtrictioris laudem parta ſibi ſcholarum in puluere ingenij fama, & quidquid eſt Fulientini Inſtituti,ac moris ſcientiſſimus, cumulauit literarum gloriam vario munerum, eorumque perilluſtrium exercitio; Prioris in Abbatia Reformationis Matricæ; Prouincialis in diſtrictu Burgundiæ, Procuratoris Generalis in Curia Romana. Sui tandem nominis decora, Cœtus felicitatem, ac Fulienſium Cœnobiarcharum ſyllabum coronaturus, Principe dignitate condecoratur à Patrum ſuffragijs eius promotionem maturantibus in Monaſterio Meximiacenſi anno 1687. idque ſtatuto à legibus tempore, nimirùm quarto poſt Paſchatis ſolemnia dominico die. Ius Monaſticum prudentiſſimè, ac zelantiſſimè dicit, dicetque, quandiù fuerit meritis honos, & ſuum celſiori virtuti pretium.

ABBATES GENERALES
CONGREG. REFORMATORVM SANCTI BERNARDI ORDINIS CISTERCIENSIS IN ITALIA.

Anno 1633.



Philippus à S. Ioanne Baptiſta, Malabayla, Aſtenſis, Congregationis Italicæ ſub noua Reformatorum Diui Bernardi attitulatione erectæ Principem magiſtratum primus inijt feria ſecunda poſt Dominicam ex ſubſequentibus illapſui Spiritus Diuini in Orbem primam. Canalij, quod pernobile eſt Liguriæ Mediterraneæ Oppidum, Comitis filius, annorum octodecim adoleſcens clauſtralis vitæ manceps ſuſcipitur in Pinerolienſi Patrum Subalpinorum eò temporis domicilio. Præclara indole, & ingenij felicitate genus cumulauit ſuum, Aſtenſes inter Patritios emicans. Hiſtoricis elucubrationibus benemeruit de Patria, de Abbatia Beatæ Mariæ Virginis propè Montem-Regalem, de toto Ciſter-

Cisterciensium Cœtu, imò de vniuerso, amplissimoque Ordine Sanctissimi Monachorum Occidentalium Patriarchæ Benedicti. Gallicam linguam Lutetiæ edocuit Maffeum Barberinum Romanæ Sedis apud Regem Christianissimum Nuntium, à quo posteà, sub nomine Vrbani VIII. in Pontificem Summum assumpto, varijs meruit fauoribus cohonestari. Diuo Francisco Salesio cordis arcana sacramentaliter aperienti sæpè aures præbuit, cui etiam vltimum agenti spiritum adfuit, & solemni peroratione emeritæ existimationis pensum Lugduni in funere exoluit. Morum candore angelicam redolebat puritatem. Gradum in Congregatione primum post minores alios Abbatis, Visitatoris, Prouincialis attigit. Stirpis ingenuitate, Parentum splendore, ingenij, animique dotibus ornatissimus, ad Episcopales etiam Infulas velificabat, nisi vir humilitati addictissimus eas vltrò sibi oblatas constantissimè respuisset. Sarcinam mortalitatis deposuit in Patria 11. Octobris, ætatis vno octogenario minor, Religionis verò anno vno sexagenario maior, humanæ salutis 1656. animamque efflauit ad illa verba Psalmi centesimi quadragesimi octaui *Laudate eum in excelsis.*

1636. *Lazarus à S. Francisco, Martinez, Hispalensis*, vir, cuius si præclaras animi dotes, vitæque normam attendas, Monachorum instruendis, regendisque familijs vnicè efformatum condignè dixeris. Id quidem mirùm videri possit in homine, qui ab ineunte adolescentia Catholici Regis castra sequutus, in eo totus fuerat, vt bellicæ virtutis cùm in Iberia, tùm in Belgio, & in Italia varia obiret pericula. Verùm postquam, diuino euocante Numine, nobiliorem in arenam descendit, militiæ spiritualis rudimenta animo adeò inuicto posuit, vt cùm æui decurrentis anno primo & altero, decimo septimo Calendas Iunij eiusdem sacramentum, votis nuncupatis, dicendi effulsit dies, amplissimam spem fecerit eum deinceps æquè bellè repræsentaturum Monachum sub cucullo, ac dudum militem gesserat sub sago. Vnum erat studium, vna mens illustriorum palmarum puluerem se sibi proponere, & veteri homine vario certamine prostrato, non vnum trophæum, multiplici de eo victoria sibi erigere. Ad vigilias, ad abstinentiam, inuicta nouis sub signis arma, diuturno vsu facilè promptior euasit. Verborùm suspiciebatur parcissimus, nec agendi studiosus, nisi cum Deo in secretiori cellulæ silentio. Declinabat

nedum

nedum à consuetudine, aut alloquio, sed & ab aspectu ipso mulierum, à speciosioribus nimirum offendiculis, sanctiorum etiam hominum lapsu vel nimis notis. Cum puritatis adeò facili exitio aptissimis pugnabat armis, timore, & fuga. Seueriori in reliquis disciplinæ cauebat continentia à modicis, quæ austeriorem pessundant institutionem, morumque sensim inuehunt laxitatem. Vota diues inopia, lauto vrporè patrimonio, cuius opes sunt ipsæ Cœlorum gazæ, mercedes Catholici Regis sibi nondum solutas, Congregationi enumerarentur, impetrauit, emeritum militem vnà præbens, rudemque Tyronem, qui suis stipendijs castra locupletaret, in quibus mereri nouissimè instituerat. Ad hæc ardens illi promouendi boni communis studium, profunda prudentia curis par solicitioribus, amplissima mens digna theatro, quo se proderet, & latè aperiret. Inferiores eum haud exhauriebant dignitates, ideòque suprema Generalatus occuparetur operæpretium fuit, ad quam idcircò ei deferendam conspirarunt Patres in Comitijs habitis Monte-Regali apud Vicum mense Octobris anni 1636. Nominibus abundè satisfecit suis, grauior tantummodò visus, ac vultuosior, quàm Cœnobiarcham deceat, qui se claustralem Antistitem negat, nisi paterna facilitas omne aspectui demat supercilium, ac vultum clementissimæ suauitatis coloribus obumbret. Vitæ periodum octogenarius absoluit Florentriolæ ad Sancti Ioannis Baptistæ annò duodecimo post triennalis regiminis clausulam, seù 1652.

1640. *Ioannes Franciscus à S. Bernardo, Maynardus, à Monte-Regali*, cùm à votis emissis, emisit autem Pinerolij faustissimis sub auspicijs Virginis absque labe Conceptæ die octaua Decembris, annos duntaxat septemdecim enumeraret, primam Congregationis sedem conscendit. Pietate vel ab ipso vitæ à Mundo sequestris limine Sodales anteibat cæteros, vt citrà admirationem sit præcessisse tàm citò & dignitate. Vix Sacerdotio initiatus aptior inuentus est, qui tyrocinia temperaret, ac ornatissimæ pubi sanctiorem instillaret mentem. In Taurinensis etiam domus regimine, sicut & in procuratione negotiorum penes Curiam Romanam prudentiam iam probauerat suam. Ad totius Sodalitatis moderandas habenas in Monasterio S. Pudentianæ de Vrbe tot meritorum suffragijs postmodùm euectus, aulæ Præsulum, Patrum Purpuratorum, quin & ipsius Summi sacro-

sacrorum Regis Vrbani VIII. gratia polluit plurima, quòd morum compositione, verborumque suauitate Mellifluum Bernardum referens, eorum sibi beneuolentiam facilè pararet, conciliaret animos. Quamplures Ecclesiasticâ, & laicali potentia clari illius Cellulæ limen terebant, seu arcanas noxas in pœnitentiæ Sacramento eius auribus expositùri, seu in magni momenti negotijs exploratùri consiliũ. In tanta apud omnes Ordines existimatione triennalem Infulam ad quinquennium sustinere coactus est, ipso Sanctissimo Apostolica pro auctoritate iubente, quod contagiosa lues, Pontificiam vbique ditionem funeribus implens, conuenire Patrum Senatum prohiberet, à quo ei successurus deligeretur. Cæterùm & ab ingenio commendandus, diserto commentario, prænotato *Idea magistri claustralis*, dilucidè edocuit actum iri eum Monachorum Institutionibus, si disciplinæ candidatis citrà delectum pateat accessus. Optimè è contra cum eisdem esse, si constanti vocatione pertrahantur, si admissi altiori imbuantur disciplina; si ad solidum virtutis puluerem impigrè emetiendum exerceantur. Ad spiritum Diui Bernardi efformatus, Diui Bernardi spiritum calami penicillo sui ad viuum expressit docto volumine, postumis aliquando luce donando. Alijs literarijs monumentis incumbebat pietatis amplificationi, soæque gloriæ diù victuræ post fata, in quæ concessit Mediolani die 17. Nouembris 1665. annos natus 60. Religionis autem duos supra quadraginta.

1643. *Ioannes Franciscus à S. Bernardo* ex annulo Pontificio confirmatus ad biennium.

1645. *Lucas à S. Carolo, Bertolotus, à Clusia Oppido inter Montem-Regalem, & Cuneum* hanc Sodalitatem nominè, & gestis illustraturus, eamdem sibi ineundam instituit anno 1624. solemnibus votis authoratus septimo Idus Decembris anni insequentis. Ad honores adeò prosperè vela fecit, vt inferiores præfecturas tantum minimè obierit; sed Procuratorem Generalem semel, semel Visitatorem, ter Prouinciæ Subalpinæ Prouincialem, septies Abbatis Generalis Assistentem, bis Abbatem Generalem gloriosè gesserit. Prudentia adeò valuit, vt à primis Comitijs, quibus Discreti munere interfuit, acta autem hæc anno 1640. reliqua deinceps ab eius sententia ne lato quidem vngue discesserint. Verùm quanto cum Institutionis incremento tandiù penes ipsum stetit rerum summa? Commendata

ſibi munera ea ratione ſuſtinuit, vt nunquam vacarit à vigilando in Reipublicæ amplificationem, & ab elucubrando in rei literariæ incrementum. Scholarum decus, vbi iacere vidit, erexit, reſtituit, reſtitutumque optimis ſancitis muniuit. Cùm Cenſor Monaſteria inuiſeret, nihil illi iucundius, quàm iuuentutem cernere ad omnem Cœnobiticæ conuerſationis, & ingenij optime imbuti laudem efformari. Eapropter cauit ne domorum præfecturæ iiſdem mandarentur, qui doctrinis leuiter tincti, ſubditos adoleſcentulos ad eruditæ ſegetis ſpem educari contemnerent. Philoſophicæ, & Theologicæ facultatis cùm Lectores, tùm Auditores iis omnibus honeſtatos voluit priuilegijs, quæ vel inter ſcientijs addictiſſimas Religioſorum Societates ampliſſima cenſentur. Humaniorum etiam literarum, vbi oportuit, ludos aperuit, imò Rethoricam ipſemet docuit. Claris ex noſtra diſciplina profeſſoribus ea epidemica lue ſublatis, quæ totam Italiam ſub ea tempora latè depaſcebat, lauto ſtipendio exteros adſciuit Lectores, qui vacuas implerent Cathedras, & ſuccreſcentem præberent ſobolem magiſterijs ex noſtratibus reficiendis idoneam. Nec ingeniorum Mecænas ingenio caruit. Muſas latinas, Italicaſue, ac quidquid eſt politioris literaturæ metris non illigatæ perinde coluit, ac ſi à facultatibus ſpeculatiuis abhorreret, facultates verò ſpeculatiuas exercuit, promouit, haud ſecus quàm ſi illis duntaxat oblectaretur. Hinc nominis ſui famam calamo, & dignitatibus perennare cùm facilè poſſet, eidem etiam conſultum voluit & beneficijs in Monaſteria collatis, adeò vt viuens adhuc, in Cœnobio Montis Regalis marmoreum ſibi monumentum erectum aſpexerit vnà cum effigie, & epigraphe vt ſequitur:

Reuerendiſſimo P. D. Lucæ Bertoloto Abbati,
Quòd præſens Monaſterium
Regularibus ædificijs à ſolo extructis
Auxerit, & ornauerit,
Abbas, & Monachi
Perpetuum hoc grati animi monimentum
P. P.
M. DC. LXXVI.

Ad Patrum cineres appoſitus eſt Romæ, vbi è mortalibus abijt anno 1682. vndeuigeſima Maij.

1648.

1648. *Antonius à S. Ioanne Baptiſta, Molinarius, Cremenſis*, Anteceſſorum, Succeſſorumque nemini profectò ſecundus, ſi morum norma, ac directionis felicitas potiſſimæ Generali in Archimandrita laudes ſpectentur. Pudebat initam vocationem momentis ſuis nequaquam expendere, ac proindè laborare in ſpeciem, & perfectionis Cœnobiticæ quādam veluti laruā Religioſæ cum profeſſionis habitu induere. Solidam itaque ad virtutem contendere prima illi, & continua mens fuit. Non fugam à Sęculo, à Mundo ſubducere aiebat, ſed curarum abdicationem Sæcularium. Monacho mente integra Deo feriandum. In quam ipſe rem totus perquàm parcè negotijs ſe temporalibus immiſcebat, orarent licet, deprecarenturque viri potentes. Erat & multus in cæteris vitæ Aſceticæ legibus, ſiuè ſomni fuga corpus vigilijs attemperaret, ſiuè ciborum parſimonia attereret, ſiuè terrenis ieiunum voluptatibus, cœleſtium deliciarum copia orando ſe ſe, ac meditando recrearet. Præcipua verò in eo virtus virtutum corona charitas. Inter domeſtica munera acceptiſſimum erat omnium, Oſtiarium agendo, ſtipem inopibus impertiri. Sin autem familiæ pręfecturam gereret, eiſdem aderat liberaliori manu, & feruentiori obſequio, quandoquidem Chriſto in ſuis pauperibus miniſtrando integram impenderet horam, quam noſtræ leges animis mutua colloquutione ſubleuandis liberam poſt refectionem ſinunt. In ipſis denique pro Congregatione luſtranda, ſeù pro regendis Comitijs aſſumptis itineribus ſingularem hunc pietatis ardorem agnouiſſes. Quantùm deferebat pecuniæ, obuijs egenis erogabat. Reliquum itineris Deo confidebat, dignus proindè qui inopinata Numinis ſubſidia multoties experiretur. Ingenio minus valuit. Attamen maius licet aliquod literarum ornamentum in eo deſideratum, vrbanitate tamen, & eruditione plauſus cōciliatricibus non caruit. Pendere ab eius vultu, pendere ab ore fas erat. Proferre verbum, pronuntiare erat ſententiam. Eluceſcebant ſiquidem in viri ſermone vti breuitas, ita & acumen. Generalitias ad Infulas non vnam tantùm, ſed iteratam euectionem prometuit. Exgeneralis verò alias minores obiuit dignitates, poſuitque ſpiritum apud Briſighellenſe S. Bernardi Monaſterium primis tenebris diei nonæ menſis Septembris ſeptuagenario maior, & à votis, quæ ſolemniter emiſerat in Eccleſia S. Pudentianæ 25. Februarij 1636. anno quadrageſimo tertio.

1651.

1651. *Ioannes à S. Catharina, Bona, à Monte-Regali*, cuius imaginem germanis efformaturus lineis, nesciam, an doctrinę, an pietatis coloribus adumbrauerim. In ipso ætatis diluculo vberiores cùm contingeret effluere lacrymas, sistebant illę cursum, simul ac li-berculum nutrix ostenderet, infantis Palladi profectò enati, & literarum studijs ad sui ęui stuporem emicaturi index planè luculentus. Verùm si ingenio pollebat optimo, indoles ei contigit longè florentissima. Hęc ipsa in causa fuit, vt adolescentiam inter aras, & lycea transigenti, lycea aris posthabendi quantocius subiret animus. Itaque à mente humanioribus literis imbuenda, ad animum religiosè excolendum animum conuertit totum, Cisterciensem disciplinam complexus puer quindennis. Votis nuncupatis postridie Cal. Augusti 1627. in Abbatia Pinerolij, mente inclarescere ampliori mox visus. Ingenium fœcundabat, illustrabatque religio. Humanas, ac diuinas facultates breui haustas, diù feliciter explanauit, sui ęui ęquè docto concedens nemini. In huiuscemodi studijs multus, totus erat in alijs, quibus & se Deo docibiliorem pręberet, & suis temporibus populus Deo seruiens & numero,& merito augeretur. Ad hunc scopum collimans euoluebat assiduè Tractatuum Asceticorum Auctores, Sanctorum Patrum vigilias, veterumque Philosophorum, qui grauiter dictis christianis moribus propiùs accedunt, commentationes, & memoria præstans viuacissima, succo omnium delibato, monumenta edidit ad promouendum Dei obsequium præstentissima. Nec cultui virtutum minus impensè vacabat, quàm literarum monumentis. Musarum nitidiores stylo, & honestiores plectro eas vel à studiorum crepundijs solummodò coluit. Puritatis amor, vt pectori altè insedebat, ita vultum ingenuo pudore egregiè honestabat. Ab ea illibatè seruanda nullo cupidinis lenocinio frangi vnquam potuit, cuius faces gemino congressu fortiter extinxit, impudicarum mulierum sputo altera, altera verò ingenioso dolo gloriosè deuicta. Profundioris, subtiliorisque ingenij vestigia cùm multa edere posset, pijs concinnando opusculis libentiùs incubuit, quòd se erudiret, dum alios edocere parabat. Elucubrare itidem aiebat, quò sanctè tempus tereret, non quò nominis perennitatem scriptionis pręconio compararet. Incessu, verbis, habitu summam pręferebat modestiam. A gradibus Ordinis feriare etsi maluisset, meritorum tamen apice Genera-

neralatus fastigium post inferiores dignitates attigit. Sed hactenus visus latuisse Bona, qui in tanto licet famæ splendore, in tanta claritatis luce collocatus, tunc innotuit, cùm fauentibus Alexandro VII. & Clemente IX. præcipuis ingeniorum patronis, audiri cœpit in sacris Cœtibus Indicis, Rituum, S. Officij, necnon & Indulgentiarum, ac Reliquiarum. Plausus omnium illicò exciuit mentis perspicacia, consiliorum pondere, prudentiæ maturitate, Sacrorum peritia Canonum, Historiarum notitia, maximè verò Ecclesiasticarum, omnigenæ denique doctrinæ, & eruditionis affluentia. Illum Purpurati Patres, illum prima scientiarum nomina frequentissimè adibant, aut consilio in rebus magni momenti vsuri, aut aliquid exquisitioris doctrinæ nunquam non audituri. Curis obruto dies elabebatur tota. Commentationibus iamdudum elaboratis elimatiorem addere manum cùm tempus minimè fineret, nocturnæ quietis somnum paucis definiret horis oportebat. Ipse Summus rerum Sacrarum Antistes Alexander VII. gloriabatur tantum virum, aliàs delitescentem in publicam Orbis lucem, se auctore, productum. Nihil curæ solicitioris agebat absque vtili, & opportuna opera Abbatis Bona. Flauio Chisio suo ex fratre nepoti ad Regem Galliarum Ludouicum XIV. cum potestate Legati à Latere proficiscenti Theologum adiunxerat, nisi ætas ad senium nimis deflexa, iter iam adornantem præpedijsset. Animum verò Pontificis sapientissimi sermonis facundia, ac eruditione intantùm recreabat, vt colloquijs pomeridianis continuus adesset, & autumnali tempore inter domesticos adlegeretur, si illum Castrum Gandulphi aliquandò petere contingeret. Vt autem elucubrationibus, muneribus, Vrbis, & Orbis plausu celebris haberetur, clarior aulæ Romanæ oculis emicabat, modestia, vrbanitate, singularique animi modestia sui. Humilitate duntaxat refragante rerum summam, quandiù in Congregatione constitit, non administrauit. Enimuerò Vocalium calculis primò, & mox, Alexandro iubente, secundò, & tertiò Abbas Generalis renuntiatus, Magistratus fasces nunquam deposuisset, nisi in Ordinem se redigere, studiorum deprecatus incommoda, summis, imisque precibus impetrasset. Ab eodem Alexandro magnæ Camaldulensium Eremi, quò pacem sacræ inter familiæ alumnos restauraret, Pontificia auctoritate designatus Visitator, Prouinciam declinauit, ac iter. Episcopatum Astensem à Ca-

à Carolo Emanuele secundo Sabaudiæ Duce sibi oblatum constantissimè reiecit. Qui verò omnia ab Alexandro acceperat, Romanam tamen Purpuram debuit Clementi IX. Sed quibus ad eam contentionibus sibi gradum fecerit, ex vitæ concinnatore petendum, vbi habetur: *Alterum ante annum Cardinalitiam huic, ad quam deindè eum assumpsit, Purpuram iam Pontifex excogitauerat, quod cùm sibi intimo patefecisset Cardinalium alicui, ratus is rem sibi fore perutilem, si Ioanni innotesceret, quàm laudatum à se hoc Pontificis propositum, quanta deprompta item in eius laudem encomia, quæ, vt propositum promoueret, recitasset eius merita, quas, vt idem solicitaret, reiecisset rationes, eo ad se accersito, per ordinem eidem ex animo congaudens horum singula indicauit. Ad hæc dixisses, Eminentissime, nihil Ioanni anteacta in vita accidisse funestiùs; pallet vultus, tremunt artus, ruiturum ac si Cœlum quis illi minatus esset. Reluctari Pontificis proposito, & Cardinalis commendationi parauerat, sed huic ille verba subitanea intercipiens dimissione, eumdem nedum loquentem, expectari illo momento ab Clemente fassus valere iussit. Prosternatus Ioannes animo Monasterium redit, cubiculumque deinde ingressus reassumpto paulatim spiritu, omni ad consilium cogitatione vocata, excusationes, quas Eminentissimus, cuius nomen consultè taxetur, afferri vetauerat, fida pagina eidem mittenda committit. Pingit in ea se totum Ioannes penicillo vsus nullo, quàm quem sibi ingenuus animus præstarent, & summa modestia. Consumptos annos in studijs fatetur, sed longè se minus, quàm percrebuisset fama, sapientem, vtpotè hoc titulo mediocribus minorem. Præter doctrinam, alia in purpurando perquiri multa, prudentiam Eminentissimo dignam titulo, solertiam aulæ astubus parem, quorum sibi, viro quippè ab ineunte ætate intra Claustrorum solitudines sepulto, nec radices vigescerent, nec rami. Expectandum sibi, ab Claustris si abstraheretur altiorem ad statum promouendus, id prorsus, quod ijs vsu venit, qui quorum linguam penitùs ignorant, terras incolunt tàm enim idiomatis aulæ, quàm rationis rudi omninò, summo suo dedecore improspera sic cederent omnia, vt hanc sibi procuranti illud improperari meritò posset, eleuans allisisti me. Addidit nihil magni ab eo summa in dignitate sperandum, qui tertium post quadragesimum iam annum Monachus, vt sibi contigerat, perfectam Monachi nondum egisset*

perso

personam; quamobrem, & praeesse suis nunquam nisi coactus assentiri voluisset, & oblatum sibi Asta Pontificium tam respuisset auribus, quam fugerat animo, quocumque à Præsulatu tam genio abhorrens, quam cuique ineptus. Hoc idem prosequens argumentum, sexcentas similes defugiendo honori aggerans rationes, & ingerens, ingenuam fassus genitoris nobilitatem inter Patriæ Ciues commendabilem, popularem genitricis, unde sibi exortam agnosceret infimæ sortis propinquitatem, accusat genus. Subiuncta hinc, & obiecta nudo homini immensorum sumptuum impotentia, Eminentissimum per Sanctos, per sacra, auertere ab ijs animum, & sua se in vocatione relinqui obtestatur. Demum pro literarum coronide, ut aliquod adijceret suo effectu non frustrandum; obsecro, inquit, Spiritum Sanctum, ut aut aliam tibi suggerat de me extollendo mentem, aut mihi ne extollar vitæ annos decurtet; mori enim mihi dulcius erit, quam ad dignitatem assumi, cuius vsibus impares mihi præsentio vires. Hactenus Bona pro sua in augustã Purpuratorũ Patrum classem cooptatione auertenda, ad quam tamen, obluctante licet animo, se se assumptum conspexit tertio Cal. Decembris anni 1669. Creuit purpurea cum trabea profundior animi demissio, ac velocior honorum fuga. In Comitijs Clementis X. cùm nonnullos Sacri Senatus Patres de supremis Ecclesiæ fascibus sibi deferendis agere coniecisset, ad eum, quem præ cæteris erga se studiosiorem noscebat, suam in hæc verba mentem aperuit: *Quæ vteris in tractando negotio mihi abs te communicato, incomparabilem prudentiam laudo, simulque admiror, & hanc velim in legendo Pontifice, & eligendo vi adhiberes. An mihi Hispanorum fuerit adempta exclusio, penitus ignoro, hoc vnum scio, perennari scilicet alteram, & Dei nempe, & meæ conscientiæ. Voluntatis Dei non est, minatur æternam quinimo damnationem, ni oneri obluctor, cui me imparem euidenter dignosco. Hinc antiqua firmior semper in mea deliberatione, facilius tibi fore polliceor, vt hinc supra feretrum efferar, Pontificiam quam super Cathedram. Hæc omnia porrò ne longiorum Comitiorum tanto cum Orbis periculo, & scandalo causa, quamuis remotissima forent, horum ab initio, nec silui, nec dissimulaui. Et nunc te denuo obtestor, ne quicquam de me loquaris, quippè nihil profuturus. Vt autem paucis me expediam, nolim eousque tentari, vt iam recusandi, quem sic ambiunt multi, Pontificatum,*

publi-

publica ostentatione uti mihi opus esset. Obnitenti parce, Dei honor, salus mea, dignitas tua sic exigunt. Nec ab huiuscemodi præclaris modestiæ, humilitatisque vestigijs discrepabat reliqua vitæ ratio, quam post rosei susceptionem Galeri pristinæ consimilem, quantùm licuit, retinuit. Parcissimus in somno, vnoquoque manè Cœlestem Deo Hostiam horis antelucanis litabat, Diuinique Officij penso persoluto, sacris Cardinalium consessibus aderat ipse inter primos. In domestica supellectili nihil luxui, in mensæ apparatu nihil delitijs seruiebat. Schedulas prædiuites munificis à Principibus exhibitas, largiorum contemptor opum, non admisit. Sacerdotia minus opulenta, quàm ad sustinendum Purpuræ splendorem satis forent, paucis contento, abundè suppeditabant quod pauperum indigentijs impertiretur, & ad augendum Cardinalitij sui tituli decorem impenderet. Ornabant aulam integerrimi aulicorum mores, & omnium quidem, maximè verò Laurentij Comitis Cassonij ab Innocentio XI. inter Cubicularios, vt vocant, honoris postea adlecti, arcanas notas scribentibus Præfecti, alijsque grauissimis Sedis Apostolicę negotijs adhibiti.

Monasterium Sancti Bernardi ad Thermas, suum, dum Cœnobitam Romę ageret, domicilium, splendidissima liberalitate complexus, titulum Cardinalitium à S. Saluatore in Lauro illuc trasferri curauit, seque omnium primum eodem donari à Clemente X. obtinuit. Congruo assignato censu Sacrum annis singulis solemniter celebrari voluit ad Altare Mellifiui Parentis in die octaua Festi eiusdem dici. Pauimentum Ecclesię lateribus operosa arte sectis, & expolitis strauit. Ab Ara principe veterem Eucharistię Custodiam amouit, aliamque erexit ex ligno deaurato, sed quæ gratior assurgit ęqua ad reliquum templi proportione, forma quoque sphęrica consimili, duodecim striatis Columnis, totidemque Apostolorum Statuis, ordine dorico distributis compacta, & mysterijs sculpturę dimidiatę extantię Christi passionem, quęque illi præcessit, viuificam cœnam exprimentibus, prorsus spectabili. Chorum circumuestiuit sellis ex nuce crispantibus venis vndulata, natiuisque maculis vermiculata. Quod denique Ascęterium viuens tot intimę dilectionis deuinxerat signis, è regione mortalitatis demigrans magis obstrinxit, vltimis tabulis in eius fauorem conscriptis, quibus exquisitam Bibliothecam suam Mona-

naste-

nasterio donauit, quidquid verò aut supellectilis domi, vel pecuniç apud mensam Sancti Spiritus supererat, contulit in dotem Sacristiç, ornamentis ad cultum diuinum spectantibus futuram exindè instructiorem.

Eo tandem amore Monachos prosequutus est, vt nouissimam etiam Resurrectionis diem cum eisdem expectare voluerit, tumulo, dum adhuc viueret, sibi erecto in communi Ossuario sub Odeo, vbi iacet, omni circunscripta Cœnotaphij pompa, prçter lapidem ex marmore pario nihil à solo extantem cum Inscriptione

D. O. M.
Ioannes Bona
Pedemontanus,
Congreg. Sancti Bernardi Monachus,
Et huius Ecclesia,
Translato huc titulo
S. Saluatoris in Lauro,
Primus Prasbiter Cardinalis
Viuens sibi posuit.

Cçterùm, proh dolor! tantus hic Cardinalis longçuus minimè fuit; nam quinto inaugurationis anno febri ad quatuor supra triginta dies vexatus, hominem exuit octaua circiter noctis hora anno 1674. quinto Cal. Nouembris çtatis suç quinto & sexagesimo.

1654. *Franciscus à S. Nicolao Coquelinus*, *Bisuntinensis*, occidente seculo superiori natus, tertio & vigesimo decurrentis adhæsit Patribus Romanis, votaque publicè concepit ante Aram principem S. Pudentianæ Calendis Octobris. A puero inter Parnassi syluulas, ac Apollinis lauros educatus, carminis nitidissimi, facilis, copiosi vberrima affluebat vena. Emensis deindè humanæ, ac diuinæ scientiæ spatijs par erat, si quis alius, enodandis Philosophiæ naturalis contentionibus, elucidandis Theologiæ dogmaticæ controuersijs, informandisque conscientijs. Sed & Iuris Pontificij comparato sibi præsidio, valebat consiliorum maturitate, ac sententiarum pondere. An tanta floreret literatura ex Commentationibus liquet. Eas si quis euoluat, virum demirabitur nedum laudatis excultum doctrinis, sed & omnigena eruditione præstantem. Ingenij laudes cumulabant hominis interioris studia, animi demissio ab incessu, ab habitu, à

suorum silentio meritorum, à fusa aliorum dilaudatione probatissima. Cumulabat & Sodalitium quà ampliatum, quà optimè administratum, cùm in Monasteriorum aliquot moderatione, tùm & in Generali negotiorum apud Romanam sedem Procuratione. Vbi verò tanta mentis cultura, morumque religiositate inclinasset Vocalium Cœtum sedentem pro Comitijs in Cœnobio S. Bernardi de Albario ad supremo cum Magistratu anno 1654. donandum, strictiori obseruantiæ constabiliendæ animum appulit totum. Augeri eo Pręsule diuini operis feruor, amplificari conuersationis sanctitas cernebatur. Vbi seueriori disciplina agi oporteret, nullus planè Coquelino districtiùs. Vbi benignitatem res posceret, clementissimè se gerere, & Patrem potiùs exhibere, quàm Pręsulem. Totam inuisit Congregationem, & post Sabaudiæ peragrationem ingressus Burgundiam, Salinarum, Dolęque Ciuitatum omnes obuios habuit Ordines, effusa nimirum religione excepturos insignia Sanctorum lipsana, quę à Marco Antonio de Oddis Episcopo Ieracensi, & Vicesgerentis munere Romę fungenti accepta, secum deferebat patrię pietati dono danda, collocandaque Salinis quidem in Collegiali S. Anatolij Ecclesia, in qua sacris fuerat initiatus, Dolę verò in celebri Benedictinorum, Congregationis SS. Iuonis, & Aigulphi Collegio, cuius professionis mancipes inter viros Lexouiensem Abbatem germanus ipsius frater laudatissimè egerat. Absoluta triennali ad clauum sessione, Generalibus consilio adesse, aliasque exercere dignitates coactus est, tandemque Augustę Perusiorum degens, commune humanitatis pensum, è viuis abiens, soluit tertio Non. Maij anno 1672. cùm multò antea meritorum vela auris secundis adhuc plena publicis à curis contraxisset, quò spirituali otio liberiùs vacans, mortem oppeteret religiosiorem.

1657. & 1660. *Ioannes à S. Catharina* secundò, & tertiò.

1664. *Antonius à S. Io. Baptista* secundò.

1667. *Lucas à S. Carolo* secundò.

1670. *Io. Baptista à S. Geltrude, Cartonius, Romanus*, pręclara à Sęculo adornata fuga, vitę Asceticę ritis solemnitatibus deuouetur anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, antepenultima Decembris die. Facultatibus scholasticis mente ad stuporem viuida cùm sua tribuisset spatia, ad publica statim Congregationis onera auocatur.

tur. Non vnius tantùm, alteriusue Monasterij habenas tenuit, sed totius Romanę Prouincię rexit clauum, magno semper cum Sodalitatis incremento. Regiminis norma cuilibet admirationi esse possit. Singula veluti suis momentis consueuit obire. Nocturnę Psalmodię primus adesse, & à Numine incipere. Dei laude absoluta infirmorum inuisere cellas, domus officinas lustrare singulas, scholas frequentiùs ingredi, quò inspiceret, num labores ad iuuentutem doctè informandam disseminati vel vberiori cum spe sobolescerent, vel, infrugi concredita solo, deperirent, nec vllibi desiderari, nisi cùm lectioni vacaturus suo consisteret in cubiculo. A morum vrbanitate, à præsentiæ decore, à disertæ vi facundiæ, à prudentia in rebus agendis, maiorem, quàm dicere queam, sibi opinionem ab omni hominum gradu collegit. Virum alloqui, viri est sibi beneuolentiam conciliare. Cardinalis ideò Maximi, aliorumque Purpuratorum familiaritatem æquè, ac laudem, fauoresque promeruit. Contigit & in suam sententiam obfirmatos licet oppositam in partem animos plusquam semel flexisse, quod conijcere est ex magni nominis Ecclesiastico (Familiæ, Dignitati, Nomini parco) ad cor reducto. Morbo, qui eum triduò extinxit inopinatò afflictus lethaliter decumbebat, & in crastinum moriturus, de se disponebat in secula. Nec domui, seù conscientiæ, hortantibus licèt eximiæ probitatis viris, consulebat. Fatà sibi propitiora, quàm vt tàm citò vitæ lineam abrumperent, respondebat. Et longius æuum, & dignitatum etiam verticem, ex astrorum benignitate scitè perspecta sibi nunquam non spopondisse. Viro à spe adeò delira auertendo alij, alijque adhibiti. Verùm cùm non satis prosperè res ipsis cecidisset, vocatus tandem Cartonius, verbis adeò attemperatis, occiduæ, æternæque vitæ, nisi resipisceret, discrimen obiecit, vt saniori instillata mente, quæ in Deum deliquerat, corde contrito, actutùm accusaret, diemque extremum pietate gradui consona clauserit. Grauissimè iacebat, & alter. Consenuerat inter Amasiæ amplexus, nec eamdem, vel in ipso æternitatis articulo, domo, seù corde sciebat dimittere. Excellebat is Physica in arte, plurimoque ingenio pollebat. Ad hæc grauitatem affectabat quamdam, externamque pietatem, nec Pellicem se pellere nolle aiebat, sed suasionibus haud indigere. Factutum proculdubiò quod conscientiæ expiationi deberet, sed sponte facturum, & quando tem-

H 2 pus

pus posceret. Mulierem penes se habere, non ad Veneris voluptates, quibus iam impotens, verùm casta ad obsequia, nempè ad morbi subsidium. His responsis impuritatem prætexebat suam, eludebatque omnem resipiscentiæ spem. Felix Rospigliosius, cuius, inter alia Purpurata Vrbis Capita, corporalem is procurabat salutem, pessimam agenti mortem Cartonium admouere instituit, curatumque feliciter vidit. Enimuerò vt prudens animæ Hippocrates delicatiorem languentis indolem nouit, hortamentis ad genium accommodatis, ita facilè meliorem reuocauit ad frugem, vt Cardinalis peccatori Cœlo conquisito congaudens, non antè pedem extra domus limen posuerit, quàm consignatam sibi mulierculam aliò transtulisset, grauem comminatus indignationem, si vetitas repeteret ædes, aut decumbentem reuiseret. Ergò inter caracteres, quibus in totius Congregationis caput assurgere debebat Cartonius, præcipuus erat religio, proximus ingenium, ab hoc impensiora in communem frugem studia, denique & publica ad Antistitem excipiendum vota. Quæ Generalis gessit, conceptam expectationem abundè impleuere. Reformationem per Germaniam propagandi oblatam respuit commoditatem, ne & hanc in Sodalitatem illa ex multitudine deriuaret confusio, morumque dissonantia, quæ strictiorum etiam Institutionum quamplures soluit. Respondit itaque cupienti nostratum Coloniam collocandam in ordinis Benedictini, sed collapsæ sanctimoniæ Cœnobio: Reformatorum D. Bernardi Cœtum, Congregationem Italam esse, ac proindè sedere animis intra Italiæ limites contineri. Nec is fuit, vt superioris Pedi raptus splendore, eo dimisso, nonnisi maioribus admoueri dignitatibus passus sit; sed Abbatis sola nuncupatione aliquantò temporis contentus, ad familiarum etiam inferioris notæ administrationem libens descendit. Abbas in præsentiarum S. Pudentianæ de Vrbe disciplinæ vsum solita animi contentione prosequitur. Et fatisceret quidem sub asperioris vitæ pondere inclinata iam ad senium ætas, nisi corporis attritum laboribus robur erigerent, sublevarentque vegetiores semper, ac integriores animi vires.

1673. *Nicolaus à S. Mauro, Pistonus, Vigoniensis*, captus nostræ disciplinæ studio, vocationem suam in Pineroliј tyrocinio comprobauit, votis exinde nuncupatis apud B. Mariam de Stafarda tertio Cal. Martij anno 1633. Quà minoribus, quà maioribus cumulatus Præ-

Præfecturis plurimis iam ab annis floret. Et in minoribus quidem ad communis incrementa progressus, ad domorum vtilitatem, ad Ecclesiarum nitorem multifariam adlaborasse passim videre est. In Abbatia Beatæ Mariæ de Stafarda ædium sartamtectam omninò nobilem instituit, vt in vasta antiqui Cœnobij mole illa omnium pulcherrima audiat, quam ipse commodiori nostratum domicilio aptauit. Ad regimen familiæ Taurinensis translatus, præter domum suburbanam Monasticæ Palladis eruditis otijs conditam, præter pulcherrimam illam communi Patrum Cœnaculo donatam faciem, quam egregij penicilli tabula, Lectoris exedra, mensis, sedibusque ex nuce affabrè sculpta instructam intuentibus exhibet, curarum potissimæ applicuit, nec miraculosæ Virginis frequentissimum Templum vndique rimas aperire, vndique labascere passus est; sed ab Ara principe restauratione incępta, fornicem eminentis structurę nouis arcubus imposuit, parietes varijs artis gypsarię operibus, picturisue adornauit, planè vt oculis arridentiorem pudeat complanare, stetque adhuc in pręsentiarum, postquam exigente Vrbis deuotione, placuit quod reliquum erat antiquitatis euertere, & augustioris structurę nouam à fundamentis Basilicam excitare. Ad hęc pneumaticum fistularum Organum in Choro erexisse addiderim, nisi longè magnificentiori Romanam S. Bernardi ad Thermas Ecclesiam condecorasset, quod sumptuosi suggesti abaco decorè munitum, in capite ornatissimi Odei ad coronidem eminet, & Ecclesiam ingredientibus ad oculorum etiam oblectamentum è regione ostij statim incurrit.

Ad primùm verò implendum locum Romę anno 1673. designatus, consuluit mox indemnitati Bibliothecarum totius Congregationis, quas pretiosiori voluminum copia, ob faciliorem Sęcularibus eorumdem accommodationem minui imposterùm prohibuit, idque sub Apostolico Clem. X. anathemate. Viri etiam mores nunquam satis laudauerim. Ascetarum prisci temporis exemplar quoddam præseferre iuremeritò dixerim. Humilitatis impensiùs cultor, nullam sibi è manibus occasionem elabi sinit ex ijs, quibus nostri Antistites sui demissionem dignitati immiscent, & Monachis obsequuntur, cùm præsint. Illud etiam à Diuo Benedicto maioribus commendatissimum, multorum seruire moribus optimè sciuit. Et Nicolaus quidem

dem

dem ius Monasticum humanissimè nunquam non dixit, adeò collactanea illi comitas, ac facilitas; & accuratissima cum auctoritate indiuidua quædam ingenij mansuetudo. Animos deuincere nouit, vel cùm arctiori districtione remissa restitueret, vel fracta restauraret. Longiora ornaturus tempora suis laudibus, ac dignitatibus superest, & Procurator Generalis in Vrbe pergit ad totius beneficium Cœtus, aulæ Romanæ sibi gratiam promereri.

1676. *Marcus à S. Andrea, Menichellus*, ex Oppido *S. Ædystis* vigesimo ab Vrbe lapide, quem, vti per omnium officiorum gradus ad primam sedem euectum conspeximus; studio etiam perfectionis ad Cœlum iter sibi adornasse confidimus. In ipso æui flore singulari morum senio ornatus, eorum etiam testimonio, quibus conscientiæ pandebat arcana, Virgineum pudorem ad horam vsque fatalem illibatum seruauit. Professus in Monte-Soracte altera die anni quadragesimi secundi supra millesimum sexcentesimum initæ conuersationis feruorem nouitiali in arena haustum, informandis tyronibus haud diù post admotus, egregiè comprobauit. A tyronum regimine ad alias traductus curas, Monasteriorum Rector, Prouinciæ Romanæ Præfectus, Procurator Generalis in Curia, nunquam ad Cœnobiticę vitę rationem exactissimè compositus non eluxit. Violasse silentium, seù ieiunia regularia fregisse, statis horis à Psalmodia, à cœnaculo, à collatione Patrum abfuisse monstro simile erat. Choro autem ita alacer, & promptus aderat, vt diurnas ad horas, maximè autem antelucanas ad laudes primum se sisteret. Psallebat lingua, psallebat & mente, erectus, adeòque in subsellijs grauis, vt vel corporis forma animi attentionem commonstraret. Infirmos inter primos inuisens, lectulos reficiebat, cuerrebat cubiculum, permagnum solamen alloquij benignitate adferebat, & medicas potiones sua manu propinans, amaras licet, mira suauitate temperabat. Pręcipua illi pietas in Diuum Parentem Bernardum, quem vt à nostris frequentiori memoria coleretur, effecit, obtento à Sac. Rituum Congregatione sancito de eius officio feria tertia vniuscuiusque hebdomadę celebrando. Abbas tandem Generalis in Dieta anno 1676. postridie Cal. Maij Romę celebrata, consalutatus, optimi Archimandritę specimen prębuit. A multorum obsequio nec modicùm sibi complacuit. Mansuetudine moderabatur habenas. Cauebat, ne Diui-

Diuini Officij ritibus neglectim, seù ineleganter peractis, cœlestis ille occideret splendor, qui Monastica in Psalmodia nunquam non enituit. Multus erat, ne vlla irreperet legum violatarum impunitas, & ne modica sensim dissimulata Institutioni seueriori forent excidio. Excubabat & Nouitiorum tyrocinijs, studiorumque lyceis, quò Religiosę pubis opima messis satagentis sub cultoris oculis felicior herbesceret. Tantum Archimandritam intra annos non ampliùs duos amisimus. Congregationis familias de more lustrabat, cùm Arimini febre correptus, maturauit regressum in Vrbem. Spes erat sanitatis vsuræ quantocius restitutum iri, si peritiorum cura medicorum, & patrij beneficio aeris vteretur. At fatis cedendum fuit. Morbi vis curationis artem eludebat omnem. Decumbebat, surgebat, sed tandem arcana, & pertinax lues nunquam satis benè depulsa, languore fatigatum è medio sustulit. Spiritum posuit tertio Cal. Decembris anni 1677. in Monasterio S. Bernardi non sine vberi Patrum lacryma, adeò demissè veniam, si quid errasset, deprecatus est, suumque ad iudicem iter enixis omnium precibus commendauit. Ad parentalia is fuit mortalium concursus, eaque de elati religione existimatio, vt conuolantes ad manuum oscula, exuuiarumq; contactus vix ducendi funeris locum darent. Marcum Menichellum excepit

1678. *Octauianus à S. Anna, Cacheranus, Patritius Taurinensis*, Philiberti Cacherani Pedemontano in Senatu doctissimi, integerrimique Præsidis filius, ad inferiores, maioresque dignitates secundissimis & ipse velificauit auris. Testonæ in nostras cùm iurasset leges, Montem Regalem adijt Aristotelis, ac Diui Thomæ explanationes auditurus sub Ioanne Bona eximio tunc artium Magistro, & exindè Eminentissimo S R. E. Purpurato. Absoluto Philosophiæ, ac Theologiæ puluere publicas agere curas cœpit, rerum summa multiplici titulo tandem potiturus. Valebat vegetis viribus actuosiori homini aptis. Valebat collactanea quadam velut prudentia, maturitatis fructuum in ipso iuuentę flore feracissima. Spirabat vultus ipse perspicuum quemdam, egregiumque mentis vigorem. Strictioris obseruantiæ Princeps in eo studium, laudatissimum quidem, si habenas mitius adducere, ac seueritati nescio quid ampliùs immiscere facilitatis in moris habuisset. Monasterijs, quà in amplianda librorum supellectili, quà in augendo ædium nitore oppidò profuit.

Mira

Mira etiam illi in conciliandis sibi animis indoles, & manus: Ad inclinanda in se Patrum conscriptorum suffragia hæc illi apprimè contulere nomina. Contulere & Alphonsi Cardinalis Littæ sui ex Matre consanguinei in amplissimum nostræ Congregationis Protectorem designatio, quippè qui Cacheranum inter Procuratoris Generalis pondera Generalitium ad Pedum properantem, eodem cohonestandum censuerit, suique etiam momento calculi cohonestarit. Muneri ad omnium vota cumulatissimè expleto superfuit ad annos sex, compleuitque mortalitatis fabulam Augustæ Taurinorum 27. Februarij anni 1687. Prouinciæ Subalpinæ Moderator.

1681. *Florentius à S. Catharina, Billius, Augustæ Perusiorum* natus, Cistercio reparato accessit anno ab asserta per Deum Redemptorem Orbis salute 1646. votis obstrictus duodeuigesima Octobris luce. Flores apparuerunt in terra nostra, cùm ipse germinantis adolescentiæ florentissimam indolem explicare cœpit, nec nisi optimum castigatissimæ conuersationis spirandi odorem certam spem facere. Et reuerà licet viuentis modestiæ morem gesturus, ab attollenda cæterarum virtutum encyclopędia abstinere voluero, haud tamen sileam regendarum animarum eminentiorem in eo dotem, qua quisquis inclarescit, pectoris ad omnem probitatem exculti laude nequaquam vacat. Hanc adolescentium è Sęculi nequitia in Religionis portum, nimirùm in sanctimoniæ sinum, se se asserentium Institutor, hanc familiarum Præfectus, hanc Congregationis Cœnobiarcha, hanc conscientiarum temperator, dilucidè patefecit. Ab ipso hausere Asceticæ conuersationis feruorem, quo inardescunt, præclariores ex nostra schola candidati. Ipsi mutatam debent rerum faciem Monasteria, adaucto regulari nitore, illustriora. Verùm hæc Claustris duntaxat notiora viri præconia. Illud nemo eat inficias pręter puellarum nonnullas, quibus vel Mundi malitia corruptis, vel genij peruersitate illectis, deprauatis, Florentiò Billio ad emendationem perurgente, veræ pœnitentiæ cultus cordi adhæsit, omnium ordinum permultos, fœminas etiam Principes, suarum eidem consignasse procurationem animarum, quòd multa licet expolitus doctrina, Theologiæ tamen ab erudiendis moribus nuncupatæ neruos intenderit propensiores, ac rerum sacrarum vsu, assiduaque spiritualis obsequij contentione, prudenti etiam affabilitate, confluen-

tibus

tibus ad noxarum expiationem gratissima polleat. Nec sine Numine ad Congregationis vtilitatem, & Sęculi profectum hactenus seruatum dixerim, quem ab epidemia Vrbem Parthenopęam deuastante, grauiter licet tactum, minimè tamen interceptum scimus, maximè cùm, sæua vi morbi tota è medio sublata familia, omnium primus efferri ipse debuisset, infectis, charitate calcar admouente, assiduus. At protegendi viros Cœlo implendo enatos Cœlo cura, adeòque & Billium, quem diutiùs incolumen habeamus, idem faxit.

1684. *Ioseph à S. Petro, Viriglius, à Monte-Regali*, tactus diuini instinctu flaminis, Monachatui se dedicauit in sacro Testonæ secessu tertio Nonas Aprilis anni à Virgine Matre septimi & quinquagesimi supra millesimum sexcentesimum. Menti scientijs naturalibus, & diuinis imbuendæ par illi cùm Gymnasium contigisset in patria apud Vicum Abbatia, studiorum Spartæ haud contemnendam nauauit operam. Prudentiæ verò, œconomiæ, ac perurgendæ obseruantiæ non vnum nactus in varia familiarum administratione Theatrum, omnium in se plausus excitauit, & laudes. Taurini Abbas Sacrarium armarijs delicatiori Toreuticæ elaboratis instruxit; Monasterium, censu adaucto, iuribus vindicatis locupletauit. Qui demum cùm gestis muneribus satis clarus solitudinem secus Montemgrossum, quarto ab Asta Pompeia lapide, incoleret, proindèque gauderet ad tranquillitatis arenam, nimirùm ad stationem curis vacuam appulisse, Ordinis ad Primatum se se raptum aspexit. Emmentiori dignos apice profert vna dies. Latere cùm præclarè gesta eum minimè paterentur, PP. Conscripti optimè actum iri cum Institutione censuere, si in eum vti virtutum, ita & suffragiorum consensio collimarent. Itaque eductus è latebris, consedit in vertice, in quo collocatus nihil ex ijs omisit, quæ ornatissimum religiosissimi Cœtus Rectorem efformant, non enixa in Republica amplificanda molimina, non graues in Coloniarum perlustratione labores, non peruigiles in studijs promouendis curas, non perefficax in Sodalibus opere non minus ac verbo ad legum custodiam confirmandis exemplum. Recentis fundationis, Beatæ Mariæ de Spina nuncupatæ, iuxta Oppidum Pralormi in Diœcesi Astensi, munifica manu, & singulari in euincendis, quæ insurrexere, difficultatibus adnisu, Parens haberi voluit. Hæc omnia minus præstaturum verebantur Patres ob fre-

quentiora Podagræ incommoda, quem tamen sæpius conspexere animo morborum acerbissimo longè maiori, & nulli ex sui muneris deesse partibus, & diuturnis se se itineribus committere, cùm à sensu doloris pedibus vix insistere posset. In ipsa nobilioris Magistratus periodo placuit Innoc. XI. illum bullatis suis literis Successoris Assessorem primum deligere, quò, Congregationem summa auctoritate regere desinens, eamdem maturiori consilio prosequeretur attemperare.

1687. *Carolus à S. Francisco, Vertua, Mediolanensis*, in verè aurea incidit tempora, quibus viri pietate spectabiles, claustrales maximè, æquum æstimatorem nacti Innocentium XI. Pont. Max. condigno habentur in pretio. Deo, & Diuo Bernardo deuotus sextam decimam Decembris diem anni 1643. sacramenti dictione notauerat sui. Arduam exantlauerat Prouinciam instituendorum Tyronum. Monasteriorum aliquot demandatam sibi moderationem sustinuerat. Florentio à S. Catharina Abbati Generali à consilijs fuerat, eo tamen curarum tædio, vt fastigium semper fastidio fuerit. Rem tandem sibi pro voto contigisse gratulabatur, cùm Florentiolæ domicilium, officijs exolutus, incoleret, iucundaque vice leges acciperet, qui dederat. At gratissima à dignitatum feriatione breui excidit. Dominicum à S. Pudentiana Prouinciæ Romanæ Prouincialem apoplexia è viuis interceptum exciperet primò, moxque Ioseph à S Petro altiori insidere loco desinenti, succederet opus fuit. Romam ad PP. Conscriptorum Congregationem contendebat, cùm in ipso itineris medio, Arimini scilicet, epistolas Eminentissimi Protectoris Crescentij, vnàque gratulationes designationis suæ ad primam Infulam, Innoc. XI. summo pro obedientiæ iure mandante, nuntium excepit. Absolutissima qui Cœnobiticæ conuersationis methodus semper demirari potuerat, solitudinem, orationem, contemplationem supremos ipsos inter fasces principe quodam studio colit. Si regiminis onera subtrahas, Generalitiam præeminentiam ad cæterorum Ascetarum demissionem, humilitate impellente, arctasse suspicias. Quem ne humilitatis amorem effusiori in præconia stylo offenderim, cæteris parcam laudibus, contentus innuisse, nec Congregationem nobiliori capite donari, nec Antistitum nostræ Congregationis seriem illustriori potuisse clausula absolui.

CISTER-



CISTERCII REFLORESCENTIS
PARS TERTIA
Athenæum.

Anno. 1595.



Istercij restituti Athenæum primæ reparationis leges aperiunt, seu *Constitutiones Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis* ad singula capita Regulæ S. Benedicti accommodatæ, sacro Clem. VIII. Pontif. Max. oraculo comprobatæ, & Romæ per Nicolaum Mutium anno 1595. excusæ. Tantæ Prouinciæ adornandæ pondus sustinuit

D. Marcellinus Louerius, Taurinensis, inter nos *à S. Benedicto*, qui institutam disciplinæ sartamtectam, decreta nimirùm à primis Reformationis assertoribus in generali consessu Romæ habito condita distinxit, diuisit, proprijs Regulæ magistræ locis adaptauit, & selecta latinitate donata in vnum volumen congessit. Legum Codici

Breue compendium Priuilegiorum, & Gratiarum Congregationi B. Mariæ Fuliensis concessarum Marcellinus adiecit. Romæ primò editum 1608. in 8. ex Typographia Reu. Cam. Apostolicæ, deindè

in 24. Lutetiæ penes Georgium Lombaret cum nuncupatione ad plenum PP. Senatum Pinerolij pro Comitijs sedentem, tandem tertia impressione Parisijs iterum luci expositum, cum additionibus apud Carolum Hulpeau 1628. in 8.

Optimis auibus Congregationi enascenti Marcellinus accessit. Sub Fuliensibus signis stipendia facientibus vir primi spiritus obseruatur. Præter Procuratoris, Visitatoris, & Assistentis Generalis munera, varia alia dignitate ornatus, præsentissimos exantlauit labores, curis superior omnibus. Eo auspice Coloniæ plures eductæ. Bullata diplomata approbationis obseruantiæ in Abbatia Fuliensi institutæ, exemptionis à Cistercij Archimandrita, propagationis, & extensionis vbiuis gentium, participationis Priuilegiorum vitæ claustralis professoribus cunctis concessorum Sixto V. & Clem. VIII. acceptissimus impetrauit. Parthenium Sanctimonialium è regione B. Mariç Consolatricis Augustç Taurinorum sanctitate etiam modò florentem, nostris inductis legibus, abstinentia, silentio, diuini pensi horis, alijsque ritibus reformauit, adeò vt & nobis è regione viuant, & nostram ad normam ferè viuant, & si habitum, appellationemque demas, Fuliensium Virginum Claustrum dixeris potiùs, quàm Clarissarum. In Monasterio S. Pudentianç Monasticç conuersationis vota concepit anno 1590. & in eadem domo humanç naturç debitum exoluit anno 1616.

1588. *N. nobilis adolescens Gallus*, incomperti mihi hactenùs nominis, cùm teneriorem ipsam iuuentam arctissimç Fuliensium obseruantię addixisset, ad genitorem reclamantem, eumque pro viribus è Claustro ad Sęculum reuocare satagentem, animo in instituto obfirmato, insignem dedit *Epistolam, seu potiùs Libellum excusum anno 1588. in 8. quo Mundi Deo posthabiti fugacissimas vanitates, suauiores religiosæ asperitatis delicias asserit, & Parenti optimo, etsi nimio præ dilecti filij amore obcæcato, rationibus magni momenti satisfacit.* In ipso opusculi limine Impressoris, locique impressionis nomina desunt; ideòque citrà admirationem sit benignè lector, si & ad pleniorem eiusdem elucubrationis notitiam in hoc Athenęo desiderentur. Extat in Bibliotheca S. Pudentianę de Vrbe, eiusque meminit Carolus De Vvisch.

1589. *Petrus*, cognomento *Tolosanus*, nitore conuersationis, &

doctri-

doctrinæ præstantia Monasterij S. Bernardi in Suburbio S. Honorati Parisijs Cœnobita illustris, *Multas doctas, & disertas Epistolas scripsit*, quarum vna excusa est Parisijs in 8. complectens septuagenas binas paginas, in qua demonstrat auctoritatibus Sacræ Scripturæ, quænam sint in Sæculo viuendi incommoda, & quæ in Monasterio commoda, & salutaria. Deuixit Lutetiæ anno 1589. E latebris emergatne in hoc Petro Tolosano Anonymus dudum celebratus, & subducto velo suum aperiat nomen, agnomenque, viderint alij. Mihi duo sunt, quorum alter nouitiali in puluere adhuc versabatur, cùm anno 1588. ad Genitorem scribebat, alter annis maturior, & Religione antiquior, qui anno insequenti diem suum obierit.

1598. *Bernardus de Montgaillard*, clara *Persinorum* stirpe apud *Vascones* ortus, sanctitatis, & omnigenæ doctrinæ gymnasium ingressurus, in Fuliensis disciplinæ gremium se contulit ætatis suæ anno sextodecimo, reparatæ verò salutis 1579. In eo ad Orbis stuporem efformatus, prodijt ordinarius Henrici III. Galliarum Regis Concionator, eruditionis copia, eloquutionis elegantia, alijsque numeris Ecclesiastes primæ notæ adeò ornatus, vt aulæ optimatum, ac totius Lutetiarum Vrbis literatiores viros admiratione suspenderet. Nonnullarum Præsul Abbatiarum, Andegauensium, & Appamiensium Antistes à Rege dictus, Infulis nuntium misit, perrexitque sacri Peroratoris locum tenere. Hæreses serpentes linguæ officio euellebat. In mores verò ita exardescebat, vt, intortis veluti iaculis, in noxia inueheretur. Conflauit ea res improborum calumnias; accepitque acriores ab ipsomet Henrico III. Epistolas, quasi post tot cumulata in se beneficia, aduersantium studeret partibus, ideòque Apostolicæ libertatis nomine varios, & sinistros de eo rumores disseminaret. Ita Regijs auribus detractores insusurrauerant. Quare linguæ parcens, calamum acuit, omnes admoniturus Ordines castigatiorem viuerent vitam, nec se Parisiensium, Regis maximè indignationem promeritum, deprauatam conuersationem oculis obijciendo licentiosiorum, quòd sanctiori legum obseruantia, & diuinæ vltionis metu Principum constabiliatur solium, exul temporum reuocetur tranquillitas, populorumque arefacta felicitas refloresçat. Intereà Romam cogitauit, adijtque, Clem. VIII. Dei vices in Petri solio agente, cuius diplomate abiens è Fuliensibus, Belgium petijt anno 1592. in splendidio-

didiora illa Asceteria elucescentem in nostrorum ædibus obseruantiam inuecturus. Velificauit felicissimè, nam Nizellensis, & mox Aureæ-Vallis, Principis per vniuersum Belgium Monasterij Abbas consaluratus, & ad annos viginti tres Præsul, temporalem quidem restituit statum, spiritualem verò de nouo fundasse dicendus. Arrisit conatibus Alberti, & Isabellæ Belgij Principum fauor, qui rerum consultissimum demirati, vitæ exemplo rapti, aurea ab eloquentia identidem pendentes, regiminis in celebratis Abbatijs habenas capesseret, voluere, adegere. Quid porrò reliquum in Belgio egerit, petendum ex Seguino, & Vvischio, vbi commendatur: *Vir præclarissimis animi, & ingenij dotibus ornatus, omni scientiarum genere instructissimus, Spirituum discretione mirabilis, hæreseos, & vitiorum oppugnator acerrimus, & Catholicæ Religionis assertor inuictus.* Hìc ingenij monumenta retexere locus est, & sunt

Apologia, seu Tractatus ad Henricum III. Galliarum Regem, de quo supra, Lutetiæ euulgatus 1589. excusoribus Nicolao Niuellio, & Rolino Vitri.

Sol Eclipsatus, Oratio funebris ad Episcoporum, Abbatum, ac Belgij Procerum Conuentum in solemni funere pijssimi Archiducis Alberti, Bruxellis de mandato Serenissimæ Infantis Isabellæ prelo supposita.

Narratio translationis Reliquiarum S. Mennæ Martyris ad Aureæ-Vallis Monasterium, quę legitur apud Arnoldum de Ruisse in Auctuario Molani.

Constitutiones Regulares pro constabilienda Monastica Obseruantia in Nizella, & Aureæ-Vallis sua obedientiæ familijs.

Orationes funebres Rudolphi, & Matthiæ Imperatorum, Ernesti Archiducis, & Augustissimæ Imperatricis eorum Matris.

Sermonum de tempore, & Orationum de Sanctis Volumina aliquot planè mellistua, paucis ante obitum horis ad euitandum humanę glorię discrimen flammis ab ipsomet consignata.

Quod ad Vitę clausulam attinet, post mortem octaua Iunij die 1628. religiosissimè oppetitam, pijs optimi Reformatoris manibus Monachi Aureę-Vallis parentarunt splendido funerę ad tres dies celebrato, in quorum singulis de laudibus defuncti eleganter dixit Andreas Valadier, Sancti Arnulphi Metensis Abbas. Vbi iacet, iacet

autem

autem ante gradus dormitorij intrà Templum, Epigraphe legitur; quam sibi viuens parauerat in hęc verba:

D. O. M.
Viri, magni, probi, boni;
Chari, Patres, Filij, Fratres;
Accedentes, discedentes, ascendentes, descendentes;
Videte, legite, audite, exaudite:
Hìc iacet vester Bernardus,
Cui vos dilecti, qui vobis dilectus;
Miser, & miserabilis,
Misericordiam Domini, & vestram
Expetens, exoptans, expectans.
Eia! heu! Eia!
Estote misericordes:
Memores estote iudicij mei;
Sic enim erit & vestrum.
Heri mihi, & vobis hodie.
Hæc Charissimi, hæc perpendite;
E T
Mihi misero preces pendite.
Abite, Sancti estote, & valete.
Expecto donec veniat immutatio mea.
Frater Bernardus de Montgaillard
Huius Ecclesię Abbas 39.
Viuendo moriens, & moriendo viuens,
Sibi posuit.

1599. *Ludouicus Eustache*, familię agnomine in Monasticum verso, *à S. Malachia*, occumbente ęuo huic anteriori nuncupauit Clementi VIII. Pontifici Opt. Maximo, ediditque Romę apud Aloysium Zannettum *Piorum carminum libros quinque* in 8. seù *Heroica, Hymnos, Epigrammatum lib. duos, Elegias.*

Fuit Gallus Viennensis ex Oppido *de Beaurepaire*, quique anno 1585. sub ipsis Cistercij nostrorum in Cœtu reparati primordijs meruerat, vixit rerum caducarum contemptu, sui abnegatione, vitę Cœnobiticę absolutissimo exemplo Vrbi, ac Orbi notus. Et cum Musis quidem lusit, sed ea religione lusit, vt Parnassum Caluario,

Apol-

Apollinis plectrum Christi Cruci fœderarit. Quin potiùs Musas edocuit sacras facere ex profanis, lucubratiuncula ad piorum carminum calcem apposita *De Poesi ad res honestas, & potissimùm sacras conferenda*. Cœlestes inter Psaltes diuinam laudem, vti confidimus, ęternùm decantaturus, Romę deuixit 11. Ianuarij anni 1603. appositusque est ad Patrum cineres in Ecclesia S. Pudentianę, vbi secundum Generalis Assessorem, & Monasterij Pręfectum agebat.

1600. *Ioannes Obry Burdigalensis*, postquam Sęculo valedixit dictus *à S. Malachia*, annum secularem 1600. literario illustrauit monumento insigni *Epistola consolatoria ad Longauilla Ducissam data*, quę & typis digna, lucem vidit Parisijs eodem anno. Prosequens deindè ętatem, in qua viuimus, sui lycei fœtibus locupletare, adiecit Gallicè *Compendium miraculorum, & gratiarum B. Virginis de Monderich*, cuius fit mentio apud P. Marracium Bibliothecæ Marianæ pag. 791.

Historiam erectionis Basilicæ Fontanensis, quandò Castrum natale Diui Bernardi, Fontanis in Burgundia, consurrexit in Monasterium, sacramque Ædem Mellifluo eidem Parenti inauguratam. Opusculum prælo suppositum fuit anno 1620. in 8. Auctor verò, qui Congregationi deuotus, in eiusdem leges apud Abbatiam Fuliensem anno 1586. iurauerat, æternitati maturus vitam finijt temporalem die 10. Martij anni 1652. humo conditus in ipsa Castellionensi, hoc est Fontanensi Ecclesia, de cuius erectione conscripserat.

1607. *Sancius Beauuer, à S. Catharina*, ter Congregationis Superior Generalis, haud contentus eiusdem mores frequentiori in prima sede confessione componere, animum conuertit ad vultus hominis interioris, in cuius cultu præcipuus erat, ob Mundi obtutus ponendos, votisque satisfecit suis accommodando vsui communi virtutum praxim, seù opellas subiectis titulis prænotatas:

Exercitia spiritualia viginti meditationibus planè diuinis digesta cum insigni meditantium Directoris methodo, bis Latinè, ter Gallicè, quinquies Italicè recusa, primò autem in Vrbe 1607.

Quinquaginta humilitatis gradus patria lingua Auctoris primò editi, mox Flandricè expositi, & Duaci ad calcem Regulæ Diui Benedicti per Gerardum Pinchon, itemque Antuerpiæ vnà cum alio-

quo-

quodam libello Ludouici Maecheblyde Soc. Iesu prælo subiecti, frequentioribus verò impressionibus in Gallia euulgati, quarum nouissimæ Auctoris nomen in cæteris desideratum præseferunt.

Flamma amoris diuini Lutetiæ 1624. & 1639. itemque Romæ 1629.

Breuis praxis, qua quis possit se continuò conseruare in præsentia Dei. Parisijs apud Soly.

Sacra Religiosorum solitudo, è Gallica in Italicam linguam versa à Gismondo de Thadæis, & Romæ excusa penes Mascardum anno 1653.

Puncta adnotanda à Religioso, qui vera, & profunda humilitati studet assequendæ. Parisijs apud Sebastianum Haure 1605. Italicè traducta à Petro Paulo Augustino Cler. Reg. Sancti Pauli, & edita penes Corbellettum 1631. in 8. Eam pietatem hæc opuscula mole exigua, fruge ingentia lectorum animis instillant, vt Secularium, & Religiosorum manibus passim terantur. Et licet Sanctus sublimiores Theologię speculatiuę, & moralis, queis abundè instructus erat, doctrinas sub defossa humilitatis absconderit humo, sufficiunt, ne cum stulto seruo sublimis ingenij, & operarij infructuosi pœna damnetur. Diem suum obijt Romę primus Visitator a. 1629. 14. Octobris, Ætatis suæ a. 60. & Religionis 43. sepultusque est in Ecclesia S. Bernardi.

1608. *Ioannes Gulonius Parisiensis*, cùm Sæculum, ac gentile suum in Sæculo cognomentum reiecit, appellatus *à S. Francisco*, muneribus gestis, vigilijs elaboratis, virtutum decore, nominis celebritate, cui Patrum Fuliensium palmam deferat paucos habet. Ita videre est ex laudum compendijs in eiusdem ad primam Institutionis sedem assumptione prolatis, magisque, ac magis ex elucubrationum elencho, quem hìc subnecto.

Opera S. Dionysij Areopagitæ Lutetiæ 1608. sumptibus Io. de Heuqueuille, secunda lima expolita, ac denuò recusa ibidem per Nicolaum Buon, & Io. Taupinart. a. 1629. in 8.

Opera Epicteti Philosophi Stoici ibidem in Officina Io. de Heuqueuille, quam versionem adornasse ad petitionem Galliarum Reginæ patet ex diplomate Henrici quarti in operis limine expresso.

Homiliæ S. Basilij super exameron ibidem, eiusdemque prælo a. 1616. in 8.

Sed & ex Latino Gallicis auribus accommodauit
Tractatum S. Anselmi de æterna beatitudine ibid. 1615.
Ex Italico suo etiam eloquio vestijt
Exercitia spiritualia P. Augustini Manna de Cantiano Congreg. Oratorij de Vrbe Sacerdotis, idest, Partem primam, & Partem secundam Ibidem a. 1613. in 16.

Hactenùs versiones, præter quas sua ex Minerua habemus *Præclarè gesta, virtutesque eximias S. Francisci Salesij Episcopi Gebennensis* amplo volumine, in sex libros digestas, repetitis editionibus multoties expressas, maximè autem Parisijs 1625. in typographia Michaelis Solly, & Io. Heuqueuillani.

Contra librum celebris Nouatoris Petri Molinæi de Vocatione Pastorum 1620. in 8. eorumdem impensis.

Exhortationem habitam in Congregatione Religiosorum a. 1615. & excusam 1616.

Epistolam consolatoriam ad N. præcipuæ nobilitatis fœminam in obitu vnici eius filij, quæ duo postrema lucem aspexere Lutetiæ 1612. ac 1616. prælo Heuqueuillano, vnà cum *Oratione funebri in laudem Nicolai Fabri, idest le Feure Consiliarij, & Institutoris Ludouici XIII.*

Vindiciæ Hyberopoliticæ, seù Galliæ motuum in ijs, quæ pro Rhetiæ defensione bellis egit iustitia. Opusculum absque quidem Auctoris nomine Latino sermone euulgatum in 8. verùm styli elegantia, ac argumentorum vi scriptorem prodeunte suum, Io. Gulonij agnitum ab Vrbano VIII. cùm primùm à Bethunæ Duce Regio apud S. Sedem Oratore illud accepit.

Epistolarum Philarchi ad Narcisum lib. 2. seù Responsiones ad Auctorem fabuloso Narcisi nomine inuolutum, qui, præ cæteris Galliæ Oratoribus facundus, audire affectans, acuebat suæ eloquentiæ iacula in Religiosos, Religiosasque Institutiones. Narcisum hunc præcepta eloquentiæ à priscis tradita inuertere omnia Gulonius contendit, & euincit nonnullis etiam Rhetoricę antiquę vestigijs è Gręco materna lingua exhibitis. Prodiere Parisijs in 8. typis Nicolai Buon.

Apologia in Opusculum Auctoris, fictitia Iauerstar appellatione, pro Narciso contra Philarcum stantis, & contumeliosis dicterijs in Phi-

Philarcum, eumdem Narcisum impugnantis. Ibid. in 8.

De modo Philosophandi S. Dionysij, deque differentia inter Philosophiam modernam, & Philosophiam antiquorum cùm Ethnicorum, tùm Catholicorum ante tempora Constantini Magni.

De Praxi disciplina Ecclesiastica, & de excellentia Theologia mystica, alijsque contentis in Operibus S. Dionysij.

Defensio Card. de Perron à Ministris Clarentonianis iniurioso volumine impetiti, & vindicatio Ecclesia Catholica à libris, Anglia Hareticorum studio, eò temporis emanantibus; ardua multùm prouincia à pluribus expetita, à nemine attentata, ab ipso duntaxat assumpta, primò ad preces Generalis conſeſſus Archiepiscoporum, & Episcoporum Galliæ, mox & de mandato Pontificis maximi, ac Ludouici decimi tertij, qui & ei argenteorum quater mille in annos singulos attribuerat ad sumptus sustinendos in coemendis, & vndique comparandis tot Nouatorum libris, quos reijceret, necessarios. At egregij operis compilationem, vitamque mors intercepit anno à Deo homine vndetrigesimo sexcentesimo & millesimo. Cadauer elatum solemni funere, & marmoreo sarcophago cohonestatum est in Choro S. Bernardi extra portam Honorianam, vbi & eius nominis perennitati consultum à Cæsare Borbonio Vindoci Duce, idque eleganti Inscriptione hìc attexenda.

Sta quisquis es, & perlege.
R. P. Goulù Parisijs natus, vbique notus,
Pietate, probitate, eruditione, eloquutione
Ad inuidiam vsque mirabilis;
Vixit heù! imò viuit,
Quippè laude dignum Virum fama vetat mori.
A militia forensi Fuliensem ingressus, scriptis suis
Impugnatam fidei veritatem,
Impetita Monarchia iura,
Periclitantem Sanctorum memoriam
Mirùm quantùm ab iniuria temporum vindicauerit,
Simulque adulteratam eloquentia puritatem
Reuocauerit, conseruauerit, illustrauerit.
Tandem vniuerso Ordini postquam bis præfuit;
Exemploque non minùs, quàm Imperio profuit,

Vix dicas;
Dignitate functus ne priùs, an defunctus sit,
Magnatum amicitias vt meruerit, vt tenuerit,
Vel hoc marmor testabitur, quod
Illustrissimi Principes
Cæsar Borbonius, & Francisca Lotharinga
Charissimi Coniuges, Duces Vindoci,
Stampens, Bellefort, Merroerei, Pontieurai &c.
Benemerenti mærentes posuere.
Obijt anno M. DC. XXIX. die v. Ian.
Ætatis suæ LIV.
Orate pro eo.

1609. *Eustachius Asseline*, in Congregatione dictus *à S. Paulo*, Cistercio inter Fulienses reparato magnum nomen adiecit, cùm suum anno decurrentis ætatis quinto Lutetiæ dedit, vouitque anno in sequenti vigesima sexta Februarij die. Enimuerò Doctor Sorbonicus, & Parisiorum in Vrbe, quam Virorum doctrina insignium fœcundissimam, Orbis Athenæum iure dixeris, Patriam sortitus est, præstantissimis æquandus Theologis, Monachum induit, quò Monasticam hanc viuendi normam summoperè illustraret. Audiebatur nimirùm cum plausu, & fructu publicis in congressibus quæstionum Philosophicarum, earumque concertationum, quæ vel à scholis instituendis, vel à formandis moribus, siuè à diuinorum explanatione librorum sortiuntur appellationem. Nec à Minerua duntaxat commendandus Eustachius. Conuersationis probitate doctrinæ fœderata mirè elucescens, nullo in Congregatione munere non decoratus est. Generalatus apicem tantummodo nequaquam conscendit, sed qui summis Capitibus gradu Assistentis Generalis, vt vocamus, per annos quatuordecim semper adhæserit tanta in existimatione, vt ne latum quidem vnguem ab eiusdem sententia in arduis discederent. Hæc intra Claustra, extra quæ aulæ Christianissimæ Theologus, & sedulus Euangelij operarius emicabat. Negotia, quæ Regias conscientias lædere possent, excutiebat omnia. Archiepiscopis Parisiensibus in euellenda per vniuersam Diœcesim fœcundissima vitiorum segete, in disciplina regulari Parthenijs Sanctimonialium, seù Virorum collapsæ obseruantiæ Colonijs restituenda egregiam nauabat operam.

Eius

Eius rei testimonium epigraphe præbet à nobili Viro Nicolao le Feure eidem apposita in aula Capitulari Parisiensis Cœnobij, vbi in communi Monachorum Conditorio iacet, cuius hęc verba:

R. P. Eustachio à S. Paulo,

Asseline, R. P. Generalis Congregationis Fulensis per quatuordecim annos primo Assistenti, alijs dignitatibus Congregationis etiam perfuncto, ex honesta apud Parisios familia nato. In sacra Theologiæ facultate ex Domo Sorbonica Doctori celeberrimo, pietate, & doctrina conspicuo, impuritatis ignaro, & in tenello corpore austeritatis amatori. Prudentia, mansuetudine, & morum suauitate præcellenti, summarum Philosophiæ, & Theologiæ scriptori doctissimo, in quantumuis arduis spiritualibus negotijs decidendis pro oraculo ab vniuersis habito, Cœnobiorum permultorum ex varijs ordinibus instauratori dignissimo. Ex hac vita defuncto die vigesima sexta Decembris anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo, ætatis suæ sexagesimo octauo, Religionis trigesimo sexto.

Nicolaus le Feure D. De Lezeau Directori suo per annos triginta vnum scripsit, & poni curauit.

Plura de Eustachio desideranti occurrit noster Antonius à S. Paulo, eius vitę haud incelebris scriptor. Cęterùm ex ijs, quę vir doctissimus scripsit, extant laudata in elogio opera *Summa Philosophiæ quadripartita, De Rebus Dialecticis, Moralibus, Physicis, & Metaphysicis*, edita in 8. a. 1609. Parisijs, & post varias impressiones aucta, recognita, ac excusa 1638. typis Philippi Albesti, nouissimè Lugduni Batauorum anno 1647. cum diuersis ęneis figuris, quę impressionem elegantissimam efficiunt.

Summa Theologiæ Tripartita. Parisijs 1613. excusore Carolo Chastellain.

Liber meditationum, & exercitiorum spiritualium in tres partes diuisus, multoties etiam pręlo subiectus, & tandem cum additione sex meditationum nouę luci expositus, Parisijs 1640. penes Michaelem Soly.

Instructio pro recto, & salutari vsu sacramentorum Pœnitentiæ, & venerabilis Echaristiæ, Lutetię Gallico eloquio, sicut & pręcedens opella composita.

1615.

1615. *Carolus de Lauson*, idemque *à S. Maria*, ad regendum Congregationis clauum a. 1634. inter Gallos delectus edidit

Catalogum Monachorum, qui inter Fulienses sanctitatis opinione claruerunt, ab Angelo Manriquez in Menologio Cistercienſi paſſim relatum; & vigilijs conuerſationi conſonis, illuſtriorum noſtræ Inſtitutionis Aſcetarum elenchum ſcripſit, ac numerum auxit.

1615. *Ioannes de Vaſſan*, ex quo autem leges Fulienſes ſibi delegit ſequendas, *à S. Paulo*, in Geneuæ diſtrictu natus, & Geneuæ Miniſter, laudati Ioannis Gulonij adhortationibus, à Caluiniana labe, & à Sæculi cęno emerſit. Inter Nouatores errorum Magiſter, inter noſtros veritatis præco, claruit & varia eruditione, potiſſimùm autem antiquitatis peritia, cuius in indagandis, & excutiendis monumentis apud profundioris doctrinæ ſtudioſos eam ſibi conciliauerat præcellentis gloriam, vt nemo nollet eum, ſaltem de vultu agnoſcere, ſi familiari eius alloquio haud valeret proficere. Ad capeſſendos Clauſtri honores inexorabilis, ad attingendos obſeruantiæ apices, genio ad religioſam auſteritatem prono, conciratiſſimus, mortalitatis onere ſubducitur Lutetiæ, vbi prima poſt vigeſimam Septembris diem, vitæ clauſtralis enuntiauerat vota. Eius eruditionis ſupereſt

Elogium in Ioannem Gulonium dudum celebratum, relatumque, ac impreſſum ad calcem verſionis S. Dionyſij tertiò excuſæ a. 1629.

1618. *Franciſcus à S. Bernardo, Du Soulier* in Sæculo nuncupatus, patria *Burdigalenſis*, Inſtitutioni nomen dedit 22. Iulij anno 1603. deuixit in Abbatia Fulienſi decimonono Calend. Iunij 1645. cùm antea in lucem emiſiſſet Tractatum

De punctis modeſtiæ, anno 1618.

1619. *Nicolaus De Saruè*, è Diœceſi Abrincenſi, inter noſtros *Nicolaus à S. Martino* appellatus, euulgauit patrio ſermone

Morale Chriſtianum, agens de morum reſipiſcentia ineunda à degentibus tàm in Sæculo, quàm & in Clauſtro, Pariſijs 1619. in 8. iterumque 1620. Ibid. per Io. Heuqueuille. Vitam à Mundo ſegregem in tyrocinio S. Bernardi Lutetiæ inſtituerat Nonis Nouembris anni 1601. Vixit ea conuerſationis probitate, cuius caſtigandis aliorum geſtis normam præſcribit. Mortalitatis exuuias depoſuit Pleſſiaci, vbi noſtrorum Cœtum Prior vigilantiſſimus moderabatur duodeuigeſima Aprilis 1638.

1619.

1619. *Hieronymus Carrera*, *Taurinensis*; vixit, si Pedemontij Scriptorum Monacho nomenclatori adhibenda fides, *lepidi vir ingenij*, *omni scientiarum genere ornatus*, *sed & pietate*, *ac religione clarus*. Vernante iuuentutis flore coluit eloquentiam metricam, quæ in eo penè ephæbo mirificè elucescebat. Religionis deinde conceptis votis, concepitque Pinerolij vndecima Iunij anni 1619. sub nomine *Hieronymi à S. Roberto*, sui experimentum præbuit inter scholarum contentiones, in quibus optimis vsus Præceptoribus, breui Regens euasit, & lectioris nostræ pubis Institutor. Expositiuæ prætereà Theologiæ latinæ, & vulgaris eruditionis, bonarumque artium plures legisse libros, quàm viderint multi, Auctor mihi præfatæ Bibliothecæ Centuriator, scientiarum, eo Lectore, Monte-Regali candidatus. Elucubrationes, vigiliæ verè nuncupandæ, quandoquidem vsque ad æuum in senium deuexum firma vsus valetudine, noctem in studendo diei æquaret, sunt:

Epinicium Beati Bernardi Badæ Marchionis Montecalerij quiescentis

Musa Italica, liber continens varias carminis Etrusci species, Sonettos, Madrigales vocamus, habenturque præterea in eo rythmico versu *Exhortatio ad sacros cantus*. *Mariæ dolentes*. *Sancti Petri lacrymæ*. *S. Ioannis gemitus*. *Iudas spe destitutus*. *Nicodemus officiosus*. *Dialogus Ioannam inter Vxorem Cusæ*, *& vnam ex filiabus Sion*. *Christi plaga*. *Manna*. *Passionis Mysteria*, *Angelorum Ministerio expressa*. *Sacramentum Altaris amoris excessus*. *Mel Sampsonis*. *Eucharistia omnium bonorum summa*. *Panis subcinericius Eliæ*. *Christus Resurgens*. *Rosarum Sertum*. *Altaris Sacramentum Orbis Miraculum*. Eodem Volumine complectuntur & nonnulla Poemata edita, vt dicimus, in octaua rima, nimirùm

Piæ affectuum vices inter Christum, *& Virginem Senensem*.

Paradisus Terrestris Hortus voluptatis.

Psalmi Dauidici Romano eloquio exhibiti.

Animæ Medicina Elegia ad N. Monasterij S. Margaritæ Vercellis Sanctimonialem.

Epistola Africana Amantis ad Diuum Augustinum; *& Augustini ad Amantem Affram responsio*.

Poema Sacro tragicum ingesta SS. Christi Martyrum Marci, *& Marcelliani*.

In

In Abdiam Profetam Commentaria eruditissima.

Hæc, & alia prælo matura mors immaturior prælo supponere haud permisit. Carminum volumen adest in Bibliotheca Excellentissimi Comitis Philippi ab Alladio. Elucidationes in Abdiam Profetam penes quem reperiantur nescitur. Ipse iacet Vercellis, vbi Prior Monasterij S. Victoris in fata concessit anno 1639.

1620. *Bartholomæus à S. Fausto*, qui *Petrus Siculus* olim appellabatur, nimirùm origine *Siculus*, Patria *Platiensis*, disciplina initiatus est Romæ ad S. Pudentianæ Orbis restituti anno millesimo quingentesimo nonagesimo & altero. Absoluta studiorum palæstra ad Theologiæ moralis eminentiam sibi velificandum duxit, impellentibus, vt eò appelleret, animum naturæ adiumentis, aura veluti secundiore. Primi sub ea tempora nominis erat Virginis Vicensis propè Montem-Regalem Basilica miraculosæ Deiparæ Imaginis, prodigijs, & frequentissima populorum affluentia celeberrima. Nostri Pœnitentiarios ibidem agebant, quæ eis palma celebri cum Abbatia obtigerat, ex quo solemni in congressu coram Iudicibus à Sedis Apostolicæ Nuntio, & S. R. C. Legatis habito, præ cæteris Ordinum Regularium professoribus, & competitoribus, Theologiæ morum institutricis Principes audierant. Ad hanc Coloniam suo genio, & ingenio aptam Bartholomæus ex Vrbe destinari impetrauit. Ergo sacris pœnitentijs aures porrecturus continuas; Ergo multitudinis ex varijs Orbis terrarum plagis, maximè verò ex Liguria, Monteferrato, Cisalpina, & Transalpina Gallia illuc copiosissimè confluentis generales noxarum expiationes frequentiùs auditurus omnibus Sacramenti pœnitentiæ casibus diligentissimè excutiendis curas intendit omnes. Vtque difficiliorum resolutiones ad manus promptiùs haberet, eorum epitomæ, suæ vtilitati conscribendæ applicuit. Hanc vt sub oculis maximoperè excreuisse conspexit, nec sibi tantummodò, sed & alijs sacro pro Tribunali sedentibus profuturam cognouit, imitatus Vrsam fœtum suum in lambendo efformantem, cœpit Quæsitorum, Disputationum, ac Responsionum molem curis secundis expolire, coordinare, & in varios disponere partus, nimirùm partes, quæ sunt

Speculum Confessariorum, & Pœnitentium, in quo mira breuitate, & facilitate resoluuntur omnes ferè difficultates ad Restitutionem, &

& materiam Contractuum pertinentes, quæ sparsim à Doctoribus tùm Theologis, tùm Iure peritissimis prolixè pertractantur; quibus omnibus accessit sub calce libellus *De vitio proprietatis*. Huiusce-modi Speculum edidit Cremonæ apud Marcum Antonium Belpie-rum anno 1620. in 4. cùm primùm mutata sede, Monte-Regali Florentiolam perrexisset; nam in Epistola nuncupatoria ad Hierony-mum Vidonium Cameræ Apostolicæ Clericum habet: *Iampridem, præstantissime Heros, Tractatum hunc de Restitutione, & materia Contractuum in Cœnobio Intemeratæ Virginis Montis-Regalis Pœnitentiarij munus exercens ex varijs Sacrorum Doctorum voluminibus, vt potui, Deo fauente, congesseram.*

Thesaurus Religiosorum, accuratissimè disserens de tribus Votis solemnibus, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, publicæ vtilitati reseratus in typographia Claudij Landry Bibliopolæ Lugdunensis anno 1624.

Tractatus de Horis Canonicis, vbi non solùm de Officijs Diuinis, verùm etiam de Oratione in communi, & de quotidianis distributionibus copiosè, & doctissimè agitur. Prodijt Lugduni in 8. penes eundem Claudium Landry a. 1627.

De Sacris Indulgentijs, & Iubilæis tùm Anni Sancti, tùm alijs extraordinarijs, Tractatus insignis. Neapoli in 4. ex typographia Ægidij Longhi 1629.

De Pœnitentia Tractatus absolutissimus, in quo noua methodo, styloque perspicuo materiæ omnes celebriores, & difficiliores ad Pœnitentiam, tùm Virtutem, tùm Sacramentum spectantes ita abundè, & accuratè explicantur, vt nihil amplius in hac re studiosus lector desiderare possit. Neapoli in 4. excudebat Franciscus Sauius 1632.

De Augustissimo, & omnibus linguis ineffabili Eucharistiæ Sacramento, ac de sacrosancto, & tremendo Missæ sacrificio Tractatus insignis. Neapoli in 4. 1632 apud eundem.

Quæ omnia varijs typis seorsim supposita, collecta in vnum prodierunt quatuor Tomis in fol. Neapoli typis Io. Dominici Montanari, & Iacobi Gaffari, expensis Io. Dominici Boue, cum Auctoris effigie pectore tenus ad viuum expressa; & sub titulo Theologiæ Moralis in quatuor partes diuisæ; quarum primam componunt Thesaurus Religiosorum, & Tractatus de Indulgentijs, & Iubilæis; secundam

conficiunt Speculi Confessariorum Pars I. & Pars II. vnà cum Tractatu de vitio Proprietatis; tertiam Tractatus de Pœnitentia, de Horis Canonicis, & de Quotidianis distributionibus; quartam verò Tractatus de Sacramento Eucharistiæ, & de Sacrificio Missæ absoluunt.

Typis parauerat & alios Tractatus Morales, quos inter *Tractatus de extrema vnctione*; sed morti proximus mss. inedita sibi deferri voluit, eaque à D. Benedicto à S. Mauro, Monasterij Infirmario, oblata coram se igni tradi voluit, ac omnia comburi.

Iam verò & prudentiæ Claustralis Bartholomæum à S. Fausto numeros expleuisse omnes, videre est ex ipsis Operum editorum præliminaribus. Qui enim in nuncupatione Speculi Confessariorum ad Hieronymum Vidonium olim Monte-Regali Pœnitentiariũ se narrat, Thesaurum Religiosorum iam Perusini Antistes Monasterij edidit. Insignem Tractatum de Indulgentijs, & Iubilæis euulgauit Neapoli domus, quam ibidem incolimus, Moderator. Hinc Visitator Generalis renuntiatus Tractatum de Horis Canonicis publicæ vtilitati exposuit, & tandem Theologię Moralis Partem vnam, & alteram communis fecit iuris Prouincię Romanę Prouincialis, quod munus post Bullam diuisæ Congregationis motu proprio Vrbani Papę VIII. editam primus exercuit, iubente eodem Vrbano VIII. literis datis in forma Breuis, vt infra:

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Aliàs à Nobis emanarunt literæ tenoris sequentis, videlicet: Vrbanus PP. VIII. ad perpetuam Rei memoriam, Ad vberes &c. Cùm autem sicut dilecti Filij Monachi dicti Ordinis Congregationis Reform. huiusmodi, Nobis nuper exponi fecerunt, Prouincia Romana eiusdem Congregationis Superiorem Prouincialem hactenùs non habuerit, nec habeat ad præsens. Pro illius verò prospero statu, ac pace, & quiete maximè expediat, vt vnus Superior Prouincialis huiusmodi per Nos constituatur, & deputetur, ac proinde ijdem Monachi nobis humiliter supplicari fecerint, vt desuper opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos pijs ipsorum Monachorum votis huiusmodi benignè annuere, felicique ipsius Prouinciæ gubernio, & directioni consulere cupientes, nec non de Tua fide, pietate, prudentia, & religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habentes, Te Prouin-

uinciæ Romanæ Congregationis S. Bernardi Reformatæ huiusmodi Superiorem Prouincialem cum omnibus, & singulis facultatibus, auctoritatibus, praeminentijs, concessionibus, fauoribus, gratijs, indultis similibus Superioribus competentibus, ac aliàs solitis, & consuetis, vsque ad Capitulum Generale proximè celebrandum iuxtà formam Constitutionis dictæ Congregationis, Apostolica auctoritate tenore præsentium creamus, facimus, constituimus, & deputamus: Mandantes dilectis Filijs Prouinciæ prædictæ Superioribus, & Monachis, cæterisque, ad quos spectat, vt Te in eiusdem Prouinciæ Superiorem Prouincialem sic per Nos deputatum iuxtà tenorem præsentium recipiant, & admittant, ac habeant, & recognoscant, Tibique pareant, faueant, & assistant. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præsentibus literis volumus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub Annulo Piscatoris die 19. Octobris 1630. Pontificatus Nostri anno octauo.

De pia vitæ clausula, quam Neapoli expleuit anno 1636. 20. Iulij, alius erit dicendi locus. Hìc tantum subijciam probitatis, & doctrinæ vestigium ab Anonymo de eo editum.

In te Magne Pater fulget pietatis imago,
Exemplar cunctis est tua vita decens.
In te virtutes Charites posuere benignæ,
Atque Minerua tibi munera larga dedit.
Palma tibi duplex summo seruatur Olympo,
Hanc sumes, superos cùm tua fata trahent.

Aliud eiusdem.

Tu pius, & sapiens ad sortem natus vtranque,
Terrea contemnis, queque suprema petis.
Non te facta tua cogent decedere vita,
Terraque dum stabit, non moriturus ades.

1620. *Franciscus à S. Bernardo,* Parisijs professus 26. Maij anni 1619. vernaculo suo idiomate scripsit, & impressionis beneficio communia fecit

Speculum contritionis ad excitandam animam ad fugam peccatorum. Lutetiæ sumptibus Io. Heuqueuille in 12.

Scalam Claustralium è Latino D. Bernardi Gallicè redditam. Ibid. 1620. penes eundem.

 Dire-

Directionem interiorem animæ Religiosæ. Ibidem, eisdemque typis, & anno. Fuit Gallus Carnotensis, adeòque non confundendus cum alio Francisco à S. Bernardo sub a. 1642. laudando, qui fuit Pedemontanus è Monte-Regali, & Superior Generalis totius Congregationis; imò nec cum alio Francisco à S. Bernardo itidem Gallo, sed Burdigalensi, de quo supra ad a. 1618.

1621. *Ioannes Iacobus à S. Scholastica*, cognomento *Berthier*, *Tolosanus*, ex Oppido Granatensi, in recensione virorum pietate illustrium altiùs repetendus, dum Burdigalæ Ecclesiastico Concilio Eminentissimi Principis Card. de Sourdis præesset, Congregationem S. Vrsulæ instituit, condiditque

Statuta, & leges eiusdem Congregationis.

Elimauerat & pijssimum aliud opusculum sub titulo.

Peregrini Agonizantis, quo sub prælo desudante, agonem suum consummauit in Domino septimo Idus Octobris, æui labentis anno primo & vigesimo.

1622. *Philippus Malabayla*, doctrinæ nitore, generis claritate, gestisque muneribus præstans, quemadmodum secundam huius Theatri partem Pedo Generalitio luculenter impleuit, ita & tertiam vigiliarum recensione decoret operæ pretium est. Sunt autem

Hist. B. Mariæ Virginis propè Montem-Regalem miraculis coruscantis. Parisijs apud Io. Heuqueuille 1622. in 4. iterumque vernaculo sermone a. 1627. Monte-Regali per Io. Thomam Rubeum

Vita Diui Bernardi Abbatis Clare-Vallensis; Italico eloquio primò luce donata, idque Taurini in officina Io. Dominici Tarini, & secundò Neapoli apud Io. Dominicum Montanarum, & Iacob. Gaffarum anno 1634. digna planè quæ sæpè sæpiùs recudatur; quandoquidem Auctor pio, suauique stylo eam in hoc Opere assequutus sit laudem, vt de mellifluo Bernardo scribens, melleus alter Bernardus censeatur.

Acta Sacra, Opus bipartitum in gesta Sanctorum, ac Beatorum Ciuitatis Astensis, & in vitas Episcoporum, narrationemque cæterarum rerum ad res sanctas eiusdem Ciuitatis spectantium.

Disquisitio de S. Brunonis Astensis, Episcopi Signiensis ortu, Canonicatu, & recessu à Casinensibus; edita in præliminaribus Operum eiusdem S. Brunonis Astensis; impressionis Venetæ.

Cly-

Clypeus Ciuitatis Astensis, liber Apologeticus, varia eruditione de Institutione, & iuribus Regni Italiæ exornatus. Lugduni impensis Michaelis Liberal 1656. in 4. & primò Astæ in 8. penes Franciscum Antonium de Zangrandis sub nuncupatione *Clypei Ciuitatis Astensis ad retundenda tela, quæ Auctor Chronol. Historiæ de Præsulibus Pedemontanis,* (is fuerat Franciscus Augustinus ab Ecclesia Episcopus Salutiensis) *in eam intorsit.*

Oratio funebris in obitu S. Francisci Salesij dicta Lugduni in Ecclesia Sanctimonialium Visitationis 2. Februarij 1623. & Parisijs anno eodem euulgata in 4. ex typographia Io. de Heuqueuille.

Oratio alia in laudem eiusdem S. Francisci dicta Annessij Gebennensium ad Moniales Visitationis; & Italicè Taurini excusa penes Hæredes Io. Dominici Tarini in 12. Eminentissimo Principi Cardinali à Sabaudia inscripta.

Apologia in Baronium. Quòd Diuus Gregorius Magnus fuerit verè Monachus Benedictinus, eidem Baronio ab Auctore præsentata.

Apologia pro Sancto Euasio contra Io. Bellainum. Quæ licet vigiliæ Philippum Malabaylam satis abundè commendent, haud tamen abs re erit Auctores subnectere, qui præter nostræ disciplinæ alumnos, debitas in eum laudes congerunt. Franciscus Augustinus ab Ecclesia Hist. Chronolog. Pedemont. Region. pag. 401. sic habet: *Philippus Malabayla ex Comitibus Canalis, Astensis Diœcesis, Monachus Ref. S. Bernardi, vir in liberalibus disciplinis haud mediocriter versatus, ac celebris Historicus.* Hyppolitus Marraccius Bibliothecæ Marianæ P. 2. pag. 296. inquit: *Vir sanè genere, doctrina, pietate, prudentia, alijsque virtutibus clarissimus;* & paulò infra: *Adhuc inter mortales vitam ducebat, vir maxima in Deiparam Virginem deuotionis anno salutis 1642.* Sed & Ferdinandus Vghellus Ital. Sac. T. 4. pag. 476. fatetur Catalogum Episcoporum Astensium Italiæ Sacræ insertum se collegisse ex monumentis Vaticanis, tùm ex alijs sibi Romam transmissis *à docto, & erudito Philippo Malabayla, Monacho Cisterciensi, olim Congregationis Fuliensium Monachorum S. Bernardi emerito Generali, patria, & Ecclesiasticarum rerum longè perito.*

1622. N. Vitam contexuit venerabilis Patris Caroli à S. Bernardo, Fundatoris Monasterij in Oppido Fontanensi, mellislui Patris nostri

nostri solo natali, potissimùm verò à natalium splendore, morum innocentia, vitæ asperitate, & pia vitæ clausula commendatissimi. Deuixit Carolus æternitati maturus, licet in ætatis flore, pridie Id. Martij anni à Virginis fœcunditate primi & vigesimi supra millesimum sexcentesimum. Auctor verò, quòd latere sub velo gauderet, eius gesta Heuqueuillanæ calcographiæ submisit anno insequenti in 8. non suo, sed Domini de Tournemeulle nomine præfixo.

1623. *Petrus De Flotes, Lemouicensis*, ille, qui illustriora Galliarum suggesta per tot annorum curricula gloriosè adeò impleuit, die 8. Septembris anni secularis 1600. sub Monastica *Petri à S. Bernardo* appellatione disciplinæ se deuouit Lutetiæ. Scientiarum candidati partibus ingenio Sodalibus præ cæteris exporrecto, absolutis, genio ad publicam eloquentiam propenso indulsit. Illum Christianissimi Reges, illum, præter Parisios, Lugdunum, Burdigalam, aliæ frequentissimæ Vrbes non semel audiere actione, voce, memoriæ tenacitate, verborum delectu, & copia, doctrinæ varietate gratissimum, nec minus conuersationis probitate, ac ignea quadam efficacia cordis intima penetrantem fructuosum. Permagni illum faciebant viri doctissimi, & pietate clari, potissimùm verò S. Franciscus Salesius, cui erat perquam familiaris. Ab eo emanata supersunt

Oratio funebris habita Lugduni 28. Ianuarij anno 1623. ad Virgines B. Mariæ de Visitatione in funere dudum celebrati S. Francisci Salesij, ac ibidem eodem anno impressa typis Io. Iullieron in 4. Præoccupauerat & Parisienses excusores alia Opella in 8. materna sua lingua exarata, cuius attitulatio est

Dedicatio Religiosa, seu considerationes, exercitiorum spiritualium methodo disposita, pro annua votorum Monasticorum renouatione.

Vtinam concionibus magni ieiunij diebus, aliouè tempore ad populum nunquam absque subselliorum plausu habitis, potiremur! Ingens sanè desiderium superstes de eo fama vellicat. Sed qui alios cogitabat typos, ad dignitates Ordinis Prouincialis, Prioris, Superiori Generali à Consilijs prætereà euocatus, agendo potiùs, quàm scribendo senectam clausit, denatus Burdigalæ pridiè Idus Septembris anno 1666.

1625. *Petrus à S. Ioseph, Comagere*, largiori cum commendatione

per

per doctissimorum hominum ora volitans nomen, honesta familia, *Auscensis*, perspicacis vir iudicij, tenacissimæ memoriæ, dilucido potissimùm, profundoque ingenio, & cui ægra semper cum valetudine ingens mentis vigor inesset. Quarto supra nonagesimum ætatis nostræ anterioris anno natus, admodum adolescens, Lutetiæ Fulliensibus adhæsit. Tyrocinio exacto, votisque publicè emissis, in eam rem neruos intendere omnes visus est, vt Philosophorum, & Theologorum scita edisceret, elucidaret, & compendiosè perstricta, mirè distincta, & digesta, voce, calamo traderet. Nec mora. Dum totus in Cathedra, totus in circulis est (non enim vel ipsa honorum collatione, familiarumque regimine à studijs auelli diù passus est) primam doctissimi Philosophi, sapientissimique Theologi laudem assequitur. Et reuerà quanta cum fruge laudatis in huiuscemodi disciplinis excelleret, fatentur tot nostrorum Comitiorum Generalium Cœtus, qui feruenti, & studioso eius ingenio fauendo propensi, Sodalibus instituendis per integros triginta annos admouerunt, nec à scholis regendis ad res domesticas pertractandas euocarunt vnquam, nisi in grauiori ipsa senecta, cùm, viribus doctas inter lucubrationes iam ferè consumptis, Præfecti Tolosæ, & Seduni, ac mox Censoris in Prouincia Franciæ caractere condecorarunt, quo in munere diem suum obijt. Fatetur auida vbique eius vigiliarum exceptio, nec Bibliopolis minus vnquam luctosa distractio, quamplurimæ in omni forma impressiones, adeòque frequens typis submissio, vt *Idea Theologiæ* anno 1640. prælo Iosseo publici iuris primò facta, in eadem officina anno deinde 1653. reimpressa cum septimæ editionis gloria nouam iam lucem aspiceret. Fatentur Nebulones ipsammet Ideam sub *Solis Theologici*, & *Hermetis Theologici* nuncupationibus recudere ausi, debitam Auctori gloriam, sublato eius nomine, proprio apposito, sibi vindicare nequaquam veriti. Fatentur cum Iansenij fautoribus haustos ad deponendos errores solidis confutationibus addictis, vitæ à rebus humanis sequestris detractores, quibus, Seraphicus alter Bonauentura, silentium imposuit, cùm se se docta Apologia opposuit. Fatentur Romanæ Sedis, & Galliæ Episcoporum lacessenda ab auctoritate repressi Nouatores. Fatentur tandem publica de eo fama, & existimatio. Parisijs in difficilimis Fidei controuersijs, & Theologiæ disceptationibus permagni ponderis erant Petri à S. Ioseph vox,

vox, & sensus. Discrepantias opinionum inter scholas Iesuiticam, & Thomisticam exortas, nescias, an suauiùs, an doctiùs composuerit. Scholastici ab ipso concinnati labores, ob præscriptam Lectoribus Legem eos tantùm triennali in studiorum puluere nostris tradendi, Philosophiæ, & Theologiæ Fuliensis nomine nuncupantur. Fatentur cum celebri inscriptione in Capitulo Monachorum Parisiensium, in quo diem nouissimum præstolatur, ad perennem eiùs memoriam erecta, longa etiam voluminum series. Inscriptio inquit:

Sta quisquis es, & Luges.
Mors ex Orbe abstulit
Reu. P. Domnum Petrum à S. Ioseph,
Quem Ciuitas Auscensis Orbi olim dederat,
Quem Congregatio Fuliensis iuuenem gaudens susceperat,
Quem rectè gesta, doctèque scripta Mundo celebrem reddiderant,
Quem religio, & pietas Deo, Angelis, & hominibus
Gratum fecerant,
Cuius memoria in benedictione etiam apud posteros erit,
Suis charus, omnibus probis probatus, inter doctos insignis,
Fide integer,
Solis improbis, & Hæreticis inuisus fuit.
S. Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ Cultor obseruantissimus,
Et vtriusque hostium debellator inuictissimus,
Sæpè, imò semper languidus corpore, & quasi incorporeus,
Quia totus mens, & totus intelligentia;
Apud suos in Theologia, & Philosophia Lectoris munere per 30. annos
Summa cum laude functus est.
Ideas Theologiæ, & Philosophiæ summa breuitate, simulque
Mira claritate conscripsit;
Vitæ Religiosæ obtrectatorum nimiam loquacitatem
Doctissimis scriptis fortiter repressit;
Iansenianam hæresim per Gallias grassantem
Inuicto labore fæliciter expugnauit;
SS. Patrum, in primisque S. Augustini, ac D. Thomæ doctrinam
Ab omni labe constantissimè vindicauit;
Summi Pontificis, Episcoporumque Gallicanorum auctoritatem
A Nouatoribus impetitam, acerrimè defendit;

Deni-

Denique de Religione, de Ecclesia, de Theologia, & Philosophia
Benemeritus, & Doctor; Scriptorque emeritus
Nusquam satis mœrendus
Heu moritur! si moriturus.
Die 10. Iul. anno Incarnationis Dominicæ 1662. ætatis suæ 68.
Orate pro eo.

Operum verò Elenchus hic est:

De gratia. Parisijs 1625. in 8.

De Sacramentis Ecclesiæ. Tolosæ penes Petrum Bosc 1627.

Defensio S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici aduersùs recentiores quosdam Theologos, qui Prædestinationem Physicam ad actus liberos ipsi falsò adsignant. Lugduni 1633. in 4. & Duaci apud Balthazarum Bellerum.

Suauis concordia humanæ libertatis cum immobili certitudine prædestinationis, & efficacia auxiliorum gratiæ. Parisijs 1639. apud Mathurinum du Puis in 4.

De admirabili Sacrosanctæ Eucharistiæ Mysterio. Parisijs 1640. apud Georgium Iosse in 8.

Idea Theologiæ speculatiuæ, moralis, & Sacramentalis Volumina quatuor in 8. Lutetiæ apud præfatum Iosse 1640. & multoties alibi in 8. & in folio, opus nunquam satis laudatum, nec satis impressum.

Defensio S. Augustini Hipponensis aduersùs Augustinum Iprensem quoad auxilia gratiæ, & humanam libertatem. In eadem officina 1643.

Sensus Sancti Francisci Salesij in Controuersia de gratia. Parisijs 1644.

Examen Theologiæ modernæ ad trutinam veræ Theologiæ complectens materno Auctoris sermone volumina duo, in quorum priori agit de opinionibus concernentibus materias de gratia, & auxilijs, vindicat Ludouicum Molinam Soc. Iesu ab impugnatoribus quibuscunque antiquis, & recentioribus, maximè autem à Iansenio. Reicit præcipuas Iansenistarum maximas, & N. Habert Antistitem Vaprensem ab Apologista Iansenij Episcopi Iprensis defendit. In posteriori verò tractat de duobus Ecclesiæ Capitibus, detegit, & corrigit errores libri *De amplitudine Ecclesiæ Romanæ*, ab Auctore anonymo Gallicè editi. Lutetiæ 1647. apud Mathurinum in 4. magno.

De Sacramento Pœnitentiæ, & frequenti Communione, typis Mathurini, & Ioannis Hainault 1648. Parisijs.

Eucharisticon, ideſt Epiſtola in gratiarum actionem ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Abbatem Bouise, ibidem 1650.

Conſenſus Orbis de gratia ſufficienti. Ibidem apud Ioſſe 1652. in 12.

Defenſio Epiſcoporum contra Ianſeniſtas. Ibidem eodem anno.

Conferentia S. Sulpitij. Ibidem 1652. in 8.

Idea Philoſophiæ rationalis, ſeu Logica, tractans de mentis directione.

Idea Metaphyſicæ, tractans de rationibus vniuerſalibus rerum.

Idea Philoſophiæ naturalis, ſeu Phyſica, de ijs, quæ ſpectant ad cognitionem rerum naturalium.

Idea Philoſophiæ Moralis, ſeu Ethica, de Beatitudine, de actibus humanis, & de Virtutibus moralibus. Quatuor hæc volumina prodiere etiam Pariſijs anno 1654. in 12. typis Ioſſeis.

Defenſio Conſtitutionis Innocentij X. Pontificis maximi, in qua damnantur quinque propoſitiones Ianſenij. Ibidem 1656. in 8.

Mens Auguſtini, imò & totius Eccleſiæ circa opiniones à facultate Pariſienſi examinatas, contra eos, qui præfati Auguſtini auctoritatibus abutuntur.

Opuſcula ſpiritualia, inter quæ recenſetur *Præparatio animæ deuotæ ad Chriſti Mundo naſcentis amplexus*. Toloſæ.

Opuſcula contra Vitæ Clauſtralis improbatores.

Confutatio libri à Dionyſio Raymundo euulgati pro aſſertione quinque Ianſenij propoſitionum. Pariſijs 1661 in 8. penes Muguet.

Defenſio Formularij. Ibidem 1662.

1630. *Carolus Vialart*, depoſito, ad Religionis præſcriptum, agnomine Sæculari, *à S. Paulo*, dictus, meritorum ſuffragio in totius Congregationis moderatorem aſſumptus, maiorique virtutum incremento in dies excreſcens, gregi Abrincenſi Paſtor datus, Generalitias, ac Epiſcopales infulas doctis inſuper monumentis coronaturus typis, Gallico ſuo eloquio, adaptauit

Templum felicitatis; volumen in folio, iconibus excellenti penicillo expreſſis, & eruditis interpretationibus explanatis, ob hominum oculos ponens veram felicitatem à fallacibus Mundi delicijs, vaniſque

nisque diuitijs haud pendere, quinimò à morum perfectione, ac spiritus tranquillitate, à contemplatione, & amore, queis Deus ab anima possidetur. Excudebat Parisijs Carolus Cramoysi in magno folio. 1630.

Tabulam eloquentiæ Gallicæ, Opus, in quo Oratori aptè loquuturo perfectionem Rhetorici discursus exprimit; proponit methodum tenendam in verborum delectu, & in periodorum concinnatione, in styli efformatione, & partium dispositione; aperit inuentionum fontes, pandit materiarum penu, agit de ornatu, nec regularum obseruandarum omittit vllam. Ibid. in 8. 1632.

Geographiam sacram, siuè notitiam Episcopatuum Ecclesiæ vniuersæ. Ibid. 1641. ex officina Sebastiani Cramoysi cum tabulis æneis in folio.

Petrus à S. Romualdo suo loco celebrandus in Epistola dedicatoria sui Thesauri Chronologici plura scripsisse narrat, quæ locupletes eloquentiæ, doctrinæ, atque pietatis Thesauri sint. Verùm quænam hæc sint minimè refert, nec ego vidi præter

Tabulam Magdalenæ, Parisijs luci explicatam 1628. in 8. & à Carolo de Vvisch falsò attributam Io. Golutio.

1630. *Alexander*, patria *Mons-Regalensis*, gentilitio agnomine *Vitalis*, Monastico autem *à S. Catharina*, ad arctioris Cistercij statum Romæ conuolauit, vbi anno 1615. diuini se obsequij sacro iureiurando perpetuum mancipem dixit. In ipsis conuersationis primordijs eas visus est dotes secum adduxisse, quibus breui doctrina, ac sanctimonia elucesceret. Et ingenij quidem illud studendo specimen dedit, vt mox alijs erudiendis haud impar foret. Pietatis verò radij non ita post multò enituere, cùm assumpsit demandatam sibi prouinciam tradendi Tyronibus leges vitæ à Mundo sequestris. Militantibus in pœnitentiæ Castris suæ asperitatis norma præibat. Cœlestis institutionis rudimenta ponentes Cœlo inhærere totos continuâ rerum æternarum meditatione edocebat. Monasteriorum exinde renuntiatus Antistes, hoc est à Nouitijs ad veteranos spiritualis pugnæ regendos Athletas euocatus, clarioribus in dies radijs enituit. Nunquam familiæ sanctiores, quàm eo Præside, & suo exemplo calcar addente currentibus, ne quis non acciperet brauium, & comprætenderet. Quantus porrò vir Alexander Vitalis foret, vltimum eius Re-

M 2 gimen

gimen Pinerolium suspexit. Epidemia anno 1630. grassante, cum selecto suorum Ascetarum agmine illicò in charitatis arenam descendit. Lustrare domos, Xenodochia inuisere, opè destitutis opem ferre, Eucharisticum salutis Viaticum ministrare perrexit, donec sæuo morbo & ipse correptus, opima amoris in proximum victima occubuit. Huiuscemodi verò curis ita distentus est, vt prælos etiam occupare in animo haberet. Reliquit perpulcra spiritualia opuscula mss. inter quæ habetur, Italicè tamen

Iuge virtutum exercitium pro Sanctimonialibus. Hæc Rossotus in Appendice ad Syllab. Script. Pedemontij, vbi refert prænarratum libellum se inspexisse penes P. Vitalem de Vitalibus Ord. Min. de Obseruantia Auctoris Nepotem, mox imprimendum.

1635. *Franciscus Manfredus Vercellensis*, post habitus susceptionem *Franciscus à S. Mauro*, Theologiæ fori conscientiæ directricis cum paucis gnarus, operam probauit suam Monte-Regali, vbi multò temporis Pœnitentiarium egit. Diuini verbi annunciator non vltimæ notæ, Poesis quoque amantissimus, pangebat metro heroico

Virginitatem coronatam, idest *Vitam S. Agnetis Virginis, & Martyris*. Videsis Rossotum in Syllabo.

Disciplina initiatus Astæ quarto Idus Iunij anno 1635. spiritum posuit Vercellis decimo sexto Calend. Augusti anno 1670.

1637. *Claudius de la Noüe*, in Fuliensium Cœtum sub cognomento *Claudij à S. Petro* Lutetiæ adscitus, vouit die penultima Iunij 1615. religione, ac doctrina præditus, disciplinas, quibus iuuentam imbuerat, impertiri & ipse alijs potuisset. Verùm pietati addictus, operis cœlestis officijs ad decrepitam vsque ætatem vacare visus est, idque non priuato duntaxat obsequio, sed lucubrationibus directioni domus Dei, Choro, & Ecclesiæ opportunissimis, nimirum compilauit

Ceremoniale Fuliensium Lutetiæ dissimulato suo nomine luci expositum 1637. in 8.

Abijt è mortalibus deuexo ad senium æuo anno 1660. 20. Octobris, locumque sepulturæ Parisijs accepit, vbi & Religionis mancipem se se præbuerat 29. Iunij anni 1615.

1640. *Nicolaus Grandinus*, *Romanus*, assumpto deuoto agnomine

mine *Nicolai à S. Vincentio*, in Ordinem cooptari voluit ad S. Pudentianæ, vbi spiritualem sub Reformationis signis sequi militiam iurauit 29. Maij anni 1640. Desudauit in studiorum puluere magna ad palmam contentione, quæ ei nemini præ ingenio inter commilitones secundo, mox adiudicata est, cùm ex auditore in Cathedraticum humanæ, diuinæque scientiæ transijt. Rexit familiam S. Bernardi ad Thermas, aliaque obiuit munera, & nisi à scribendo sistere mors imperasset, quæ eum anno 1652. apposuit ad reliquas prædefunctorum cineres, alia reliquisset sui calami monumenta præter *Animaduersiones in vniuersam Theologiam scholasticam*, & *Philosophiam* quarum meminit Carolus de Vvisch Biblioth. Script. Sac. Cisterciensis Ordinis pag. 252.

1640. *Georgius à S. Benedicto* Oppidum propè Cherium, *Ripa* appellatum, patriam habuit, ex familia *Celle* progenitus. Mundum exosus, quandò Mundi fabulam, sexdecim annorum puer propiùs intueri nondum valebat, Religioni se dedit in celebri Abbatia Beatæ Mariæ secùs Pinerolium, Principem ante cuius aram consuetis disciplinæ votis authoratus est xj. Martij anni 1612. Vbi verò literariam se se in arenam coniecit, ingenium prodidit omnigenæ eruditionis vorax, in Rhetorices amœnitatibus florentissimum, in studijs scholasticis ardens, ac peracutum, adeòque Præceptorum expectationi satisfaciens, vt mox alios edocturus in Asceterio Abundantiæ propè Geneuam Cathedram & ipse conscenderit. Lectoratuum Sparta magna cum laude absoluta, prudentiæ, ac Monasticæ institutionis zelo exciuit PP. conscriptos ad sublimiores sibi Prouincias demandandas. Monasterijs ius prouidi Antistitis dixit, Prouinciæ Subalpinæ cum Prouincialis imperio præfectus est. Procurator Generalis creatus, rem communem in Curia Romana promouit. Assessor, & Visitator Generalis renuntiatus, vi consilij, & Censoria potestate toti Congregationi prestò fuit. Nec implendis collatorum tot sibi munerum numeris ita detinebatur, vt typis occupandis vacare omninò nequiret. Nam preterquamquod fœcundo, viuacissimoque instructus erat ingenio, redimebat nocturnis vigilijs diei à curis absorpti dispendia. Sola, proh dolor! infirmitatum incommoda ab ampliandis Reipublicę literarię vtilitatibus illum prępediebant. Podagra, & Chiragra ad supremam vsque horam grauissimè laborauit, morbis nempè infensis-

fensissimis, quibus & sublatus est anno 1652. septuagenario minor. Aderat Monte-Regali paucis antequam spiritum ibi efflaret diebus Christina à Francia, Regum Filia, Soror, Coniux, & Parens, cùmque pietatis causa deuotissimam ad Virginem Vicensem adornasset peregrinationem, antequam Templum ingrederetur, Georgium à S. Benedicto, quem lethaliter decumbere resciuit, salutatum misit, votisque ante miraculosę Imaginis aram persolutis, suo & in cubiculo inuisere voluit, benignitate coronatis frontibus insolenti ostensura, quanti haberet celebrioris famę virum. Cuius ne multę doctrinę memoria depereat, facit

Totius Dialecticę Enchiridion Taurini luci productum 1641. in 4. penes Io. Iacob. Rustis.

Peripateticę Philosophię Commentarijs, & Disputationibus illustratę Pars prima vniuersam Logicam complectens in eadem officina typis supposita, sed podagrę vitio non absoluta. Folia excusa vnà cum Dialecticę exemplaribus adseruantur Taurini in Biblioth. B. Marię Consolatricis, pręclarum Philosophi eximij, & in enodandis difficultatibus facilis, dilucidique monimentum.

Eius item cura prodierunt Romę apud Mascardum anno 1640.

Deuota opuscula *De contemplatione, de Nundinis animę, De octo Beatudinibus, De perfectione Seruorum Dei*. At mss. hęc à tineis vindicata sint nę Bernardo bene attributa, viderit ipse. Ego cùm alijs sentio Bernardi calamum nequaquam sapere. Edidit &

Stellarium gloriosę Virginis Deiparentis Marię Taurini excusum impensis Bartholomæi Zappatæ in 12. 1640. sed libellus est obiter tantùm indicandus, quòd Romana Censura notatus sit, & Operum prohibitorum Indici illatus.

1640. *Ioannes à S. Martiali*, qui domo *Vincent*, *Lemouicis* natus, anno seculi anteacti penultimo, mensis verò Decembris luce prima post vigesimam Parisijs Institutioni se addixerat, in diuina pagina, & Sacra Historia diù versatus, comparatam in legendo cruditionem posterorum vtilitati accommodauit, ediditque

Annales sacros à Mundi exordio ad Mundi Saluatoris annum 34. Lutetiæ 1640. impressos cura, & opera Georgij Iossei Bibliopolæ in fol.

Commentaria in Epistol. Pauli Apostoli ad Hebræos. Ibid. quadriennio post in fol.

Quan-

Quanta autem, quantumque perspecta probitate, & prudentia instructus foret, solaribus radijs clariùs comprobant, quæ sustinuit, dignitatum pondera Prioris, Prouincialis, Visitatoris, vtque prima Abbatis Generalis consilia vocamus, Assistentis. Extremum humanæ naturæ pensum soluit Plessiaci tertio Nonas Iunij 1648. magno sui desiderio relicto.

1641. *Antonius Lopez de Quintal*, *Scalabitanus*, frater germanus Mariæ à Seraphinis Ord. Cisterc. in Cœnobio S. Bernardi de Almuster Sanctimonialis clarissimæ, cuius vitam, & virtutes edidit 1666. Idiomate Lusitano Fr. Emanuel à Resurrectione Procur. Gen. Augustinianorum nudipedum in Regno Portugalliæ; acerrimi vir ingenij, Iuris Cæsarei, & Pontificij peritia excultus, Philosophus, ac Theologus, composuit Latij lingua

Scholia in nostras Constitutiones.

Responsionem ad libellum P. Andreæ Blanci è Soc. Iesu, sub nomine Candidi Philalethi Sacerdotis Ianuensis, excusum Genuæ 1642. in 8. postea Matriti 1645. & Cremonæ 1646.

De opinionum praxi.

Responsionem ad tractatum de opinione probabili Prosperi Fagnani, & Antonij Marinarij.

Etrusco autem sermone scripsit

Vitam S. Romanæ Virginis.

Stipendia sub nostris signis facere cœpit Neapoli 1641, sub nomine *Antonij à S. Vincentio*, 24. Iulij, & miles emeritus diem suum obijt in Monasterio Ciuitatis S. Angeli, vnde eius mss. Romam delata asseruantur in Bibliotheca S. Pudentianæ.

1641. *Petrus de Sanctis*, origine *Abbeuillanus*, Monastico cognomento, quod octauo Cal. Ianuarij anni 1609. vnà cum habitu assumpsit, dictus *à S. Maria Magdalena*, adornauit

Tractatum Horologiographicum, in quo docet formationem Sphærarum, & omnis generis Horologiorum, etiam eorum, quibus nocte cognosci queant horæ, necnon fluxus, & refluxus maris. Impressor extitit Franciscus Langlois Bibliop. Parisiensis 1641. in 8. eademque forma 1645. & tandem quarta editione auctum, & reuisum, editumque Lugduni 1674. penes Franciscum Demasso in vico Mercatorum. Hic strictioris disciplinæ exactissimus cum paucis obser-

uator

nator claruit. Dignitatum ambitum nescijt. Ab vnius Cœnobij demandata sibi administratione, triennio nondum absoluto, volens abijt, & inter fabricandas temporis mensuras cogitans dies antiquos, nec vnquam quantum sibi ad mortem superesset ætatis immemor, tempori denascitur Parisijs 24. Februarij 1648. annis æternis, quos in mente habebat, oriturus.

1641. *Lucas Bertolotus* inter Congregationis Archimandritas iam laudatus, inter Athenæi lumina iterum celebrandus venit. Floruit omni politiori literatura excultus, disertus si soluta, facundus si ligata scriberet oratione, potissimùm verò lapidaria excellens in arte, cuius vt fastigium attingeret, assequi enixus est Taurinensem Phœnicem Emanuelem Thesaurum, artis eiusdem vnicè commendandum Magistrum, prout luculento ipsemet anagrammate edocuit, cùm dixit:

Dominus Emanuel Thesaurus Patritius Taurinensis, & Comes.

Anagramma.

Scio te vtriusque lapidariæ artis nostrum natum esse Numen.

Excellentiæ in huiuscemodi scribendi genere, alijsque specimen sunt

Hotrerica Lucæ Bertoloti, seù Ius Ducum Sabaudiæ in Regnum Cypri, amœnissimâ sub narratione, & anagrammaticis sub nominibus descriptum, quinimò & ipse operis titulus lepidus, & anagramaticus est, confectus ex inuersis huius nominis *Rhetorica* literis, & Auctoris in Rhetorica felicitatem ostendens. Prodijt Romæ anno 1641. typis Francisci Monetæ in 12.

Columba Pamphilia. Elog. ad Innoc. X. Pont. Max. penes eundem Monetam 1645. in 4.

Nardus Gallica. *Specus Bethlehemitica*. Elog. in Diuum Bernardum, ibidem 1650. in 4.

Alcydes Mysticus. Aliud in eundem Claræ-Vallensem Abbatem elogium, ibidem ex officina Io. Petri Collinij 1652. in 4.

Elogium Francisci Peretti Card. Montalti. Ibid. apud Manelphum Manelphij 1652. in 4.

Io. Bona Card. S. R. E. Eminentissimi vita Camillo Card. de Maximis inscripta. Astæ apud Secundum Victorium de Zangrandis 1677. in 8.

Diui

Diui Bernardi Mellifui Ecclesiæ Doctoris gesta illustriora, elogiaco relata stylo; seù vnò & triginta supra centum elogijs, totidemque historicis enarràta prosis, opus postumum, quod publici iuris factum habemus opera D. Matthæi à S. Benedicto, & calculis Nicolai Angeli Tinassij Cameræ Apostolicæ Impressoris Romæ anno 1682. in 4.

Ab eo præterea extant Italico idiomate

Cardinalis Montalti currus: opus, vt inquit Rossotus, tùm styli elegantia, tùm sententiarum splendore iucundissimum. Mſ. in Bibliotheca B. Mariæ Consolatricis Taurini.

Antistes Regularis.

Item Latino sermone

Centum Morales Conscientiæ casuum resolutiones:

Cor Iesu amanti Sacrum, pijs, & affectiuis meditationibus eidem Iesu anagogicis motibus purgatum, illuminatum, vnitum. Mſ. in Bibliotheca S. Bernardi ad Thermas.

Vberiores ex eius Minerua fructus posteritas demeteret, si præcipuis Claustri dignitatibus obruto licuisset monumentis excudendis se totum impendere. At quæ à typis Monasticæ eum distrahebant curæ, typis ipsæ reddebant. Quòd enim à Galliæ Prouincijs, multoque post tempore à Missalis, & Breuiarij Cistercienfis ritibus facta seceſsione, legum, cæremoniarum, & cantus nedum codices ad statum præsentem satis accommodatos haberemus, quòdque inserta Constitutionibus desiderarentur sancita Capitulorum Generalium plurima, quæ iam repetita approbatione in Constitutiones transierant, hanc ille Spartam ornaret operæ pretium fuit, quod & ad omnium votum cumulatissimè præstitit, præbuit nimirùm

Manuale Chori ad vsum Congreg. Monach. S. Bernardi Ord. Cistercienſis, ea continens, quæ vel cantari, vel recitari ſolent. Romæ typis Iacobi Fei Andr. fil. 1667. in 8.

Regulam Sanctiſsimi P. N. Benedicti Abbatis cum Constitutionibus, & declarationibus Congreg. Monach. Reform. S. Bernardi Ord. Cistercienſis, auctoritate Capit. Gen. anni 1667. recognitis, & emendatis. Romæ apud Successorem Mascardi 1668. in 8.

Rituale Monasticum Cong. Reform. S. Bernardi Ord. Cistercienſis. Ibidem apud Succeſſ. Mascardi 1668. in 8.

Librum Choralem Hymnorum, & Antiphonarum, tàm ferialium,

quàm præcipuarum festiuitatum, & Officij Defunctorum, cum notis cantus ad vsum Cong. Reform. S. Bernardi Ord. Cistercienfis. Ibidem apud eundem 1669. in fol.

1641. *Andreas Roſſotus*, ciuis *Montiſ-Regalis*, Congregationi ſe mancipauit Pinerolij pridie Calend. Octobris anni à Virginis partu 1627. *Andreas à S. Ioſeph*, ab eo tempore dictus. Philoſophiæ naturalis, & Sacræ Theologiæ ſtudijs mox Romæ excultus, hominem præbuit non minùs aptum verbis ad populum ex ſuggeſto faciendis, quàm facultatibus ſpeculatiuis ex Cathedra explanandis. Franciſci Adriani Card. Ceuæ Theologus, Præfecturas etiam Monaſteriorum nonnullas geſſit; & grauiores inter Patres aliquando adſcitus, obiuit Romanæ Prouinciæ inſpectionem. Mortalitatis ſarcinam depoſuit vbi mortalis vitæ primam delibauerat auram, cùm ab eius calamo iam emanaſſent

Caſus Dauidis. Romæ apud Maſcardum 1641. in 12.

Maria Conſtantia. Ibid.

Lamentationes Aman. Ibid.

Iacob repatrians. Ibid. penes Hæred. Corbelleti 1646.

Philiſthæus proſtratus. Ibid. 1653. apud Io. Petrum Collinium.

Aulæ viciſſitudines expreſſæ in Fauoritorum vitis, hoc eſt Thomas Volſeius Card. Eboracenſis nuncupatus lib. 1. Ibid. 1652. excuſore Franciſco Moneta.

Thomas Cromuelus lib. 2. Ibid. 1655. ex officina Angeli Bernabò.

Barda Conſtantinopolitani Imperatoris Priuatus lib. 3. Apud eundem 1657.

Virtutis triumphatricis, ac vitij deiecti Dialogi ſex. Genuæ prælo Petri Io. Calenzani 1661.

Muſarum etiam amantiſſimus edidit

Sidera feſtiua ad Magorum ſtellæ exortum. Romæ apud Angelum Bernabò.

Magorum peregrinatio. Ibid. 1649. impreſſoribus Corbelleti Hæredibus.

Sancti Sebaſtiani, aliorumque Chriſti Martyrum in Cœmeterio Callixti quieſcentium Epinicium, quod etiam publicæ vtilitati expoſuit in Vrbe Franciſcus Moneta 1651.

Hæc ſcripſit Italica lingua. Quæ verò Latino idiomate dedit, ſunt *Axio-*

Axiomata vera, & Sacra Philosophia. Genuæ typis Petri Ioannis Calenzani 1660.

Syllabus Scriptorum Pedemontij, seù de Scriptoribus Pedemontanis, in quo breuis Librorum, Patria, Generis, & nonnunquam Vita notitia traditur. Additi sunt Scriptores Sabaudi, Monferratenses, & Comitatus Niciensis. Patrijs typis Francisci Mariæ Gislandi 1667. in 4. Cuius Bibliothecæ editioni immortuus elatus est ad Deiparæ Vicensis Templum, vbi iacet, famæ diù victurus ob perennitatem nominis, quod commendant Carolus de Vvisch, Franciscus Augustinus ab Ecclesia, ille in nomenclatione Scriptor. Ord. Cisterc. hic verò in Catalogo Script. Pedemontij; Carolus Chartarius in Syllabo Aduocator. Concistorialium; Santhus Comes in lib. inscripto Sapientia Stoicorum; Hyppolitus Marracius in Biblioth. Mariana; Aprosius Abintimiliensis in suo Museo Aprosiano; & Nicolaus Antonius Bibliothecæ Hispanæ doctissimus compilator in præloquio ad Lectorem, vbi cæteros recenset, qui Patriæ Scriptorum Catalogos concinnarunt.

1642. *Io. Franciscus Maynardus*, ille videlicet *Franciscus à S. Bernardo*, quem ad totius Congreg. clauum quinquenniò consedisse diximus, aliquot reliquit sui calami vestigia, quæ, Italico tamen sermone conscripta, nuncupantur

Idea Magistri Claustralis. Romæ 1642. in 12. excusore Dominico Marciano.

Fides oculata Examinatoris Regularis. Tractatus agens de discretione spirituum ei necessaria, cui incumbit seligere, & admittere postulantes habitum Religionis. Ibidem 1644. in 8.

Tenebræ illustratæ, seù Vita B. Claræ Agolantis. Bononiæ in typographia Iacobi Montis 1651. in 4.

Innocentia triumphans in præclarè gestis à S. Bernardo Abbate Claræ-Vallensi. Ibid. 1654. in 4.

Gloria Ariminenses, Vita scilicet S. Gaudentij Episcopi, & Martyris. Arimini 1659. in 4. sumptibus Simbeni.

Spiritus S. Bernardi. Opus duobus distinctum voluminibus, quod Mediolani impressioni subijcere parans, vitam cum morte commutauit, spiritu in Creatoris manibus consignato, dum proximi mores ad S. Bernardi spiritum componere curat, ad eam nimirùm sanctis-

quàm præcipuarum festiuitatum, & Officij Defunctorum, cum notis cantus ad vsum Cong. Reform. S. Bernardi Ord. Cisterciensis. Ibidem apud eundem 1669. in fol.

1641. *Andreas Rossotus*, ciuis *Montis-Regalis*, Congregationi se mancipauit Pinerolij pridie Calend. Octobris anni à Virginis partu 1627. *Andreas à S. Ioseph*, ab eo tempore dictus. Philosophiæ naturalis, & Sacræ Theologiæ studijs mox Romæ excultus, hominem præbuit non minùs aptum verbis ad populum ex suggesto faciendis, quàm facultatibus speculatiuis ex Cathedra explanandis. Francisci Adriani Card. Ceuæ Theologus, Præfecturas etiam Monasteriorum nonnullas gessit; & grauiores inter Patres aliquando adscitus, obiuit Romanæ Prouinciæ inspectionem. Mortalitatis sarcinam deposuit vbi mortalis vitæ primam delibauerat auram, cùm ab eius calamo iam emanassent

Casus Dauidis. Romæ apud Mascardum 1641. in 12.

Maria Constantia. Ibid.

Lamentationes Aman. Ibid.

Iacob repatrians. Ibid. penes Hæred. Corbelleti 1646.

Philisthæus prostratus. Ibid. 1653. apud Io. Petrum Collinium.

Aulæ vicissitudines expressæ in Fauoritorum vitis, hoc est Thomas Volseius Card. Eboracensis nuncupatus lib. 1. Ibid. 1652. excusore Francisco Moneta.

Thomas Cromuelus lib. 2. Ibid. 1655. ex officina Angeli Bernabò.

Barda Constantinopolitani Imperatoris Priuatus lib. 3. Apud eundem 1657.

Virtutis triumphatricis, ac vitij deiecti Dialogi sex. Genuæ prælo Petri Io. Calenzani 1661.

Musarum etiam amantissimus edidit

Sidera festiua ad Magorum stellæ exortum. Romæ apud Angelum Bernabò.

Magorum peregrinatio. Ibid. 1649. impressoribus Corbelleti Heredibus.

Sancti Sebastiani, aliorumque Christi Martyrum in Cœmeterio Callixti quiescentium Epinicium, quod etiam publicæ vtilitati exposuit in Vrbe Franciscus Moneta 1651.

Hæc scripsit Italica lingua. Quæ verò Latino idiomate dedit, sunt *Axio-*

Axiomata vera, & Sacra Philosophia. Genuæ typis Petri Ioannis Calenzani 1660.

Syllabus Scriptorum Pedemontij, seù de Scriptoribus Pedemontanis; in quo breuis Librorum, Patria, Generis, & nonnunquam Vitæ notitia traditur. Additi sunt Scriptores Sabaudi, Monferratenses, & Comitatus Niciensis. Patrijs typis Francisci Mariæ Gislandi 1667. in 4. Cuius Bibliothecæ editioni immortuus elatus est ad Deiparæ Vicensis Templum, vbi iacet, famæ diù victurus ob perennitatem nominis, quod commendant Carolus de Vvisch, Franciscus Augustinus ab Ecclesia, ille in nomenclatione Scriptor. Ord. Cisterc. hic verò in Catalogo Script. Pedemontij; Carolus Chartarius in Syllabo Aduocator. Concistorialium; Santhus Comes in lib. inscripto Sapientia Stoicorum; Hyppolitus Marracius in Biblioth. Mariana; Aprosius Abintimiliensis in suo Museo Aprosiano; & Nicolaus Antonius Bibliothecæ Hispanæ doctissimus compilator in præloquio ad Lectorem, vbi cæteros recenset, qui Patriæ Scriptorum Catalogos concinnarunt.

1642. *Io. Franciscus Maynardus*, ille videlicet *Franciscus à S. Bernardo*, quem ad totius Congreg. clauum quinquennio consed ile diximus, aliquot reliquit sui calami vestigia, quæ, Italico tamen sermone conscripta, nuncupantur

Idea Magistri Claustralis. Romæ 1642. in 12. excusore Dominico Marciano.

Fides oculata Examinatoris Regularis. Tractatus agens de discretione spirituum ei necessaria, cui incumbit seligere, & admittere postulantes habitum Religionis. Ibidem 1644. in 8.

Tenebræ illustratæ, seù Vita B. Claræ Agolantis. Bononiæ in typographia Iacobi Montis 1651. in 4.

Innocentia triumphans in præclarè gestis à S. Bernardo Abbate Claræ-Vallensi. Ibid. 1654. in 4.

Gloria Ariminenses, Vita scilicet S. Gaudentij Episcopi, & Martyris. Arimini 1659. in 4. sumptibus Simbeni.

Spiritus S. Bernardi. Opus duobus distinctum voluminibus, quod Mediolani impressioni subijcere parans, vitam cum morte commutauit, spiritu in Creatoris manibus consignato, dum proximi mores ad S. Bernardi spiritum componere curat, ad eam nimirùm sancti-

ſimam viuendi normam, cui ipſe Clauſtrali in palæſtra ſe ſe adamuſſim conformare iam ab ineunte ætate ſategerat.

1642. *Petrus Guillebaud*, *Engoliſmenſis*, Pariſienſe S. Bernardi Monaſterium Cœnobiticæ diſciplinæ ſedem habuit natalem, vouitque in eo poſtridie Idus Februarij anni 1616. ſub appellatione *Petri à S. Romualdo*. Nullo vnquam Congregationis gradu à libris auelli paſſus eſt. Quinimò typis tantummodò loqui cupidus, ſilentio addictiſſimus floruit, quod ſi pomeridianis horis aliquando frangeret, mox allocutioni eruditionem immiſcebat,& colloquio in Academiam commutato, copioſiſſimus ipſe, quod alij ediſcerent, vberrimè effundebat; & ſi quid nota dignum à cæteris audiret, id ſcriptis, cùm cellam repeteret, mox conſignabat. Excelluiſſet proſa, & carmine, in humanis, diuiniſque ſcientijs, quando Rhetoricam, & Curſus ſpeculatiuos Sodalibus tradere libuiſſet. Ita colligimus ex nonnullis ſuæ Theologiæ mſſ. & ex verſuum cùm Galliæ, tùm & Latij lingua editorum faſciculo luci dato ſub titulo:

Hortus Muſarum.

Verùm, qui curis literarum ſtudia prætulit omnibus, reliquis poſthabuit ſtudijs experientiæ ſcholam, rerumque agendarum magiſtram Hiſtoriam, in cuius lyceo edoctus, poſterorum vtilitati ſuo voluit ex calamo ſupereſſe

Theſaurum Chronol. & Hiſtoricum, complectentem euentus ſcitu digniores à Mundi infantia ad noſtram vſque ætatem, Gallicè ſcriptum, & in Galliarum metropoli euulgatũ ſumptibus Anton. Summauillani 1642. iterumque 1646.& 1647. in folio; ac tandem 1660. in 8. impenſis Franciſci Clauſick.

Ephemeridum Hiſtoricarum vol. 2. in 12. ære, & typis eiuſdem Clauſick.

Ludouicus Iacobus à S. Carolo addit *Annales Congreg. Fulienſis* anno 1652. prælo ferè adaptatos. Videſis Synopſim de claris Scriptoribus Cabilonenſibus. At huiuſcemodi Annales, fortè quòd curis ſecundis nequaquam expoliti, in publicum non emanarunt, nec ego vidi. Extant etiam

Hiſtor. Francorum, ſeu Chronicon Ademari Engoliſmenſis, Monachi S. Martialis Lemouicenſis; Epitome cum notis, nonnulliſque interpollatis, quibuſdam etiam additis ad faciliorem operis intelli-

intelligentiam, Lutetiæ 1651. impressore Chamhoudry.

Chronicon, seu continuatio Chronici Ademari &c. Lectori exhibens Histor. Aquitanicam sacram, & prophanam ab Henrico I. ad annum vsque nonum Ludouici XIV. Ibid. eodemque impressore. Quibus vigilijs alij accensent opellam Parisijs editam anno 1647. inscriptam Abbati Bullionio, sub hac attitulatione:

Dies Sancta.

Viuendi finem fecit Lutetiæ vndetrigesima Martij 1667.

1644. *Martinus Tornamira, Cæsaraugustanus*, Hispanico, quod à puero didicerat, ac Etrusco, quod à diuturno in Italia contubernio hauserat, diues eloquio, vtramque linguam nonnullis, ijsque fidelissimis locupletauit versionibus, nam Hispanico metro panxit *Panegyrim, seu laudem Sanctissimæ Trinitatis*, à P. Antonio Glielmi Oratorij Neapolitani Sacerdote versu Italico decantatam, edidit que Neapoli 1644. in 4. in officina Francisci de Thomas sub hoc titulo:

Los pensamientos altos del corazon deuoto.

Ex Ibero autem idiomate Romanis auribus accommodauit

Vitam, & Purgatorium S. Patritij Archiepiscopi, & Primatis Hiberniæ, opus Doctoris Io. Perez de Montaluan, quæ expositio prodijt primò Neapoli, & postea Genuæ impressore Farronio 1651. in 12.

Gubernatorem Christianum, extractum ex vitis Moysis, & Iosue Ducum populi Israel per Io. Marquez Ord. S. Augustini, Concionatorem Philippi III. Regis Hispaniarum; Lectorem Sacræ Theologiæ in Vniuersitate Salmaticensi, Hispanicè editum ab Auctore, & impressum primò Salmanticæ 1612. in fol. deinde 1619. tertiò Compluti 1634. tandemque Matriti 1640. Sed extra Hispaniam prodijt etiam Bruxellis 1664. *Italicè id loquens dedit Martinus de S. Bernardo Cisterciensis Neapoli 1646. in fol.* quæ postrema verba sunt eruditissimi Nicolai Antonij in sua Scriptorum Hispaniæ Bibliotheca Tom. 1. pag. 562.

Congregationis percrebescente fama, in eiusdem album referri Martinus expetijt, obtinuitque in Romano S. Pudentianæ Claustro. Disciplinæ sacramentum enuntiauit ibidem anno millesimo sexcentesimo vndeuigesimo, pridie Calend. Decembris, *Martinus à S. Bernardo* ex tunc vocatus; & annis, ac meritis grauis, varijs quoque muneribus in Ordine cohonestatus, mortalitatis fabulam compleuit.

1644.

1644. *Antonius Le Iune*, religioso agnomine *à S. Petro*, *Perronæ* natus, Asceticæ disciplinæ pectus verè natum habuit, quippè qui in Parisiensi tyrocinij domo 25. Aprilis anno 1617. consuetis votis eidem deuotus, quæ Mundum sapiunt, libentiùs deinceps nesciret, quæue humana imbecillitas faciliùs refugit, amplecteretur studiosiùs. Præfecturas sustinere iussus S. Bernardi Lutetiæ, aliarumue familiarum, necnon vniuersum Cœtum cum Inspectoris Generalis facultate inuisere, inter clariora Superiorum lumina spectari potuit, adeò nostrorum Claustra ad legum apices viuere procurabat. At hæc, præcipua licet, non vna eius est commendatio. Saluti quoque animarum in Sęculo degentium incumbere sibi in animum induxit, zelo calcar admouente, & viam sternente Theologiæ, quæ sacrorum Bibliorum interpretationi insistit, peritia. Assumpto itaque linguæ officio, nōn facundiæ laxare fræna, non styli elegantia, & diserti Oratoris inani ostentatione semetipsum prædicare studebat, sed annuntiare Christum, sed auditores à Mundi cœno euocatos ad cœlestes delicias per compendiosum pœnitentię callem manuducere. Seposita eruditione auribus oblectandis composita, grauioribus vtebatur sententijs, ijs nimirùm, quę altiùs in pectora descenderent, & vitiorum auersionem validiùs promouerent. Euangelica huiuscemodi dicendi forma instructus totam Galliam declamando excurrit, auditoribus vbique frequentissimis perorat, semper cum fruge, numquam sine plausu, collectamque à celebriori quoque Ecclesiaste Deo gloriam, sibi existimationem; adæquat. Corporis sarcinam dimisit ad S. Bernardi Parisiensis xj. Ianuarij anni à Virgine puerpera 1656. à suis in Congregatione stipendijs quadragesimo, cùm non mediocrem laudem sibi apud posteros comparasset duobus calami fœtubus, vt infra attitulatis:

Dies Religiosa, liber institutionibus diues, ad singulas diei horas sanctè transigendas. Lutetiæ 1644. & 1649. calculis Georgij Iosse in 8.

Vita Patris Eustachij à S. Paulo. Penes eundem in 8.

1645. *Nicolaus Bellostus*, in Oppido *Cabalarij maioris*, Tullius Diœcesis, Prouinciæ Taurinensis, natus, votis Astæ 10 Iunij die 1635. ritè conceptis, Monasticam viuendi normam inijt, *Nicolaus à S. Bernardo* ex tunc appellandus. Ad S. Carolum maiorem Nea-

poli

poli aliquando Asceta, coluit feliciter Musas, cecinitque heroico carmine

Panegyrim in Sanctissimum Patrem Benedictum Abbatem, Monachorum Occidentalium Patriarcham celeberrimum; eandemque excudendam præbuit Francisco de Thomase 1645. in 4.

Suam exinde Pedemontij Prouinciam repetens, Religiosam nostram pubem eloquentiæ præceptis multoties imbuit. Prior B. Mariæ de Abundantia designatus, numeris suis satisfecit omnibus. Tandem in Monasterio B. Mariæ de Testona curis depositis omnibus, soli Deo vacans, mortalibus valedixit vndeuigesima Maij 1682. annis sex sexagenario maior.

1647. *Iuuenalis Prettus, à Monte-Regali*, ante Mundi abnegationem multus erat in politiori literatura, ac patrijs typis Io. Gislandi, & Io. Francisci de Rubeis anno 1644. ediderat opus inscriptum:

Amasia Egyptia.

Postquam verò sub nomine *Iuuenalis à S. Ioseph* in Monasterio S. Pudentianæ de Vrbe Reformationis legibus se subiecisset, subiecit autem quarto Idus Maij 1647. sanctionibus in studijs totus, incępit, sed non absoluit

Annales Congreg. Reform. S. Bernardi, & B. Mariæ Fuliensis Ord. Cisterc.

Ne vigiliarum desideratissimæ vltimam manum imponeret, præcox effecit fatum, quod eum Monte-Regali præmaturiùs apposuit ad Patrum cineres, & Monachum post Tyronum Præfecturam, ac regimen familiarum B. Mariæ de Abundantia, Montis Soractis, S. Victoris Vercellarum, ad maiores velificantem honores è medio sustulit anno 1677. 17. Ianuarij.

1648. *Petrus Arebrigensis*, gentilitio agnomine *Massonius*, claustrali verò *à S. Catharina Senensi*, à die 25. Iulij anni 1612. quo sacra vota in Abbatia Fuliensi nuncupauit, Institutionis alumnus, domorum administrationi, ac voluminum compilationi naturæ donis æquè idoneus, semel Visitator, frequentiùs Prior, leges Claustrales magna cum laude præscripsit in Monasterijs Galliarum, nec minori cum plausu communi vtilitati protulit

Tabulas Chronologicas, Genealogicas, & Historicas, sumptibus Ioannis Boisseau Parisijs emanatas 1648.

Tabu-

Tabula prima continet Patriarchas, Prophetas, Pontifices, Monarchas, aliasue Personas clariores à Mundi exordio ad Mundi Redemptoris Iesu Christi passionem.

Tabula secunda amplectitur Imperatores, Reges, Duces, Respublicas, Scriptores, Personas celebres, & memorabilia quæque à Christi funere ad annum 1648.

Tabula tertia exhibet Genealogias Familiarum Franciæ, Alsatiæ, Lotharingiæ, Abspurgensis, Hasbaniæ, Austriæ, Brabantię, &c.

Edidit &

Tabulam Genealogicam familiæ de Ioinuille.

Itemque

Cæremoniale Abbatiæ Montmartensis.

Diem clausit extremum Turonis viij. Augusti 1672.

1649. *Gabriel de S. Gemme, Turonensis*, alumnus Abbatię Fuliensis, anno 1612. die verò memorię Melhflui nostri Patris festiua primum adolescentię florem sub cognomento *Gabrielis à S. Malachia* Deo consecrauit, ac vitę Asceticę. Reipublicę literarię commodis adiecit

Epistolas Diui Bernardi à se materna lingua donatas. Parisijs in 8. penes Gasparem Meturam in platea S. Iacobi. Versionem hanc exactissimam prę cęteris fatetur Carolus de Vvisch, addens eodem anno emanasse ex officina Antonij Vitrè typographi Regij translationes nouas in linguam Gallicam.

Vita S. Bernardi, ac Tractatuum ab eo editorum De Conuersione morum, De Vita solitaria, De Præcepto, & Dispensatione Somnum mortis obdormijt Lutetię Parisiorum decimoquinto Calend. Ianuarij anno 1657.

1652. *Anonymus nostrorum Sodalis* iuxta pius, ac doctus, de mandato Regis Christianissimi, Gallicè reddidit è Latino *diuersa Officia horaria* (verbis vtor Caroli de Vvisch, à quo recensentur) *De Sancto Spiritu, De Immaculata Conceptione B. Virginis, De Sancto Nomine Iesu, vnà cum alijs institutionibus Christianis, necnon & Calendario nouo Historiali*. Lutetię ex officina Ludouici Camhourdry 1652.

1652. *Franciscus Coquelinus*, idemque *à S. Nicolao*, per omnes dignitatum gradus ad supremum Generalatus anno 1654. assumptus,

literis

literis etiam ornatissimus, imò Sacrorum Canonum peritia, si quis alius prçstans, Romano Ignatij de Lazaris prçlo suppofuit

Compendium vitæ, & miraculorum S. Claudij Antistitis Vesuntini. anno 1652.

De vitis, dogmatibus, cæterisque erroribus hæreticorum omnium à Christo ad nostram vsque ætatem, confutationem quoque Ianseniȷ, volumen satis amplum ab eodem Auctore concinnatum vidi in Bibliotheca S. Pudentianæ, sed adhuc mſ.

Il Christiano del tempo, ex Gallico R. P. Francisci Bonal, Patrum S. Francisci de Obseruantia Alumno, Italicè expositum.

1653. *Io. Card. Bona*, Purpura, pietate, doctrina planè Eminentissimus multa typis præbuit, quæ à bono Auctore emanata, elucubrationibus nonnisi optimis accensentur. Earum Synopsis ne desideretur, volens lubens hìc subdo. Monachus euulgauit

Psallentis Ecclesiæ Harmoniam, Tractatum Historicum, Symbolicum, Asceticum de diuina Psalmodia, eiusque causis, mysterys & disciplina, deque varijs ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis diuinis Officijs. Romæ in 4. sumptibus Io. Petri Collinj 1653. & decenniò post Parisijs apud Ludouicum Billaine ead. forma.

Viam Compendij ad Deum per motus anagogicos, & Orationes iaculatorias. Romæ ex officina Angeli Bernabò à Verme 1657. in 12. & denuò Lutetiæ 1662. item in 12. penes Federicum Leonard.

Manuductionem ad Cœlum, medullam continentem Sanctorum Patrum, & veterum Philosophorum; opellam verè auream, quam Latio sermone contextam sua loqui lingua voluere Itali, Germani, Galli, Flandri, Hispani; Latini, & heroici metri legibus obstrinxit Petrus Bolla Heremitarum S. Pauli Procurator Generalis, ediditque Romæ apud Franciscum Tizzonum 1677. Italico verò, & lyrico donauit carmine clarissimus vates Michael Angelus Goltius Taurini 1672. Varijs illam impressionibus excusere primò Angelus Bernabò à Verme Romæ in 24. anno 1658. & deinde anno 1660. Claudius Prost Lugduni, & Matth. Cosmerouius Viennæ Austriæ; anno 1663. Franciscus Foppens Bruxellis, & Guillelmus Serlinus Francofurti; anno 1664. Antonius Chrestien Lutetiæ, Lucas Antonius de Fusco Neapoli, & Iacobus Dragondellus Romæ; anno 1670. Bartholomæus Zappata Taurini.

De Sacrificio Missæ Tractatum Asceticum, continentem praxim attentè, deuotè, & reuerenter celebrandi. Romæ 1658. in 12. sumptibus Io. Casoni, & typis Fabij de Falco.

Roseo Galero donatus luci exposuit

Rerum Liturgicarum libros duos. Romæ in folio paruo 1671. typis Tinassij.

De Discretione Spirituum lib. vnum. Romæ 1672. excusore Tinassio in 4.

Principia, & documenta Vitæ Christianæ. Romæ in 12. apud eundem 1673. & anno insequenti Venetijs in 12. apud Io. Iacob. Hertz.

Humanitatis denique cùm pensum soluit, reliquit

Horologium Asceticum, siuè exercitia sacra ad singulas actiones cum fructu obeundas, quæ exercitia præbent actionum singularum capita vij. de præmittendis officio diuino, de eius recitatione, ac fine; itemque de triplici miscella diuersarum actionum. Parisijs prælo supposuit Ludouicus Billaine 1676. in 12.

Testamentum bonum, quo se Auctor ad bonam præparauit mortem, quod tunc lucem aspexit, cùm Hermanus Demen impressor Coloniensis opera omnia simul congesta tribus Tomis distinxit, ediditque ibid. in 8. annò 1683. id procurante P. Theodoro Mensinck Vicariatus Belgici Missionario, ad preces D. Francisci à S. Bernardo, quem ex nostra disciplina Monachum Eminentissimus Bona, cùm è Claustro exijt, penes se voluit, & retinuit, ac Bibliothecæ S. Bernardo ad Thermas donatæ Præfectum nuncupauerat.

1653. *Cosmas Rougier, Parisiensis*, in Generalium album promerita cum laude iam illatus, idemque celebris Lamacensium Pastor, Regius etiam Ecclesiastes, prælo digna plura exarauit. Et quadragesimales quidem conciones, panegiricas Sanctorum laudes, aliaque opuscula, cùm eam habuerint limam, qua calamus ori respondeat, habebis Lector; interim præmisit

Panegyrim funebrem Henrici Borbonij, primi è Regio sanguine Principis, Burgis excusam 1653.

Panegyrim funebrem in obitu Annæ Lotharingicæ Abbatissæ Pontis dominarum, in Templo sacræ eiusdem familiæ dictam postridie Nonas Augusti a. 1653, quo & impressa Parisijs prælo Georgij Iossei.

Item-

Itemque *Panegyricas laudes Annæ Austriacæ, Reginæ Matris Ludouici XIV. Mariæ Theresiæ Austriacæ eiusdem Ludouici XIV. Reginæ Sponsæ.*

1654. *Sigismundus Gastaldus* patriam habuit Pedemontij Metropolim *Taurinorum Augustam*; & nostrorum Sodalitio, religioso sub cognomento *Sigismundi à S. Bernardo*, in domo B. Mariæ de Stafarda adiunctus, optima administratione benemeruit de nonnullis familijs, quas rexit, & calami fœcunditate de Republica literaria, cui profuit. Ab eo emanarunt Italicè

Nobilitas humilis S. Contardi Principis Atestini, vnà cum Atestina familia Genealogia. Mediolani 1654. apud Dionysium Gariboldum in 4.

Christi Sponsa, laus videlicet vitæ Claustralis.

Lilium Alexandrinum, Panegyris S. Catharinæ Virginis, & Martyris.

Thus Cisterciense, in laudem Diui Bernardi.

Miles Euangelicus, in laudem Diui Marci Euangelistæ.

Panis substantialis, sermo pro Defunctis.

Ignis elucescens, in laudem S. Antonij de Padua.

Antidotarium sacrum ad expurganda vitia, & ad assequendam virtutem.

Cùmque Moderator S. Victoris Vercellarum poni curasset in capsa auro, & argento affabrè ornata corpora S. Victoris Martyris, & S. Victoriæ Virginis, & Martyris, eademque transferri ex loco, in quo cultu minus decoro asseruabantur, ad solemniorem, euulgauit ibid. anno 1659.

Vercellarum solemnia, elogia scilicet quibus festiuam translationis diem ornauerat. Ad æternitatem se se composuit Vercellis anno 1663. Monasticæ conuersationis, cuius sacramentum dixerat septemdecim vix annorum adolescens, trigesimo.

Nostri Parisiensis Cœnobij Asceta animabus communi cum hoste, agone nunquam non discriminoso, certantibus præsentissimum contulère subsidium Gallica exhibitione

Pugna, seù Conflictus Spiritualis Laurentij Scupuli è Teatina familia, præstantis in paucis libelli, quæ versio vnà cum insigni Epistola præliminari prodijt Parisijs in fol.

1655. *Carolus Malletus*, Patritij Ordinis, *Taurinensis*, animum liberalibus disciplinis iam imbutum ad Religionem detulit, quippè qui quatuor suæ adolescentiæ lustra in Sęculo iam peregisset, cùm, nuntio eidem misso, in album Cisterciensis Reformationis adscribi expetijt, nec iam Malletus, verùm *Carolus à S. Bernardo* dici. Post vota anno 1613. quinto Calendas Augusti solemniter enuntiata, consenuit in patria, in qua Verbi Dei annuntiator egregius, sacrorum Canonum, & Theologiæ moralis oraculum, eam sui admirationem exciuit, vt Archiepiscopatus examinator Synodalis, S. Officij Consultor, Monasterij B. Mariæ Consolatricis tertiò Moderator, Christinæ à Francia Sabaudiæ Ducissæ Theologus, Serenissimæ Principis Ludouicæ à Sabaudia eiusdem Christinæ à Francia Primogenitæ ab animæ arcanis consalutaretur, cùmque in sacris audiendis confessionibus totus foret, vnus haberetur, qui illustriorum aulæ Procerum, grauiorumque Matronarum conscientias procuraret. Edidit

Meditationes, seù exercitia spiritualia ad animæ reformationem, & perfectionem. Taurini apud Bartholomæum Zappatam a. 1655. in 24.

Aurum moralis Theologiæ ex veterum, & recentiorum Theologorum, necnon Pontificij, Cæsareique iuris Consultorum Thesauris depromptum, & in subtilissimas Bracteas Malleatum. Augustæ Taurinorum 1655. Tom. 2. in folio, sumptibus Alexandri Federici Caualeri Bibliopolæ S. R. Celsitudinis. Mortem oppetijt postridie Cal. Maij anno 1658. cùm iam impressioni maturos haberet

De Hierarchia, & Iure Ecclesiæ militantis libros octo, in quibus de Ecclesiæ maiestate, Fide, Iurisdictione, Dignitate Personarum, tàm Ecclesiasticarum, quàm Sæcularium, Beneficijs, Gradibus, Officijs Ecclesiasticis, & Sæcularibus, De Iudicijs summa breuitate, & plenissimè agitur. Opus postumum, luci prolatum sumptibus Caroli Felicis Malleti sui ex fratre Nepotis, & Sanctorum Mauritij, ac Lazari Equitis Taurini ex typographia Bartholomæi Zappatæ anno 1660. in folio

Prima Operis pars de Sacramentis, in qua noua, & breui methodo explicantur omnes difficultates tàm in conscientiæ, quàm in iustitiæ foro ad Sacramenta spectantes, Malleationibus 64. deducit Aurum Theologiæ moralis in Bracteas, idest resolutiones 2205. Pars secunda, vbi agit de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ, Malleationi-

tionibus sex supra nonaginta complectitur Bracteas, hoc est responsiones 1863. Pars tertia de Hierarchia, & Iure Ecclesiæ militantis lectori præbet libros octo, & in ijs Titulos 320.

Plura edidisset Malletus, si potuisset meliora. Enimuerò Aurum Theologiæ moralis tanti fecit doctissimus Caramuel, vt literis sexto Calendas Iunias 1657. Romæ datis, Auctorem gratulabundo calamo inter cætera sic alloquatur: *Vt tuorum illustrium operum grandiorem Censuram interlegas, Philonem Virum magnum producam; cuius singula verba sunt meo intento tàm apta, vt meritò videri possint, post Theologiæ tuæ moralis editionem scripta. Inter laudes*, inquit, *Auri multas, duæ reperiuntur, præcipuè vna, quòd non sentit rubiginis iniuriam, altera quòd in tenuissimas Bracteas sine scissura deducitur. Meritò igitur maiorem naturam significat, quæ diffusa, & protensa vsquequaque tota per totum plena est, aptissimè contexens cætera. Sic de Auro Philo. Et ego ad Aurum tuum conuertens oculos multa laude digna reperio; sed quia singula dignè celebrare non valeo, duas virtutes eminentes notatas à Philone produco. Aurum tuum immortale, est corruptionis exsors, & ideò nusquam rubiginis iniurias sentiscet. In subtilissimas Bracteas sine scissura vlla deducitur: omnia enim in magno Opere cohærent exactè, nihil hiat in conceptibus, & in probationibus, omnia sunt solida, nulla inflexa, vel fracta. Singula nos ad maiorem naturam (Numen) promouent: & dum disputatio erudita per Legis Dei Articulos ingeniose diffunditur, gratijs, & charitibus plena, Humanas, & Diuinas Tabulas summa doctrinæ consequentia coniungit*. Et infra aptè ad illa verba S. P. Benedicti Cap. primo. *Qui nulla Regula approbati, nec experientia magistra sicut Aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes Sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certè singuli sine Pastore; non Dominicis, sed suis clausi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas cum quicquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt Sanctum, & quod noluerint, putant non licere*. Inquit: *Attende. Probabiles, prudentesque vitæ formandæ Canones, quales in Theologia Tua, Mallete, inuenio, Dialecticæ seuerioris regula in speculatiuis, & experientiæ magisterio in practicis, examinati, & approbati, vt Aurum in fornace sunt illustres, & puri; illi autem, quos superba, & ignorans*

confor-

conformauit præsumptio, & vitæ exlegis conformauit cupiditas (aut sint graues, & asperi, aut leues, liquidi, & inconcinni) vt plumbum molles, inconstantes, & fragiles, non patiuntur efficacis Malleationis examen, & in Bracteas conformari non possunt; &, si soluantur igne, frigiditatem, & inertiam naturalem ostendunt; nam dum in Voluminibus suorum Auctorum velut quadam variæ lectionis sylua magno foliorum apparatu frondescunt, seruare Sæculo intemeratam fidem, & Deo mentiri per clausulas tonsas, & excultas noscuntur. Hæc est prærogatiua Veritatis, vt omnia cohæreant, & simul consistere possint; at hodie, si res bene discutitur, & ad prima fundamenta venitur, opinionum libertinarum Canones, bini, aut terni consentiunt, aut certè singuli discerpuntur à cæteris. Porrò si loquamur sincerè, Scriptores eiusmodi, vt greges sine Pastore, oberrant, & vt oues, quæ à Dominicis ouilibus spontè exulant, & in proprijs exorbitant, quà data porta ruunt, & conscientias perturbant. Et si quæram ab illis, cur sic resoluerint? stabit pro ratione voluntas, statuunt enim multa interdum, non quia sic licuit, sed quia sic placuit.

1656. *Antonius à S. Frontone*, in quampiam nuncupationem germanum, & gentile suum agnomen *Deriue*, nostro de more, reformauit, Diœcesis Petragoricensis, professionem emisit in Abbatia Fuliensi die 27. Decembris anni à Deo Redemptore 1613. Compilauit eloquio Gallico

Monumenta antiqua deuotionis Dominæ nostræ de Bello-fonte. Andegaui 1656. in 12.

Hæc Prior Abbatię adsitę Basilicę eiusdem Deiparę Virginis. Cęterùm in discutiendis Fidei controuersijs versatissimus claruit Theologus, Concionator, & quandiù inter mortales egit, Hęreticorum insectator acerrimus. Spiritum consignauit in manibus Creatoris septimo Id. Februarij anni 1673.

1657. *Franciscus Bonomine, Vigoniensis*, tyrocinij rudimenta in nouitiali Pinerolij domo ponebat, cùm Ciuitate Gallorum iuris facta, Abbatia quoque, Rege pro potestate iubente, Monachis Fuliensibus cessit. Prouincię Pedemontanę Patres eò loci commigrantes, Franciscus ne sequeretur, Fulienses ipsi satagebant egregia indole, ac optimo boni ominis omine profuturi. At ille, quòd mereri sub-

Italis

Italis maluerit, Testonam pertexit ibi obseruantię sacramentum publicè dicturus, prout dixit ipsa die Virginis in cœlum assumptę anno 1633. religioso sub agnomine *Fracisci à S. Matthæo*. Indè ad Sabaudum B. Marię de Abundantia lyceum pro ingenio excolendo missus, in doctrinis diuinis, & naturalibus ediscendis multus fuit. Literario in puluere emeritus, conscientjs aurium prębitione expurgandis, procurando Templorum nitori, Sacrariorum pręfecturis diligenter obeundis se dedit. Pijs huiuscemodi occupationibus nihil Ascetę honores exoso, & ad labores propendenti iucundius. Sed meritorum cumulo viam ad splendidiora sternente, contubernium B. Marię de Mellea, in Diœcesi Montis-Regalis, nostris recenter adauctum moderaretur, operę pretium fuit. Translatum posteà ex noua hac plantatione, quę tandiù effloruit, quandiù ipse opportunę irrigationi solicitior desudauit, Astensis familia Rectorem excepit, eundemque, quod optimę gestę Reipublicę argumentum, Priorem tertiò sibi refectum gratulata est. Qui tunc satagentis Antistitis labores? in restituenda, ac amplianda domus labescentis mole, in augenda splendidiori altarium suppellectili, in primo, & supremo ponendo lapide Ecclesię inscriptę Diuo Theobaldo, miraculis ad celeberrimam famam illustri, in procurandis eiusdem Diui Theobaldi reliquijs, quę in eodem Templo eius nomini dedicato collocarentur? Verùm hi domestici duntaxat labores. Quęnam foris curę? Aderat Episcopis de idoneitate promouendorum ad Altaris ministeria districto examine dignoscituris. Aderat Sanctimonialium Claustris confessiones & ordinarias & extra ordinem auditurus. Aderat ciuium domibus compositurus rixas, inuisurus decumbentes, leniturus ęrumnas, nulli defuturus officio. Quare Astę diutiùs subsistere frugifer adeò domorum Rector nequibat. Etenim qui ampliori dignior area videbatur, deligente Io. Bona, penes quem rerum Congregationis summa, migrare ad Leges Taurinensi Cœtui dicendas iubetur. Reluctante modestia, ad nobiliorem capessendum gradum flecti nequit, imò in posterum in ordinem prorsùs redigi satiùs habuit, repetitis agressionibus, vt varias susciperet dignitates, constanter propulsatis. Quinque annis octuagenario minor Taurini nunc senium agit Abbas Titularis B. Marię de Monte Cenisio, quę est Ecclesia Abbatię Noualitiensis, dolore quidem Ischiadico correptus, verùm qui animarum rei vacare permit-

tit,

tit, estque cùm D. Gabrielis à Sabaudia, Sabaudię armorum Imperatoris, tùm multis ex Vrbis Optimatibus, & Nobilibus clariore ex sanguine fœminis à pœnitentis conscientię arcanis. Specimen eius vigiliarum habemus

Manipulum piarum precum ad Virginem Deiparam, ad SS. Custodes Angelos, aliosque Cœlites tutelares, delibatum ex varijs Auctoribus, & in lucem editum Astæ 1657. per Io. Baptistam de Zangrandis in 8.

Narrationem solemnitatis Asta celebrata in festiua translatione Reliquiarum S. Theobaldi ad Ecclesiam eius nomini ædificatam à Marchione Ghirone Francisco Villa. Taurini per Carolum Gianellum 1659. in 4.

1660. *Claudius Thomas la Blonde, Diuionensis*, Fuliensium, quibus anno 1622. die verò 20. Februarij sub appellatione *Claudij Thomæ à S. Bernardo*, Sodalem se se adiecit, non vltimum decus, facultates speculatiuas ab insignis nominis professore D. Petro à S. Ioseph audijt, auditasque cum plausu Lector & ipse edocuit. Nec inter Cathedrarum labores à gradibus Ordinis se subducere valuit; siquidem Monasteriorum aliquot regere habenas, & Superiorum Generalium modò à secretis, modò Assessorem agere oportuit. Ad hæc typographos occupaturus elucubrauit.

Theologiam SS. Patrum; opus egregium communi bono expositum Lutetiæ anno 1660. prælo Iosseo in 4. Deinde ibidem anno insequenti, caractere Prioris Plessiacensis condecoratus.

Annus sacer, volumen nempè Epigrammatum in singulos anni dies excusus in 12. Itemque

Alloquium Dei cum anima, impressum Augustoduni 1651. in 4. sunt quidem Claudij Thomæ Monachi Cisterciensis à Carolo de Vvisch in Bibliothecam Scriptor. eiusdem Institutionis pag. 78. illati; verùm is fuit agnomento Grazilier, adeòque à nostro distinguendus.

1666. *Antonius*, olim *Desprez*, postea *à S. Gabriele*, *Parisijs* natus, cùm stipendia sub Monasticis signis facere cœpit, in illud toto animo ferri visus est, vt in Sodalitate sub Diui Bernardi disciplina florentissima, & pijs Sanctissimi Antesignani inhæreret vestigijs, & suauissimis Mellifluі Scriptoris incumberet monumentis. Dignum sanè plausibus votum! cui dum cogitationibus, curisque intendit

tendit omnibus Tyronum magistrum exercuit, imò veriùs Apem Religiosam se gessit, nam paruulos venientes ad Dominum, infantes, Sęculi amore posthabito, dudum Coelo genitos nectarea deuotionis papilla potiùs, quàm duriori asperitatis esca enutriuit. Domus, quam, sub inuocatione S Bernardi, Lutetiæ incolimus, eo præsedit virtutum nitore, quo suæ mensuram nuncupationis impleret. Sed nunquam Claræ-Vallis Solem clariùs congeminauit, quàm Prouincialis Prouinciæ Franciæ renuntiatus. Enimuerò inspectionis suæ Cœnobia tanto cum perfectionis Monasticæ constabiliendæ feruore inuisit, vt planè alter Claustralis conuersationis Sol videretur, qui pergeret in circuitu, totidemque efformaret Claræ-Vallis familias, quot inuiseret Reformationis Colonias. Dum moribus absolutissimum perfectionis exemplar æmulari studet, vernaculo etiam idiomate publicæ vtilitati aptare adlaborauit nectareas ipsiusmet Bernardi vigilias ordine consequenti:

De Consideratione ad Eugen. Vol. 1.
Epistol. Vol. 4.
Tractatuum Doctrinal. Vol. 1.
Tractatuum Spiritual. Vol. 1.
Sermonum de Tempore Vol. 1.
Sermonum de Sanctis Vol. 1.
Sermonum Variorum Vol. 1.
Omnia in 8. Parisijs penes Bresche.

Et quidem Auctor alijs nominibus celebrandus, in Apostolico dicendi genere, in facultatibus speculatiuis, in Historijs profanis, sacrisue plurimùm valet. Nam & Ecclesiastem satis facundum multoties se exhibuit, & pulcherrimam

Genealogiam posteritatis S. Ludouici, Galliarum Regis Noni euulgauit anno 1666. Parisijs apud Bonnart in Vico S. Iacobi.

Aliaque habet sub lima, quæ longiori cum temporis vsura ampliori literatorum vtilitati præbebit.

Vespasianus Agatia, *Vercellensis*, I. V. D. Abbas Sæcularis B. Mariæ de Abundantia, & in Monasterium suæ curæ commendatum Reformationem induxit, & habitu in Abbatia Fuliensi suscepto, Congregationis album, sub appellatione *Gregorij à S. Eusebio*, spectabili Alumno adauxit. Vitam, moresque Piorum recensio dabit, calami

monumenta hic Athenæum profert, & sunt

Epistolarum Vol. duo, alterum quidem Latij lingua, alterum verò Etrusco idiomate exaratum. Ita Rossotus in Syllabo Script. Pedem. pag. 553.

1667. *Laurentius Bertrandus, Apusij, Maurianensis*, Monastica nuncupatione *à S. Petro*, doctrina, & pietate nostrorum in Cœtu eluxit, cui accensiri voluit Pinerolij 15. Augusti anni à Virgine puerpera 1629 Emensa Philosophiæ, & Theologiæ arena, facultates auido animo haustas, diù Sodales edocuit, Monte-Regali, & Taurini, nunquam alacrior, quàm cùm Lectoris nominibus satisfaceret, & vberes sapientiæ fontes, tàm antemeridianis, quàm pomeridianis horis in discipulorum riuulos deriuaret. Porrò Monasteriorum regimini admotus, Visitator quoque, & Marci Menichelli Abbatis Generalis inter Assessores primus, horas à rei domesticæ administratione, publicisque à curis succisiuas sacrorum duntaxat Codicum lectioni impendebat. Marco Antonio de Thomatis Astæ in Subalpinis Episcopo in paucis charus fuit, qui Sanctimonialium excipiendis confessionibus cùm ordinarijs, tùm extra ordinem eum selegit, & Synodales inter Examinatores adlectum, domesticum etiam suum Theologum, ac in Diœcesi perlustranda comitem, quandiù Astæ mansit, nunquam non voluit. Sed & Camillo Cardinali de Maximis Congregationis Protectori acceptissimus extitit, qui suæ in eum propensionis suffragio Assistentem creatum, cogitabat aliquando cohonestare & Generalitia dignitate decoram longæui senis canitiem, profundam consummatissimi Theologi doctrinam, ac morum simplicitatem omni simulationis fuco vacuam. Concessit in fata Prior S. Petri de Lemenco, secùs Camberium, relictis ingenij fœtibus

Cynosura mystica nauigationis S. Francisci Salesij virtutum micantibus radijs illustrata. Lugduni in 4. sumptibus Antonij Iullieron 1667.

D. Bernardi Abbatis Clara-Vallensis S. R. E. Doctoris Melliflui Theologia speculatiua ex sparsis per illius opera sententijs collecta, compacta, composita, cum appositione, fidelique designatione locorum, è quibus Doctrina, & obiectionum resolutiones desumuntur. Cuius egregiæ elucubrationis

Tomus primus De Deo vno, siue de Attributis lucem aspexit

Astę

Astę 1675. apud Secundum Victorium de Zangrandis in 4.

Tomus secundus De Creatione, de Trinitate, & de operibus sex dierum prodijt ibidem in 4. anno 1676.

Tomus tertius de Angelis, & eorumdem cultu tàm actiuo, quàm passiuo ibidem, eademque forma impressus fuit 1678. cui addidit Appendicem Romę excusum typis Michaelis Herculis Bernabò à Verme anno 1678.

Tomus quartus continens Tractatum de Incarnatione apud Zangrandum Astæ communi vtilitati expositus anno 1678.

Ne publici iuris faceret partes reliquas ferè absolutas *de Sacramentis, & de Iustitia, & Iure*, mors effecit, quę eum vigilijs incubantem rapuit Camberij anno 1681. 20. Septembris.

1668. *Camillus Stella*, cui placuit religiosori agnominę appellari *Benedictus à S. Mauro*, lucidum & ipse Religionis Sidus futurum, Genitoribus, & *Veteri Veio*, Ciuitati Castellanæ, vt in præsentiarum vocatur, suæ Patriæ valedixit, ac Reformationis mancipem votorum vinculis se præbuit Romæ pridiè Cal. Iunij anni 1627. Viuit adhuc vegetis viribus, Galeno, aut Hippocrate nec quidem ad sustinenda senectutis incommoda, si quæ sustinet, vnquam vsus. Animi robore, & inconcussa corporis incolumitate Reipublicæ benè gerendæ, & Palladis cultui collatis, ad nominis celebritatem, & ipse enixus est. Administrauit domos Augustæ Perusiorum, Montis-Soractis, S. Bernardi, S.Pudentianæ de Vrbe, adeò & ipsam Farnesianam in agro Romano familiam, qua Monachi, dotis inopiam causati, abiere. Verbi diuini ministerio operam suam decennio probauit, non modò per annum, sed integro quadragesimali stadio cum laude perorans. Optimas quasque Musas siuè Latinas, siuè Etruscas calet. Musicæ amantior, quam aliquando edidicit, libros plerosque cantus Gregoriani ad Chori commoda propria manu pinxit, nullumque non mouit lapidem, vt Organorum vsus in nostris audiretur Ecclesijs, quod & obtinuit. Horologiographiæ, Mathematices, ac sanioris Astrologiæ studiosior, cellula reclusus sua, Cœlo, vt ita dicam, inhæret. Ab eius lyceo stylo vernaculo prodiere.

Deuotionis erga S. Nonnosum Abbatem origo, & progressus. Romæ in 8. per Michaelem Herculem. 1668. Libellus est, sed epitome amplioris voluminis adhuc manuscripti, è quo id ferè totum

haufiſſe refert *Antonius degli effetti*, id quod ſcribit in erudita ſua lucubratione prænotata, *Memorie di S. Nonnoſo Abbate del Soratte, e de' luoghi conuicini*. Romæ 1675. typis Tinaſſij in 4. Vide ſis Part. 1. pag. 217.

De Tabaco Tractatus naturalis, Medicus, moralis, & curioſus, in quo de Tabacchi origine, hiſtoria, cultu, præparatione, vſu, natura, qualitatibus, & virtutibus eruditè diſſerit. Romæ anno 1669. in 8. apud Philippum Mariam Mancinum.

Compendium Scalæ Sanctæ, ideſt Compendium libri, in quo continentur preces recitandæ, & paſſionis myſteria contemplanda ab ijs, qui Scalam Sanctam deuotè aſcendere cupiunt, opus elaboratum ad commodum Peregrinorum, & Aduenarum Romam anno Iubilæi confluentium. Romæ 1675. in 12.

Scala Sancta triplex Aſcenſus, ideſt Meditationum Paſſionis I. C. Domini noſtri ad Scalæ Sanctæ gradus deuotè conſcendendos aptiſſimarum, triplex diſpoſitio.

Annus Sanctus, nimirùm de Iubilæo Anni Sancti, de ratione conſequendi Indulgentias Iubilæi, addita recenſione Societatum, quæ anno Iubilæi 1675. Romam conuenere, & ab Archiconfraternitatibus Almæ Vrbis pio hoſpitio exceptæ ſunt.

Meſſanæ motus fideliſſimè deſcripti ex Epiſtolis Meſſana Romam datis à Io. Antonio Pandulpho ad D. Iulium Bartoloccium.

Annus Sacer, complectens ſacros, vt dicimus, Sonettos in totius anni Dominicos, & feſtiuos dies.

Duorum Numiſmatum Cay Egnatulei, & Mutij Cordij duplex Tractatus, Lectori exhibens eorumdem Cay, & Mutij originem, officia, dignitates, aliaque antiquitatis amatoribus perutilia.

Philothæus, ſiuè adoleſcens æternæ ſuæ ſaluti conſulendi ſtudioſus, qui Orbem peragrans, optimis moribus, Philoſophia præterea, Mathematica, & Theologia animum imbuit. Eſt Poema morale complectens Cantus 20.

Neapolis Paralytica, Poema hiſtoricum continens vltimam Veſuuij eruptionem, indeque imminens Vrbis Parthenopææ excidium.

Seminarium rebelle, Poema curioſum in ſeditionem conuictorum Seminarij Romani excitatam à quodam nobili adoleſcente è familia Caſtracana inter Faneпſes Patritia.

Quæ

Quæ tria Poemata cùm legenda amicis præbuisset, ab ijsdem illa recipere, suæque Bibliothecæ restituere nunquàm valuit.

Manuductio ad Cœlum Io. Card. Bona, Carmine Italico ligato, & soluto traducta, elucubratio, quam absoluere neglexit, ex quo rescijt iam lucem aspexisse Taurini ex calamo celebris Poetæ Io. Michaelis Goltij, & ex tipographia Zappatæ anno vt prænotauimus 1672.

Quadragesimales tres, seù totidèm Concionum cursus magni ieiunij diebus ad populum dicti.

Historia Iansenismi, opus in duas partes diuisum, quarum vna præbet Iansenium à Bulla Innocentij X. seù à fulmine tactum, altera verò Iansenismi ortum, incrementum, & occasum, omnia ex Gallico R. P. Mosij del Borg. Soc. Iesu in Italicam linguam translata; quo sermone prænotata composuit. Latij verò lingua scripsit Mathematica, & Astronomica quæ sunt

De artificiali Sphara Partes tres, in quibus quidquid ad Sphæram spectat tùm practicè, tùm Geometricè tractatur; addita his quarta parte, *de Stellis fixis, ac Theorica Planetarum.*

Alter absolutissimus *Tractatus de Sphara*, in quæstiones distinctus, iam ab Auctore suis discipulis lectus, & dictatus, in quo omnes difficultates ad Sphæram spectantes declarantur, explanantur, & resoluuntur.

Speculi Astronomici Tomi duo, in quibus agitur de vniuersis principijs Astronomiæ, & Astrologiæ ad Ptolomæi quadripartiti maiorem intelligentiam.

De compositione, & vsu Globorum cœlestis, ac terrestris in planum, figuris, & analematibus demonstratis, & probatis.

Astrologia rationalis, in qua physicis rationibus ostenduntur, & probantur ea omnia, quæ ad Astrologiam spectant, contra Astrologicę scientię osores.

Gnomonica Stella, idest Tractatus de Horologiographia, in quo omnia Horologiorum genera Theoricè, & Practicè construenda docentur, & Geometricis rationibus demonstrantur.

Magni Planispherij Ptolomaici Directorium, opus in folio, in quo fabrica, & vsus in Astronomia, & Astronomicis prędictionibus necessariorum demonstrantur.

Mathematicorum opusculorum de Arithmetica, Trigonometria, Gno-

Gnomonica, radio recto, reflexo, refracto Tomi 2. cum tabulis altitudinum Poli, Circulorum Horizontalium, Paralaxium, & exemplis longè diuersis ab ijs, qui ab Auctoribus cęteris in eorum operibus feruntur.

Opuscula in quibus de Paschate, de corrigendo Calendario Romano, de calceis, & calceamentis à S. Benedicto in vsum Monachorum prascriptis.

Chronolog. ab Orbe condito ad nostra hac vsque tempora, in qua vniuersales Epochę ab Orbe condito ad Christum, & à Christi natiuitate ad annum 1687. in triginta columnas distinctę depromuntur.

Vita, & Historia SS. Pudentis, Pudentiana, & Praxedis ex pluribus Auctorib. clasicis composita, in qua ostenditur domum S. Pudentis Senatoris Romani fuisse primum Hospitium Principis Apostolorum in Vrbe, & primam Ecclesiam in Dei honorem constructam, & à S. Petro dedicatam, in qua Sacrę Synaxes cum Christifidelibus habebantur contra Noskerum, & Florauantem Martinellum, qui tantum decus, planè inuidiosum attribuunt primò S. Petro ad vincula, & S. Marię in via lata. Additur Catalogus S. R. E. Cardinal. cum eorum vita, insignibus, & gestis, qui huius nostrę Ecclesię S. Pudentianę de Vrbe Presbyteri Cardinales pro tempore prę fuerunt.

Cęterùm in laborum pręmium, & in ętatis deuexę solamen Abbatis S. Syluestri in Monte-Soracte anno 1670. cohonestatus nuncupatione, ne senium quidem, quando robore pręstantes inter senes ablegandi sint, à tabula amouet. Nullam absque linea transigit diem, imò octaua, & nona hora libris insudanti elabuntur; plura è mss. luci daturus, si sexagesimum Religionis annum iam agenti longiùs ęuum fata donent.

1668. *Io. Berard, Parisiensis*, intra iuuentam nostram cogitauit Institutionem, iurauitque Plessiaci postridiè Nonas Maij anno Orbis reparati 1629. Cum Sęculo gentile etiam agnomen dimisit, *Io. à S. Genuepha* appellandus. An verò Religionis, ac doctrinę in arena, animi cultui mentis expolitionem adiunxerit, liquet è vestigijs literarijs, quę & calami exercitium sunt, & animi ad perfectionem anhelantis adiumenta. Qui enim viros à Mundo segreges, proprij status mune-

munera nesciendo, plenam sapere ignorantiam optimè nouerat, quique Monachum Angelicis incumbendo moribus, Angelorum accedere nobilitati haud dubitabat, commentatus est

De scientia Sanctorum, idest de anima religiosa instructione, ne vllam sua professionis partem non benè calleat. Vnàque

De sublimi statu, ac dignitate Angelorum.

Opuscula hęc suę potissimùm vtilitati conscripta publico voluit etiam beneficio deseruire, ideòque communia fecit, primum quidem Lutetię 1668. ex officina Francisci Muguet, alterum verò ibid. impressore Francisco Herault.

Plura etiam Monasteria direxit, & iure meritò quidem, nam ad Monachorum regimen eo nemo dignior, qui sui muneris apices, & gestis, & elucubrationibus eosdem edocere valet. Viuendi finem fecit Lutetiæ die vndeuigesima Octobris 1678.

1668. *Ioseph Ormea*, humanioribus literis iam apprimè excultus, nec in artibus liberalibus mediocriter versatus Monasticæ Institutionis sacramento se obstrinxit religiosa sub denominatione *Ioseph à S. Laurentio*, idque in Monasterio Testonæ à Taurinensi Ciuitate loco sibi natali quarto lapide dissito, Calendis Maij anno 1659. Aristotilem, Diuumque Thomam explanauit Sodalibus ad annos octodecim, tot nactus præcones, quot Auditores, me in primis, qui naturalem scientiam ab eo edidicisse grato calamo, gratiorique animo profiteor. Si typis consignabit, quæ Apollinis cultor suaui cecinit plectro, seù quæ Verbi Dei Declamator ex suggesto populis annuntiauit, aut scientiarum Magister è Cathedra edocuit, multùm profectò de re literaria benemerebit. Hoc vt præstet, inter Monasteriorum Præfecturas dictis vigilijs impensè inhæret, cùm interim Leo ex vngue dignoscendus, luci exposuerit Monte-Regali apud Franciscum Matiam Gislandum

Extemporale iubilum ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. D. Dominicum Truchium, Montis-Regalis Episcopum, cùm primùm sacram B. Virginis propè Vicum ædem inuiseret anno 1668 in 4.

1670. *Carolus Ioseph Morotius*, *Monte-Regali* natus, adolescentiæ florem in religiosæ disciplinæ rudimentis, bonarumque experientia artium collocaui. Ætatis annos quadraginta quinque recenseo, conuersationis autem in strictiori hac Cistercij obseruantia, cui ad

B. Ma-

B. Mariæ de Testona sub cognomento *Caroli Ioseph à S. Anna* 20. Martij anni 1661. me deuoui, septem vltra viginti adnumero. Edidi, dum adhuc Taurini in Rhetoricæ exercitijs versarer

Applausus in promotione ad Purpuram Io. Card. Bona Eminentissimi mei Conciuis, & amplissimi Mecænatis, de cuius etiam laudibus ad omnes Augustæ Taurinorum Ordines eò temporis dixi, & Templum virtutis, ac honoris in tanti Principis meritis, ac dignitate, mea qualicumque peroratione Auditoribus apertum exhibui. Opusculum vulgauit Bartholomæus Zappata in 4. anno 1670.

Romæ posteà degens anno 1674. excudendum præbui Philippo Mariæ Mancino

Cursum vitæ spiritualis, facili, ac perspicua methodo conducentem hominem ab initio conuersionis vsque ad apicem sanctitatis, opus in 8. cum Italica versione Octauij à S. Cruce Taurini recusum anno 1683. in 12 per Io. Baptistam Zappatam Bartholomæi filium.

In Pedemontium ex Vrbe reuersus, & B. Mariæ Consolatricis Abbas primò renuntiatus, supposui prælo Io. Simbaldi Regiæ Computorum Cameræ impressoris,

Theatrum Chronologicum Sacri Cartusiensis Ordinis, Lectori exhibens Ordinis eiusdem Primordia, & Consuetudines, Priores Magnæ Cartusiæ, Ord. Gen. Cardinal. Purpuras, Episcoporum Infulas, Scriptorum Athenæum, Piorum fastos, singularum denique per Orbem Cartusiarum erectiones Ordinis antiquitate digestas; Prodijt in lucem anno 1681. in folio.

Ibidem iterum Abbas adornaui

Vitam, & virtutes B. Amedei, III. Sabaudiæ Ducis, iubente Victorio Amedeo II. in Sabaudia, & Pedemontio nunc Regnante scriptam, eidemque R. C. nuncupatam. Taurini in Officina Zappatæ 1686. in fol.

Prouinciæ deinde Subalpinæ Moderator publici iuris feci hanc

Cistercij reflorescentis, seu Congregationum Monasticarum B. Mariæ Fuliensis in Gallia, & Reformatorum S. Bernardi in Italia Chronologicam Historiam.

Habeo sub lima *Theatrum Chronologicum Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei.*

Theatrum Chronologicum Ordinis S. Hieronymi, per Hispaniarum

Regna

Regna celeberrimi, vnàque *Chronologiam Congregationum sub eiusdem S. Hieronymi legibus olim in Italia Altissimo famulantium*, ea dispositione seruata, qua Chronologiam Cartusianam præmisi. Cùmque per aliquot annorum spatium sacræ eloquentiæ experimentum præbuerim, typis etiam paro

Conciones Aduentus in Basilica Vaticana Romæ dictas eo anno, quem clausit celebris reserario anni Iubilæi 1676.

Conciones Quadragesimales in eadem Basilica Vaticana, alijsque Italiæ Vrbium suggestis habitas.

Orationes Panegyricas, & alia.

1670. *Franciscus Antonius Porronus, Taurinensis*, disciplinis specularius adolescentiam suam in Congregatione imbuit, quam morum, & Rhetoricæ floribus dunraxat ornatam è Sęculo attulerat, & Deo, ac Mellifluo Parenti Testonæ sexdecennis obstrinxerat tertiò Nonas Februarij anni 1663. cognomento, vt Institutionis ritui morem gereret, *Francisci Antonij à S. Catharina* sibi adlecto. Regit in pręsentiarum Abbatiam SS. Petri, & Andreę de Noualitio, quę secunda iam illi extra studiorum puluerem obtigit dignitas. Quale sui specimen in scientijs diuina, & humana prębuerit, asserunt Florentiolę, Montis-Regalis, Testonę, ac Taurini lycea, in quibus adolescentiores Monachos Theologiam semel, Philosophiam ter edocuit. Quale verò Reipublicę literarię, eo Auctore, accesserit incrementum, fidem faciunt

Præfatio ad Philosophici studij auspicia, dicta Florentiolæ 1670. & eodem anno excusa Placentiæ in Ducali typographia Ioannis Bazachi in 4.

Historia miraculosa Imaginis Beatissima Virginis Mariæ apud Montem-Regalem, quam post Philippum Mariam Roffiedum, & Philippum Malabaylam nostrum, de nouo contexuit, auxit, ediditque vernacula Italiæ lingua Monte-Regali 1676. in 4. typis Francisci Mariæ Gislandi.

1670. *Ioannes Rocherius, Maurianensis*, anno 1632. ad habitum Regularem in sacro Testonæ secessu exceptus est, à quo tempore Sanctum Ludouicum, Cęlestem sibi in Sæculo Tutelarem, deuotum, abdicato Sęculo, sibi in agnomen delegit, dictus proindè *Ioannes à S. Ludouico*. Composuit, simplicissimis vir moribus, & rebus Mo-

nastica Chronologia dignis, agendis, quàm scribendis aptior.

Glorias Abbatiæ Noualitiensis, ac Vallis eidem subiectæ, Volum. 1. in 4. Camberij impressione donatas anno 1670. apud Ludouicum Du-Four, in quo continentur Cœnobij indulta, & priuilegia, Abbatum series, aliaque haud pœnitendo collecta labore, si pari styli nitore, ac Monumentorum præstantia pollerent. Deuixit Camberij.

1670. *Iacobus à S. Michaele*, ante tyrocinij arenam *Legris, Rothomagensis*, Theologus Fuliensis, Abbatiæ S. Mariæ de Pinerolio, nullius Diœcesis, Prouinciæ autem Taurinensis, Prior, & in eadem, eiusque iurisdictione in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis, & Officialis, Diuinos Codices in tabulas distinxit, prænotatas

Sacrorum Noui Testamenti librorum omnium Analysis catholica, & Oeconomia Generalis, opus egregium sub auspicijs Eminentissimi Principis Iacobi Cardinalis Rospigliosi primò euulgatum, Lugduni verò secundò excusum apud Antonium Iullieron in magno folio, & Ludouico XIV. Galliarum Regi nuncupatum. Typis etiam Lugdunensibus Francisci Comba consignauit duo Volumina in 8. sub huiuscemodi attitulatione

Bibliorum Idea generalis illustrata, & in suas delineationes distincta. Ita relationes Patrum Fuliensium, à quibus habeo Virum sapientissimum Artium Lectoris sæpiùs expleuisse cursus, & Abbatiæ Pinerolij Exvicarium, Visitatorem creatum Congregationis. Eo in munere, se se ad æternitatem composuit Tolosæ die tertia Octobris anni 1676. Claustralis autem militiæ tertio & quadragesimo, nimirùm relatus in nostrorum album decima septima Maij anni 1633.

1672. *Ioannes Laurentius Trombetta, à Monte-Regali*, inter nos dictus *Ioannes Laurentius à S. Cæsareo*, ex fratre Nepos Cæsaris Trombettæ Presbyteri Sæcularis, pietate eximij, & deuotionis ergà Imaginem B. Virginis secùs Vicum miraculis coruscantem promotoris egregij, prælo consignauit eiusdem sui Auunculi gesta Italicè descripta in opere, cui titulus

Vita Venerabilis Serui Dei Cæsaris Trombetta à Monte-Regali. Taurinorum Augustæ apud Zappatam in 12. 1672. Vitam clausit Auctor anno 1687. septuagenario maior in Sacro Noualitiensi secessu,

cessu, suorum inspector operum, nam cùm primò antiquissima hæc Benedictinorum Eremus nostris Colonijs patuit, illius Rectorem se audijt, ac tandiù habenas moderatus est, quandiù vegetæ vires ad regiminis idonei repetitas electiones suffragium contulere.

1673. *Martinus* gentili agnomine *Incesin*, loco natali *Parisiensis*, suaue Monastici status iugum ab adolescentia subijt, reformauitque nomen Martini Incesin in appellationem *Martini à S. Maria*. Studijs addictissimus, Lectoris spatia quinquies emensus est, semel in Philosophiæ, quater verò in Theologiæ Palæstra. Typos etiam impleturus, protulit, dum maiora parat,

Librum reseratum, seù prima Bibliorum elementa. Parisijs apud Georgium Iosse 1673. Vol. 2. in 8.

Tabulam generalem Summæ Diui Thomæ, omnium eius Tractatuum numerum, ordinem, & connexionem indicantem. Lutetiæ apud Bonnard. sub signo Aquilę aureę 1679.

Varios Iuris vtriusque Titulos, ac rerum Indices vnà, cum Iuris Canonici Historia abbreuiata. Ibidem penes Iacobum Du Breuil in Vico S. Iacobi anno 1684. Viuit adhuc Lector Sacrę Theologię Parisijs.

1675. *Iulius Bartoloccius*, postmodum *Iulius à S. Anastasia*, è *Celleno* Etruriæ Oppido, vocatione suâ ad S. Pudentianę de Vrbe Sacramenti dictione ritè constabilita, in Pedemontium amandatus est, locum habiturus in lyceis Montis-Regalis, ac Taurinorum Augustę. Ibi, dum Philosophorum, ac Theologorum placitis mentem imbuit, Rabbinos passim adire, Hebręorum codicibus frequenter inhęrere cępit, vbere in disciplinis scholasticis cum prouentu, celeberrimus linguę sanctę Magister aliquando futurus, eamque, erutis ex antiquitatis visceribus Scriptorum nominibus, & monumentis, illustraturus. Iussit in hanc tem Italiam perlustrare totam, Bibliothecas locupletiores inuisere, Vrbem mox repetere, & Israeliticę eiusdem loquutionis publicum in Collegio Neophytorum Lectorem, & Apostolicum in Bibliotheca Pontificia ad S. Petri Scriptorem renuntiari. Dum enim diuturno opportunę Vrbis domicilio fruitur, dum copiosior Voluminum suppellex ei vndique patet, dum summorum inter literatos capitum alios quidem alloquutione coram, alios verò Epistolarum auxilio consulit, dum Commentationis lumina in Anglia,

Germania, & Hispania diligentissimè conquisita celeberrimo promocondo vndique adferuntur, dum in suam rem nihil non obseruat, colligit, confert, ingentem tandem efformat fœtum, proditque suo ex calamo Romę anno Iubilęi 1675.

Bibliotheca magna Rabbinica De Scriptoribus, & scriptis Hebraicis, ordine Alphabetico, Hebraicè, & Latinè digestis Pars prima in folio, Palutio de Alterijs, S. R. E. tunc temporis Cardinali Patrono inscripta, tres primas Alphabeti literas complectens.

Biblioth. magna Rabbinica Pars secunda. Ibidem in folio 1678. ad Innoc. XI. Pontific. Max.

Bibl. magna Rabbinica Pars tertia. Ibidem in folio Carolo II. Augustissimo, & Potentissimo Hispaniarum Monarchę nuncupata anno 1683.

Bibl. magna Rabbinica Pars quarta complectens Auctores qui cadunt sub litera *Caph* & reliquis vsque ad finem Alphabeti Hebraici.

Extant prętereà alię eiusd. lucubrationes, quę sunt.

Liber Tobiæ filij Tobielis cum interlineari Latina versione, nunc primò translatus ex Hebraica in linguam Latinam. In margine additę sunt radices Hebraicę difficiliores; vnàque Commentarij ex secretioribus Hebręorum libris, quibus eorum rituum, Theologię, ac Cabalę arcana panduntur.

Liber, cui Tit. impositut *Migdal Oz Scem Adonai, Turris Fortitudinis nomen Domini*, seu Defensio Doctrinę Christianę Hebraicè translatę à Io. Baptista Iona Galilęo M.S. in Bibl. S. Pudentianæ de Vrbe num. 2552.

Cęterùm suę magnę Bibliothecę nuncupationi par hęc elucubratio, editas olim à Genebrardo, Sixto Senensi, Buxtorfio, Plantauitio Rabbinicorum Mineralium nomenclatoribus absorbet, & maximoperè adauget. Auctorum nomina, operumque titulos, passim alibi nudos, penu eruditionis prędiuiti locupletat, subiectis eorumdem Auctorum ętate, muneribus, virtutibus, vitijs, ac operum recensioni, operum, si qua indigent, censurà. Dogmata Talmudica in lucem educit, & refellit. Fabulosas enarrationes respuit. In Christianam Religionem impiè dicta, doctissimè in Christi aduersarios retorquet. Si quid in referendis veteris Testamenti locis corruptum, id omne, emendata deprauatione, legitimo sensui restituit. A Scripto-

rum

rum nominibus, & vigilijs nonnunquam digreditur, doctissimas intermixturus dissertationes, vt verè Gregorius de Scarinchijs, Collegij Pœnitentiariorum apud Basilicam Liberianam Rector, & Verbi Diuini Apostolicus ad Hebręos in Vrbe commorantes declamator dixerit: *Vehementer miratus sum, quomodo vir Monastica disciplinæ addictus tot, tantaque Hebraeorum volumina potuerit reinuenire, adinuenta reuoluere, & reuoluta obstrusiora Iudaeorum commenta in eis contenta retegere, eaque validissimis, & ad hominem (vt dicunt) rationibus, & argumentis refellere, ac totam ferè Talmudicam doctrinam pessundare, quod vix fieri potuisset, nisi pietatis flagrantissimo studio incensus, multis vigilijs, sudoribus, & bonarum horarum dispendijs posthabitis, solum Dei honorem, & Catholicæ Ecclesiæ commodum ante oculos habuisset. Nam quis hunc laborem suscipere, & nomina, & genus, & dignitates, & secula, commentariorumque numerum, varietatem, linguam, stylum, exponendi methodum omnium Iudaicę gentis Auctorum manifestare potuisset, additis insuper annotationibus, censuris, castigationibus, obseruationibus eruditissimis, nisi perfectissimè calluisset linguam Hebraam? &c.*

Ascetæ clarissimo debebantur planè illustriores honores. At quid viris, se ipsis magnis, expetendus à gradibus decor! verùm nec ipsi desiderantur, nimirùm egit Monasteriorum S. Bernardi extra Brisighellarum Oppidi męnia, eiusdemque attitulationis Romæ ad Termas Moderatorem, Comitiorum Generalium Præsidem semel, ac iterum, Visitatorem Prouinciæ Romanæ secundò, & tertiò. Prouincialatus, ac Generalatus volens caruit muneribus, quòd grauioribus obnoxia curis, Commentatori potissimùm, cui satiùs sit vacare à dignitatibus, quàm feriare ab elucubrando. Ne cui etiam præficeretur Ecclesiæ haud semel deprecatus est, maiori cum existimationis fœnore. Enimuerò fixo sibi in Vrbe domicilio, Sancti Sebastiani ad Catacumbas Abbas titularis perpetuò, Collegij Neophytorum ad annos 30. Lector, Scriptoris Apostolici penè ad totidem, Sacræ Congregationis Indicis Consultor, Romanæ antiquitatis, sacrorum Canonum, rerumque peritia conspicuus suspiciebatur. Apud Purpuratos Patres, imò & ipsos summos sacrorum Antistites plurima floruit gratia, maximè autem apud Innoc. XI quem ad suæ Ecclesiæ incolumitatem, fidei propagationem, Saracenorum, & Hęreticorum

euer-

euersionem, nostrique æui felicitatem Deus Opt. Max. suum in Orbe Vicarium constituit. Id ipsemet fatetur in nuncupatione Rabbinicæ suæ recensionis ad eundem, vbi ait: *Sextus supra vigesimum iam elapsus est annus, quòd in Collegio Neophytorum Vrbis Hebraicæ linguæ Magisterium ad hanc vsque diem exerceo, Te præsertim Auctore (Beatissime Pater) cuius protectione gloriabatur ille locus, cùm inter Purpuratos Patres effulgebas; modò verò eandem retinens, cùm toto Orbi Christiano præsides, miratur tantam maiestatem munus idem non dedignari. Neque decebat tàm diuturni temporis spatia sine literaria, vt ita dicam, coronide concludere, neque Tua in me collata beneficia publico signo non testari. Nam Tu labores meos leniebas; Tu ingenij mei tenuitatem euehebas; Tu senili meæ ætati perquirebas commoda; Tu voce, Tu affectu, velut brachijs, me humaniter complectebaris; Tu fessum recreans, fouensque, ad vlteriorem cursum promouebas. Quid ego tot officiorum cumulis deuinctus, tanquam grati animi perpetuum monimentum Tibi exhiberem, nisi omnium ferè laborum meorum fructum, mihi quidem permolestum, cæteris fortè non iniucundum, nec inutile futurum?*

Bibliotheca meæ Rabbinicæ Pars secunda, in qua inter cæteros David, hoc est Hebraicè Dilectus, describitur, Te exposcebat, dilectum sanè Deo, & hominibus: sed quam purpurato Tibi animus dicauerat, feliciùs prouidit Deus, vt Tibi Sacerdotum omnium Principi, altiori, sed æquiori titulo consecrarem &c. Vitæ tandem clausulam absoluit apoplexia correptus anno 1687. die 20. Octobris.

1677. *Io. Baptista à S. Anna, Pradillonus*, ad ius Monasticum è suprema Generalatus sede Fuliensibus dicendum secundò assumptus, anno 1677. supposuit prælo Georgij Iossei Parisiensis Bibliopolæ

Praxim Iuris in Congreg. Fuliensi. Aliaque adornat quantocyus euulganda.

1681. *Philippus Bursius*, post habitus susceptionem à *S. Ioanne Baptista, Romanus* oblectatricem Musicam à puero coluerat, gloria haud mediocri in Vrbe sibi comparata seù organa manu pulsaret, seù tibias flatu compleret, seù, quod artis est fastigium, sacrarum modulationum Præfectum ageret. Quæ cura illi quidem alijs, alijsque in Ecclesijs frequens, ad S. Io. Florentinorum cum annui census assignatione diuturna stabat. Nec dissonam armonicis studijs agebat

vitam.

vitam. Ad honestatis leges præcipuè conuersabatur, qui alios vocis ad numeros formandæ, fidiumque ad concentus præscriptum tangendarum passim adhibebatur instructor. Tædebat nonnunquam auribus suauiùs mulcendis plenam litare iuuentam, idque auaram artis ob venditionem, seù leuem occiduæ gloriæ ob cupiditatem. Passim, terrenos moderando cantus, æthereos choros mente adibat, de laude diuina cœlestes inter Psaltes aliquandò concinenda cogitabundus. Nec diù consilij exequutionem distulit. Apollini tandem, & canoris valedixit curis nomen daturus Asceticæ institutioni, cuius sectatores iugi Psalmodia Angelicos Choros congeminant. Ea mente anno 1671. ad S. Pudentianam se contulit, vbi voti compos, decenniò etiam commoratus est, & Odei frequentia, ac œconomiæ exercitio, Cellerarij, vt vocamus, muneri, quod gessit, oratione, & operatione consonam egit personam. Qua animi constantia diuino se obsequio mancipauerit, tunc innotuit, cùm à Patre suo, Consorte, & reliqua prole orbato, ipse, qui vnicus supererat, filius, profunda vt senecta, morbis, ac inopia laboranti præstò esset, à Religione crebris expostulationibus repetebatur. Nescijt tunc ad liberioris vitæ amorem iterum flecti; A Pontifice de dispensatione interpellando abstinuit. Quo in discrimine egregiè illi profuit Congreg. Charitas, quæ maluit Genitorem ad supremam vsque diem suis impensis enutrire, quàm Alumno Sæculum, cum animæ periculo repetendi, facere potestatem. Sed hæc extra Orbitam dicta sint. Vt ad Musicam reuertamur, eius quidem exercitium dimisit, & ne eam calluisse à posterorum memoria excidat, typos cogitat, quos iam occuparunt

Missa vnica voce cum organo, vel sine organo concinendæ loco earum, quæ cantu Gregoriano cantari solent. Romæ typis Mascardi 1681. in 4.

Regit modò Cœnobium S. Bernardi secus Brisighellam Romandiolæ oppidum.

1682. *Matthæus Durandus*, in præsentiarum *Matthæus à S. Benedicto*, patria ex *Butilieria Astensi*, ita indigenæ vocant, ad distinctiónem alterius eiusdem nuncupationis oppidi propè Auuilianam in Prouincia Secusiæ, naturæ debuit animum eruditioni, ac pietati opportunum. A Genitoribus siquidem Cherium amandatus, sub disciplina PP. Societatis Iesu studijs excolendus, vix delibato humaniorum

rum literarum flore, ad Testonam, Nouitiatus domum, contendit, Monasticæ institutionis legibus erudiendus. Diuini afflatus puerum à rerum caducarum amore euocantis is viguit in eo feruor, vt Genitorem quoque suum ad Mundo valedicendum efficacissimo exemplo allexerit. Qui tamen Durandi agnomen fefellit suum, nam animo ad arctissimæ obseruantiæ austeritatem minus obdurato, quarto tyrocinij mense generoso stadio terga vertit, cuius gloriosam adeò metam Matthæus filius attigit die secunda Julij anni 1662. Votis authoratus diuinæ, humanæque scientiæ Cathedraticum, Taurini, & Romæ celeberrimum ad annos duodecim, Abbatis Generalis à secretis, Prioris nuncupatiui, siue Pinerolij, Abbatis Dominæ nostræ propè Vicum, Generalis in Curia Romana negotiorum Procuratoris Personas gessit, alias, aliasque acturus, semper egregias, meritis nimirùm impares nunquam. Scripta, ob quæ Athenæo inserendus, sunt

Diui Bernardi gesta illustriora, quorum Authographum à Luca Bertolotto sibi in vitæ discrimine consignatum, ne cum tineis, vt alia pleraque, decertaret, effecit, præfixa epistola nuncupatoria ad Deiparam Virginem, monitione ad Lectorem, ac diserto elogio, edendumque curauit Romæ in officina Tinassij anno ad marginem connotato 1682. Suo è calamo, si elucubrationi absoluendæ se pro voto impendere poterit, dabit

Theologiam ad mentem Diui Bernardi, opus ipsi multi iam laboris, & curæ.

1686. *Ioannes Maria de Gabriellis, Tifernas*, quis futurus esset viuaci ingenio, tenaci memoria vel in ipso ætatis flore commonstrauit. Indoles literarum amica, optima naturæ instrumenta ea omnia puero contribuisse visa, quæ in ephæbo ad doctrinam vnicè efformato desiderantur. Ea propter Parentes Vrbem peteret curarunt in longè florentissimo Collegij Romani lyceo edocendum. In tanto ingeniorum meridie singulari applausu emicanti supernæ vocationis lumen affulsit, cuius fulgore doctrinæ mundanæ dignosceret vanitatem, nisi & alicui ex spiritualis sapientiæ scholis se se imbuendum præberet. Ex ijs quamnam præ cæteris deligeret maturè penes se cogitanti nostrum illi S. Pudentianæ Asceterium occurrit. Faustè id cecidit, nam fragrans adolescentis desiderium Patres haud diù morati, eum post integrum tyrocinij periculum votis pronuntiandis solemniter admi-

sere

fere 13. Octobris anni 1672. assumeretque agnomen *Io. Maria à S. Florido* approbarunt. A nouitiatus palestra ad studiorum arenam de more migranti profuit iam Philosophum è Iesuitarum scholis discessisse, nam mox audiendæ Theologiæ admotus, breuiori temporis compendio discipuli cursum absoluit, & Magistri nomenclaturam, ac gradum assumpsit. In sententiarum delectu mentis nobilitas nonnisi ire per ardua cogit. Agit in hoc puluere iam ad integros duodecim annos Taurini, Romæque sat celebris. Subtiliores obiectiones non desudanti occurrunt ingenio, sed faciles illi, ac paratæ etiam cum insurgit extemporaneè. In doctis proindè concertationibus frequentissimus continuum sui experimentum facit. Academiæ Sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ Historiæ in ædibus SS. Cosmæ, & Damiani excitatæ accensitus, egregium sui specimen in his quoque præstantissimis studijs præbet. Publico autem iuri exposuit

De Romano Pontifice, & Ecclesia Asserta Dogmatica ad mentem S. Bernardi Abbatis S. R. E. Doctoris Mellifui. Romæ ex typographia Iosephi Vannacci anno 1686. in folio.

Promptuarium selectiorum Assertionum Historicarum, Criticarum, Dogmaticarum ex Sacra Scriptura, Historia Eclesiastica, Summorum Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum opulentissimo penu depromptarum, & per octo priora Æra Christianæ secula distributarum. Romæ typis Pauli Monetæ anno 1687. in folio.

Propediem iuris communis faciet opus voluminosum, cui titulus

Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica aduersus Ethnicos, Hebræos, Hæreticos, & Schismaticos ex Sacra Scriptura, Historia Ecclesiastica, & Prophana, Concilijs, & Sanctis Patribus concinnata.

Hilarius Firat, Annesiensis, post habitus susceptionem *Hilarius à S. Ioanne Baptista*, nostræ Institutioni ritis solemnitatibus Pinerolij adstrictus anno 1628. viuit adhuc septuagenario maior, vt vel in ipsa ætate annis, cutisque atrita Monachos prisci æui, moris, ac spiritus prosequatur referre. Choro, & Cellæ, Deo, & bonis artibus vacare; asperiores consuetudines sanctiùs amplecti; in supellectili, in victu, & vestitu votam inopiam colere; cum viuis parum, multum cum mortuis conuersari; hæc illi à tyrocinij limine norma vitæ. Quod ad eruditionem attinet, prædiuitum instructione Bibliothecarum literatis aliorum otijs æquè ac suis in Sabaudia prouidit. Iuri Ci-

uili ac Canonico plurimam impendit operam, ea passim vsus ad vindicanda iura Cœnobiorum B. Mariæ de Abundantia, & S. Petri de Lemenco, quæ sępiùs administrauit. Historicum prætereà in paucis eximium nostra concelebrat ætas. Nullus Allobrogicæ nobilitatis Genealogias profundiùs callet, nullus patriæ antiquitatis sacræ, & prophanæ peritior. Si excudendæ voluminum Mss. moli animum adderet, typos profectò fatigaret. At latere in vmbra, quàm suæ Mineruæ fœcunditate se prodere solicitior, quæ amicis confluentibus identidem communicat, publicæ subducit vtilitati. Proficere ex editis eius vigilijs voluisset Guicenonius, qui in contexenda Genealogica Regiæ Sabaudæ Domus Historia acceptis ab eo monumentis locuples, cæterorum cupidior Gallico, quo scripsit sermone, inquit: *Adhuc desiderantur Latini Sabaudiæ Annales Auctore R. P. D. Hilario à S. Ioanne Baptista Religioso Congreg. B. Mariæ Fuliensis, & Priore B. Mariæ de Abundantia in Chablasio, qui monumentis ab antiquitate diligenter excussa collectis prædiues, in lucem emittere aliud quàm excellens opus non valet.* Idipsum frustrà expostularunt & alij. Verùm si ob Auctoris animum in præli auersione obfirmatum omnes excidere è votis, fortè erit qui Autographa postuma luce donet. Interim Nestoreos annos optimo seni boni precantur omnes, qui, Pręfecturis à multo tempore abdicatis omnibus, Camberij degit Abbas Titularis Ecclesię S. Bernardi Vercellarum, ad nostros S. Victoris Monachos Vercellis degentes spectantis, nimirùm vir modestissimus, honorum procul à luce, & ad aliquod occiduę suę ętatis decus sola dignitatis nuncupatione contentus. Eius mss. elenchum huic recensioni deberi nequaquam volo, ideò subdo.

Catalogus Abbatum B. Mariæ de Abundantia in Chablasio ab anno 1000. vsque ad annum 1665.

Compilatio Chronologica Antiquitatis Prioratus S. Petri de Lemenco, in qua inserta leguntur varia ad Historiam, & ornatum Vrbis Camberij.

Hist. Genealogica antiquorum Fauciniaci Procerum, nec non & familiarum, quæ ab ipsis originem ducunt Gallicè scripta.

Genealogia trium ex illustrioribus inter Allobroges familiarum, nimirùm de Alinges, de Lucinges, & de Blonay, quarum quidem familiarum nuptias, sobolem, fortunas, piaque monumenta ab anno secu-

fæculari 1000. ad hanc vfque diem ex vetuftiffimis membranis haufta fideliffimè, & nitidè fcriptis confignauit prope diem typis cudenda, maximè autem ftirpis de Alinges Heroes complectentem, quam ideò abfolutiffimam tradidit Marchioni de Codret.

Confutatio Differtationis de iure præcedentiæ inter Sereniffimam Venetam Rempublicam, & Sereniff. Sabaudiæ Ducem à Theodoro Grafsuinckel I. C. Delphenfi fcriptam.

Io. Baptifta Borgia, Romanus, cùm 10. Iulij 1643. in noftrorum album illatus eft, habitumque in Monte-Soracte induit *Io. Baptifta à S. Philippo* vocatus, facrę eloquentię, facultatibus fpeculatiuis, Mathematicę, ac Ecclefiafticę Hiftorię feriatas à diuino obfequio horas deuouit, refponderuntque votis nunquam intermiffi labores. Enimuerò poft egregias femper fcholarum in puluere contentiones, Philofophię, ac Theologię Romę, Ianuę, alibique Lector emeritus, Concionator etiam laudandi nominis euafit. Qui fi calcographię opera communi vtilitati accommodabit, defudantis Mineruę, fed manu exaratos labores, perpetua euulgabit fuę doctrinę teftimonia

Vitiorum fulmen, virtutumque ftimulum.

Vitiorum Deformitatem, ac virtutis decorem, nimirùm concionum Quadragefimalium curfum vnum, & alterum

Animæ præparationem, itemque

Faces ad perfectionem religiofam, conciones fcilicet ad dies expectationis Virginei partus fanctiùs tranfigendos habitas, alias quidem ad Laicos, alias verò ad Sanctimoniales.

Nouenam ante facrum Natale Domini noftri Iefu Chrifti, itemque fermones de Purgatorio.

Sermones de Beatiffima Virgine, Orationes Panegyricas in Marię Dei Parentis pręcipuis folemnitatibus.

Sermones clauftrales in receptione Nouitiorum ad habitum.

Introductionem practicam ad Aftronomiam via rationali demonftratam, varifque breuibus, & planis modis directiones, refolutiones, & tranfitus edocentem.

Declarationem compendiofam Sphæræ Artificialis, Elementaris, & Cœleftis.

Epitomen Arithmeticæ, & Geometriæ practicæ.

Horologiographiam breuem, facilemque.

Explicationem præceptorum Decalogi, complectentem vniuersam ferè Theologiam Moralem.

Theologiam scholasticam, quadripartitam, Philosophiæ tripartitæ consonam, ea videlicet ratione, vt totius Philosophię, & Theologię studium sexennio decurrat.

Acum Magneticam Philosophicam, Theologicam, Moralem, & Rhetoricam, indicantem Auctorum loca super quamcunque materiam.

His, alijsque ingenij fœtibus, ineditis licet cunctis, promeruit tamen vel aliquam inter nostri Athenęi lumina recensionem, ne Chronologia omninò sileret virum collectis nominis plausibus sat celebrem, Academię Conciliorum, quam selecti ex Ordinibus Regularibus tantùm doctiores Patres singulis mensibus in Templo SS. Cosmę, & Damiani Romę aperiunt, Pręsidem aliquando renuntiatum, ac minores inter alios claustrales caracteres Prouincialatu Prouincię Romanę alias condecoratum, & Abbatis Generalis secundi Assessoris pręcipuo munere modò defungentem.

Io. Baptista, gentili agnomine, *Ascherius*, Monastico autem *à S. Bernardo*, origine *Monacensis*, Diœcesis Albintimiliensis, sed domicilio Romanus, Reformationis, quam, tertio Id. Septembris 1673. ad S. Pudentianę perpetuò seruandam suscepit alumnus, plurima religione, & literatura excultus, Monasterij S. Bernardi ad Thermas SubPrior, Bibliothecę ab Eminentissimo Cardinali Bona eidem Cœnobio extremis ceris donatę Custos, Reuerendissimi P. Caroli à S. Francisco Abbatis Generalis à secretis, Latino plectro multa pinxit, quę inter, piarum Musarum teruntur manibus *Carmina in laudem Virginis Lauretanæ*, typographo Iosepho Maietto, Mediolani impressa. Eiusdem Ascherij frequens occurrit mentio in celebri Philippi Picinelli Canonici Regularis Mundo Simbolico, Mediolani itidem anno 1680. cùm additione vigesimę sextę partis recuso apud Franciscum Vigonum, cuius Appendicis Simbola ferè omnia ingeniosis oppidò, amęnisque disticis ipse exornauit, vti curioso Lectori passim videre est.

Carolus Ioseph Imbonatus, *Mediolanensis*, cùm nostræ Congregationi in Monasterio S. Pudentianę de Vrbe nomen dedit, *Carolus Ioseph à S. Benedicto* appellatus, Philosophicis, ac Theologicis excultus

cultus studijs, linguę etiam sanctę addiscendę adeò egregiam nauauit operam, vt propterea Iulius Bartoloccius sic de ęo suos inter alumnos scribat:

D. Carolus Ioseph Imbonatus Mediolanensis nostræ Congregationis Monachus, vnus ex Monachis sacræ Theologiæ candidatis eiusdem Cœnobij mihi à Reuerendissimo Patre D. Iosepho à S. Petro Abbate nostro Generali pro auditoribus assignatis secundum iussionem Eminentissimi, & Reuerendissimi D. Domini Alexandri Cardinalis Crescentij, Congregationis nostræ Protectoris vigilantissimi ad mentem S. D. N. D. Innocentij Papæ XI. Qui, vt in Vrbe apud Regulares studium haberetur linguæ sanctæ, & Lectores instituerentur secundum sacros Canones, aliquos meæ Congregationis Monachos in eadem lingua instruere mandauit. Iste, inquam, discipulus meus Imbonatus nunquam studium Hebraicum intermisit, sed in illud assiduè insistendo, adeò profecit, vt non solùm libros sacræ scripturæ, quantum licuit tyroni, interpretatus sit, sed, & quod mirum est, nondum expleto biennio ad legem Scebal Pe Oralem, Librosque Misnicos progrediens interpretetur sine vocalibus, suis interim non intermissis actibus Theologicis de iure sibi competentibus: in quibus omnibus, & præsertim in Hebraicis studijs alios suos condiscipulos adeò superauit, vt Collegij Neophitorum Superiores tempore meæ infirmitatis eundem Imbonatum dignum, ac idoneum existimarint, qui Cathedram meam repleret, & prosequeretur explanationem Psalmorum à me inceptam, eamque continuaret, quousque ab infirmitate conualescerem. Post discessum D. Riuier è Collegio Neophitorum, commisi eidem D. Imbonato, vt grammaticale opus à præfato D. Riuier inceptum prosequeretur, qui cum annuisset, secundam partem introductionis in linguam sanctam intermissam reassumit, sed mutato titulo: quia cum de coniugationibus, & de reliquis, quæ ad coniugationes, & ad alias Grammaticæ partes spectant, agat, sint autem hæ veluti surculi linguæ sanctæ plantati in Domo Domini, de his quoque breui compendio, sed perspicuè agendo Epitomen contexuit, indito titulo ex Psal. 92. 14. Scetulim bebeth Adonai surculi in Domo Domini. Hactenùs de Imbonato Bartoloccius in sua Bibliotheca magna rabbinica parte quarta pag. 129. cuius preterea meminit alio in loco eiusdem lib. pag. 279. qui alumnum ad benemerendum de linguę Israelitice explanatione, ac


de

de Hebræorum ad Christum conuersione aptissimum, magnę suę Bibliothecę complendę à Sacra propagandę fidei Congregatione sibi Coadiutorem datum gaudet, neophitis insuper edocendis à Collegij Rectoribus delectum, laborem cui ipse impar multa cum laude exantlare conspexit, ac typos cogitantem parare opusculum, cui titulum imposuit: *Aduentus Messiæ ab Hæreticorum, ac Iudæorum erroribus vindicatus, nec non sacrarum scripturarum, Sanctorum Patrum, Conciliorum, ac Rabbinorum suffragijs obsignatus. Ex Hebraico, Græco, ac Latino codice Auctoritatibus desumptis in duas dissertationes Theologicas, Historico-Dogmaticas distributus, in quarum prima omnes ferè Hæreses contra Diuinitatem, ac Humanitatem Christi Domini referuntur, ac reprobantur. In secunda Messiam in Lege promissum aduenisse veteris Testamenti, ac Rabbinorum testimonijs comprobatur, eorumque multa falsa commenta reprobantur.*


Athenęi Fuliensis Minerualia hactenus celebranda claudit *Marcus Antonius à S. Maria, Pedemontanus, è Carretta*, quam S. Iulię vocant, familia genitus, à iuuentutis flore in Monasterio B. Marię de Testona tertio Nonas Aprilis 1657. nostrę disciplinę sacramento authoratus; ad regiminis periculum semel Monasterij Camberiensis, ter verò Abbatię Montis-Regalis consalutatus Antistes; ab Historię Monasticę illustrandę, ampliandęque zelo etiam collaudandus vestigijs Chrysostomi Henriquez Fasciculi Sanctorum Ordinis Cisterciensis Auctoris iam à multis annis inhęret, adeoque feliciter, vt antiquiorum Abbatiarum euolutis monumentis, pręclarisque congestis memorijs, non iam manipulum, sed sanctitate illustrium vberem ex Dominico Cisterciensi agro germinasse segetem, vitis, eorumdemque rebus gestis, quà elucidatis, quà adauctis, quà etiam ex integro in lucem producendis se se ostensurum, dilucidè spondeat. Pium, eruditumque laborem literarius orbis propè diem habebit.

Cui quidem operi egregio, & desideratissimo cum multum tribuere queant Fulienses nostri Ascetici, exactissimęque conuersationis monasticę nitore pręstantiores, eorumdem Synopsim hic pręmittimus, Carretto interim sinentes, discrtiùs adornare typis, quę à nobis perstrictim recenseantur continuanda Chronologię methodus, & ratio postulant.

CISTER-



CISTERCII
REFLORESCENTIS
PARS QVARTA
Faſti Pietatis.



Enerabilis P. Io. Barrerius Fulij Abbas, Congreg. Inſtitutor. Ad Ciſtercienſis refectionem diſciplinæ, benigno quodam horoſcopante ſidere natus, primam delibauit auram anno quarto, & quadrageſimo ſupra ſeſquimilleſimum, tertio Calend. Maij, eadem ſcilicet ipſa die, qua Diui Roberti Ciſtercij Auctoris, ſacrorum celebratione ſolemnium, præclara veneratur memoria. Genethliacis ad tantam prouinciam auſpicijs, eandem nimirum ſtrictiorem vitæ rationem Ciſtercienſem inducendi in familiam, quam Ciſtercienſi ſartatecta in Benedictinorum Ordinem Diuus Robertus inuexerat, reliquus conſonarum partium apparatus reſpondit. Ingenium facile, ac præſens, vultus modeſtior, indoles ingenua, in Virginem, Diuoſq; obſeruantia nunquam vel in puero non effulſere. Adoleſcentiam verò exercuit matura pietate, æternorum amore, declinatione à Sæculi illecebris adultam. In humaniorum cultore literarum erumpebant Apoſtolici indicia Spiritus, vt iam tunc celebraretur natus mouendis affectibus, rerumque cœleſtium ſenſu. Sacræ etiam facultatis, ac iuris Pontificij, & Cæſa-

rei

rei puluerem laureato cum opere fructu Lutetiæ pressit. Intereà ex cessione Caroli de Crussol, & diplomate Pontificio renuntiatur Abbas Fuliensis.

Erat Fulium Cænobium Ordinis Cisterciensis situm ad Garumnam fluuium in Diœcesi olim Tolosana, modo Riuensi, cui suis attollendo ponderibus primam apponit laudem antiquitatis character, religiosum secessum communi illa efferens nobilitate rerum, qua earumdem magnitudinem auget, dum initia, & Auctores origine obuoluit subobscura. Proximam huic præstantiam confert variasse incolas, & post antiquiores, Equitum de Spata 1145. Collegium, transijsse 1169. in domos Cænobij de Crista filias, & adauxisse lineam Morimundi, cui inter Asceteria Ordinis Cisterciensis capita peculiare illud momentum, vti alijs Monasteria, ità ipsi Monasteriorum Congregationes aggregari, vno quippè, eodemque anno 1169. adauctus Fuliensi, & Palatiolæ familijs, illa in Gallia, hac verò in Hispania primitiui restitutrice Cistercij. Suum etiam pretium, si non à lautiori censu, seu ab ædificiorum maiestate, à præsidentia Antistitis in consessibus statuum Comitatus, ceu Conuenarum Prouinciæ, quos ille vnà cum Episcopo Conuenarum & cogit, & regit. Hæc omnia cumulatiùs ab attitulatione Dominæ nostræ de Charitate, & cum nuncupatione à Cœlorum Regina, insigniri miraculosa eiusdem Imagine, de qua Benedictus Cononus in Deiparæ Chronico tradit: *Ipso anno 1577. Congregatio Beatæ Mariæ Fuliensis Ordinis Cisterciensis instituì cæpta est in Aquitania, nimirum in Diœcesi Riuensi propè Garumnam flumen, septem ferè ab Vrbe Tolosa passuum millibus, Fundatore Ioanne Barrerio. Caput autem Congregationis est Monasterium Fuliense in prædictis partibus Tolosanis, quod priùs fuit Abbatia quædam Ordinis Cisterciensis. In ipso igitur Fuliensi Cænobio adhuc hodiè cernitur pulcra Imago Deiparæ Virginis, ad quam multa patrata sunt miracula, quorum vnum celeberrimum describere libet. Cum Incolæ Fuliensis Oppidi ad arma processissent contra habitatores Baratenses propter ortam discordiam de finium suorum terminis, Cistercienses Monachi processionaliter detulerunt Imaginem ad locum certaminis. Priusquam verò deferretur Imago prædicta, cæpit lacrymari, magnasque guttas profundere, quod magnam admirationem cunctis videntibus mouit. Statuta ergò in medio vtriusque partis, cum Monachi canerent hymnos,*

hymnos, laudesque ad honorem Beatæ Virginis, respondebant eis, & simul canebant ambæ partes. Tantoperè autem commoti sunt omnes ex aspectu Imaginis, vt inimicitias deponentes ad amplexus, & oscula corruerint, fædusque perpetuum inierint. Quibus peractis Sacratissima illa Imago seueriorem, tristemque vultum in lætum, serenum, subridentemque commutauit. Hæc Benedictus Cononus. Sin autem Syluestro Maurolico habenda fides, hæc ipsa effigies visa multoties prodigiosè impressa folijs arborum sacra circumplectentium Claustra, attitulationem Collegio adiecit Fuliensis, siuè Foliensis. Ita ille in suo Mari Oceano Religionum.

Sed huiusmodi antiquæ laudis onerari lacinijs Fulij gloria non patitur, postquam Barrerij contentionibus excussit disciplinæ squallorem, & erectum in celebris Congregationis caput apricari cæpit in meridie existimationis oppidò præstantioris. Luctuosa quidem sacri secessus facies post vitia à temporibus facta. Prostrata fædum in modum disciplina, ædes quà fatiscentes, quà euersæ, facultates inter raptores discissæ, iura neglecta. At vbi in vindicias commendatæ familiæ incumbere Barrerius cæpit, vbi facessere morum corruptelas iussit, vbi nouis Alumnis suum adflauit feruorem: quinam restitutus loco nitor? quantam assurrexit in celebritatem? A suæ electio is plumbatis acceptis literis versari in consilio Barrerius cæpit erigendi Monachorum indolem conuersationis exemplo. Septem omnino annos sublimis tenuit agitatio mentis. Nec à supremo afflatu exequendo statim retrahebat præclariùs ducere alios absorberet Sacerdotis opes luxus splendore, degeretque commodiùs in Sæculo, sed laboriosam affatim ingredi contentionem, disciplina infimo nimis posita loco. Cum Deo tandem res transacta anno 1573. Feriarum Quadragesimę Dominica prima ad Cartusianorum secus Lutetiam Templũ concessit. Diem à summo manè ad primas tenebras ieiunus insumpsit in precibus, lacrymisque fundendis. Recessit exæstuans amplectendæ institutionis desiderio, Fulium continuò cogitauit, habitum sumpsit, votaque nuncupauit solemnia festiuitatum Pentecostes altera die post Vesperas.

Regularis iam Abbas ex Sæculari accendere ad propositi Obseruantiam Monachorum pectora contendebat cum ardenti cohortationum vi, tum optimi conflabellatione exempli. Sed flamma inie-

cta in alijs subsidebat veluti sub cineribus, in alijs inualescebat ad momenta. Ad liberiorum ablegationem consuetudinum incalescebat nemo. Hæc ad quadriennium. Quo emenso, nec refigente se quoquam ad castigatioris rationem vitæ, in Festo Exaltationis Sanctæ Crucis 1577. Capitulum ingressus aperuit suæ mentis esse integram Regulæ Obseruantiam ab illa inirent luce, vellentque, nollentque, ad legum D. Benedicti amussim cuncta domi disposuit, vt ab illa proinde die libeat Reformationis exordiri crepundia. Nec propterea in exactę arenam disciplinę Fulium abijt actutùm. Monachi austeritatem exosi, omnia post indolis dissolutionem habebant. Insidijs atrocioribus in ipsam Antistitis necem coniurabant. Operę fuit pretium eorumdem prius conspirantem iugulare nequitiam, veneni propinationem, immissionem grassatorum infracta vi spiritus eludere, omnes exinde ab exactę militię castris dimittere, delectosque è Sęculo Candidatos in familiam censere, qui prima sub signis stipendia facientes, totos se illi informandos committerent. Hac ratione Fuliense Claustrum, exuto veluti senio, prębuit Cistercij renascentis vernos flores, quos Cardinalis Comus nomine Gregorij decimi tertij magnificè laudatos voluit in Epistola ad eundem Barrerium latinis hic verbis redditam.

Reuerendissimo Patri mihi Charissimo
Abbati Fuliensi. Tolosam.

Tua probitas conuersationis, pietasque votorum, quibus ad diuini decorem cultus, religiosaque reparationem Institutionis pro virili insistis, Papæ Sanctitati satis comperta sunt, qui mihi imposuit tua commendarem suo nomine studia, hortarerque componendis, vt poteris sanctiùs, rebus pergas in dies solicitiorem operam impendere. In quam Sua Sanctitatis mentem cum tuas curas acui extimulatione nequaquam indigeas, finem facio, & prospera, ac felicia tibi cuncta deuoueo. Romæ Calendis Maij 1581,

Tuis votis
Cardinalis Comensis.

Res sacras è Petri Cathedra temperanti, suarumque contentionum approbatori, incentori, humilis, & obsequens filius in hęc verba respondit.

Prostra-

Prostratus ad beatissimos Tuæ Sanctitatis pedes Ego Cœnobij Fuliensis in partibus Tolosanis humilis Monachus, & omnium Abbatum vltimus, Tuæ Sanctitatis obsequentissimus Tibi fidelium omnium Patri, & Reipublicæ Christianæ Parenti immortales habeo, & ago gratias, quòd mei memineris, & me homunculum literis, quas Illustrissimus Cardinalis Comus Tuo nomine scripsit, ornaueris; verùm quia gratiam referre non possum, dabo operam Deo Optimo Maximo iuuante, ne tua de me nascens opinio extabescat. Mandata Tua studiosè exequar, Sanctæ Regulæ præcepta non sinam fieri irrita, aut negligi veterum Patrum exempla; neque vnquam ex animo meo discedet hoc diuinum literarum tuarum oraculum, vt omnia se habeant quanto rectiùs poterunt. Deum verò immortalem, cuius nutui parent omnia, noctù, interdiùque cum Fuliensianis Fratribus precabor, vt Sanctitatem Tuam, ex cuius incolumitate vniuersi Christiani Orbis salutem pendere agnosco, nobis, & vniuerso Orbi perdiù saluum, & incolumen conseruet. Tolosæ Idibus Augusti 1581. Sanctitatis, & Beatitudinis Tuæ Humilimus, & Indignus Seruus Fr. Ioannes Abbas Fuliensis.

Cęterùm qui reformando Cęnobio accurata iam opera inhęrebat, post acceptam Apostolicam, adeoque pręclaram comprobationem laborum, vti se obstrinxerat acturum, ita initum veluti in Cyrco cursum, concitatiori deinceps studio absoluit. Quod vnum euincendum intercedebat impedimentum, ius nimirum Abbatis Cistercij in Coloniam subiectam, ita coercendum moderatione Pontificia curauit, vt ab impediendę strictioris consuetudinis excideret facultate. Interpellationem ad Dei vices in terris agentem extrema operis dabit pars, vbi approbationem flagrantis Obseruantię, & interdictionem Superioribus Ordinis ne remittere cogerent, pręibit libellus supplex, primò quidem oblatus Gregorio XIII. eoque interea ad meliores rapto, successori Sixto quinto, à quo ipsa approbationis Bulla emanauit.

Itaque in conferto virtutum Theatro, vbi dotes serui Dei Ioannis cum multę sint, singulę etiam de principatu decertant, suspiciendus primo loco occurrit zeli ardor in expolienda disciplina commendati Cęnobij perferuidus. Ampliori pręterea non ducebatur concilio, sed cum celebritate excrescente plurimo Asseclarum numero, nimium quam ęmulo desiderio propositi Colonię deprecarentur, ceù citra,

ceù vltrà Alpes. Cætera cum exhibere inuitamenta non vacet, attexendæ profectò epistolæ à Regia Galliarum Aula secessus cultori nihil minus cogitanti delatæ.

Henricus III. Rex, & Regina Mater Catharina Medicea Tolosa euocarunt ad Aulam. Epistolæ ex Gallico Latinæ inquiunt.

Domino Abbati Fuliensi.

Domine Abbas. Optimi tui exempli rumor apud meas etiam aures inualuit, desideriumque fouet ingens te habendi penes me ad spatia saltem menstrua duo. Quare approperes vbi fuerim rogo ad Calendas sextiles. Aduentus erit è re tua, mihi verò omnia supra vota gratiosissimus. Venias ergo oro, & obsecro sensibus adeò intimis, vt præsentes mea scripserim manu. Profectionem optimè vertet Deus, hanc mihi facio fidem, ea potissimùm, quam agito mente, & Rex tuus æternùm tibi debebit. Intereà è Cælo incolumen te volo. Parisijs 20. Maij 1583.

Henricus.

Domino Abbati Fuliensi.

Domine Abbas. Etiam apud Regem filium meum plurima tua virtutis, prudentiaque increbuit fama. Quanto feratur desiderio ad Aulam venias, data commonstrat Epistola. Vbi verò præsentes hasce meas acceperis, via incunctanter te dones, & ipsa precor, futurus vtrique acceptior. Opportuna commeatui, vti iussimus, prabebit Protopræses Tolosæ, & Deum quæso te sospitem cælesti suo patrocinio seruet. Lutetiæ 20. Maij 1583.

Catharina. *Dell'Aubespine.*

Profectum Lutetias duobus mensibus Rex detinuit secum, dimisitque ad satagendas Abbatiæ solicitudines. Sed cum pari flagrarent desiderio, Ioannes quidem incolendi Eremum, Henricus verò alloquio proficiendi, ac frequentia Ioannis, quadriennio post abrumpenda Rex censuit absentiæ impedimenta compositis literis, quæ & expectationem disertè annuerent, & Cætus in Principe Regni Vrbe constabiliendi animum sponderent amplissimum. Tolosano prçtereà

signi-

ſignificauit Præſidi aduentum vrgeret, & aduenturum commeatu munificè inſtrueret. Tenor epiſtolarum eſt.

Domino Abbati Fulienſi.

Domine Abbas, Hac tandem ratione meis votis facies ſatis, Deumque cernam à te, & tua teſſera hominibus exacto magnificatum obſequio in Abbatia, in qua ipſos collocauero ad ſexaginta. Age ne vel vno minor ſit numerus, ſi quod mihi debes obſequium, ſi cordi eſt tuum quantocitius efflorеſcere Catum, cuius ſanè incrementis præſentiſsimam, & tempeſtiuam operam debes, ad amplificandam maximè Dei Optimi gloriam. Ea propter teque, Alumnoſque tuos Pariſijs omninò reddes, ſaltem ad Decimo Calendarum Martij. Pleno dilectionis ſinu aduenias expoſco. Idipſum mandat Abbas Ciſtercij, cuius epiſtolam mitto. Te indubitanter expecto. Valeas in Domino.
infra adiecit. *Venito rem mihi facturus gratiſsimam.*

Henricus.

Protopæſidi autem Toloſano ſcripſit.

Religionis te zelo inardeſcere compertum mihi, vltroque complecti, quæ diuini reſpiciunt incrementa honoris, & gloriæ. Hæc ideò ſcribo volens in pia mea ſtudia incumbas. Ità debes. Ità te acturum confido. Facies autem, ſi bonum illum Abbatem Fulienſem cures ad me venire, vnàque deſideratum ex eius diſciplina Aſcetarum numerum, cui Abbatiam Lutetiæ condam, & feruenti diuino obſequio, deuota prece, ſanctaque conuerſatione mea vota iuuent, eorumque apud Deum interuentione complere valeam opere, quæ pro Deo Sancta concepi deſideria. Tempus condixi, quo Pariſijs ſint, iterumque precor, & mando manum illis porrigas adiutricem, id quod à te expecto, & Deus te ſeruet. Domine Præſes.

Henricus.

In Regios caracteres beneuolentiæ, & exiſtimationis ſtylo exaratos cum Barrerius conceſſiſſet, cum ſua, tum præcipuorum ex Alumnis nauitate hac, illacque inceptum propoſiti dilatare propagines. Et primò

primò ad Henrici vota extensæ Lutetias, deindè per Gallias quidem immissæ Coloniæ, Tolosam, Burdigalam; per Italiam verò Romam, Sermonetam, ad Montem-Soractem, in Subalpinis Taurinum, Pinarolium, Montem-Regalem. Destinatæ & aliæ, quæ postmodum reuocatæ, Siracusam in Sicilia, Lucam in Tuscia, Ameriam in Vmbria ad oppida S. Cassiani Montis Asperi. Ad hæc Monialibus eiusdem professionis aptatum pro tempore primum Gynæceum apud Montem Squion in Voluestre, vndè nobilioribus donatæ septis, breui euasere Tolosam. Asceterium Fuliense huiuscemodi emissione palmitum in caput assurrexit noui sodalitij ab incunabulorum cognomento B. Marię Fuliensis appellandi. Barrerius, vti fœcundiora, ita feruentiora perrexit gestare pectora, vorare itinerum incommoda, curarumque labores, ne alicubi deferuesceret hausta ab eo nitidioris obseruantię flamma.

Verum ceù in collapsę disciplinę Claustro arctiores excolere vitę monasticę rationes, ceù recentem, & absolutissimę notę monasticum condere Cętum, propagare, dirigere modici haberet pensi, solemne erat exęstuanti in sinu informandarum flammę animarum erumpere, & ad procurandam proximorum salutem totam peragrare Aquitaniam. In ferijs Aduentus Dominici, & magni ieiunij implebat Ciuitatum suggesta, cęteris per annum diebus festis dicebat ad Diœcesum frequentias. Siuè autem ad nobiliora, sinè ad popularia declamaret subsellia, dominabatur inter mortalium affluxus idea dictionis, quam depositę peccatorum sarcinę attollebant aptam planè incutiendo diuinę districtionis terrori, flectendisque ad resipiscentiam sontibus omninò accommodatam. Concio ab Apostolicę vi facundię robusta, sanctaque ab animi ardore inualescebat vehementiùs, cudebat quippè Orator in pectore diuino amore saucio non effundendum ad verborum pompam, famamque captandam vulgi sermonem, sed intorquendum, veluti fulmen ad terrorem, & gliscentium arietationem vitiorum. Nec ideò diserta minus oratio. Enim verò pabulum daturus excitato igni, passim bis in die perorabat, & tertiò, cumque facturus iterum verba ab vna ad aliam properaret Ecclesiam, ceù extra Vrbes ab oppido ad viciniora pergeret oppida, tota illum consequebatur celebritas, ac mirabatur habere semper in promptu, quod noui Auditoribus propinaret. Nunquam contigit sermocinari, accursu

cursu non ęquante Templorum amplitudinem, imò occupatis fenestris, sacellorumque cancellis per ipsam,quę ad Templi fores pateret, aream non effusa. Nec frequentiam implebant è plebe homines, sed prima nobilitatis, ingenijque capita. Planè vteminent celebrium Academiarum plausus, tum Vniuersitatis Tolosanę splendidissimus erat, cuius illa vox: *conueniamus ad auscultandum Sanctum Vasconiæ Abbatem*, nimirùm, Barrerio obaudito, lectissimus ille flos iuuentutis commouebatur acriùs ad proterendam Sęculi vanitatem, & plurimi post aures auditioni pręhitas, disciplinę se mancipes deuouebant.

Par famę vox detonanti apud Moretum. Nauarrę Regina Mater, & Regina Sponsa eò loci pertranseuntes non discedendum censuere ante delibatam auribus sacrę vim eloquentię ad intimos vsque animę recessus pertingentis. Conuenere ideò ad Minores de Obseruantia; quos penes conuersabatur, & post celebratum sacrum verba facientem è Superiore loco Auscultantes visę inardescere à dictione. Rex ipse Nauarrę Henricus inuisere, & alloqui voluit. Carolus Borbonius Sanctę Romanę Ecclesię Cardinalis toto quadragesimali spatio celebritatem concionis sua adauxit Principe Purpura, disertoque ardore, & vitę sanctimonia captus, nullum deinceps officij genus in illo cohonestando non collocauit, quemadmodum annuit litera ex vernaculo idiomate Latinè exposita.

Epistola reddıtor missionis causam significabit vberiùs. Audies credo cum voluptate. Certè stat animus opportunitati occurrere, nec vllas prætermittere partes hominis addictissimi erga te, plurima mihi existimatione, & amore inter beneuolentiæ tuæ, orationumque participes me quæso recenseas, simulque teneas res tuas. Commendaturum te nemini, qui animo supra meum studiosiori tua promoturus sit commoda, eodem nimirum quo precibus cum Deo agam meliora tua vota secundet. Parisijs 30. Iunij 1584.

Amicus ex corde
Carolus Cardinalis Borbonius.

Habebat & ex Religionis, ac doctrinę instituta apud Fulium schola eiusdem suę diuino quodam spiritu animatę facundia imbutos. plurimos, qui dimissi ad promouendos virtutis prouentus, incitatiore eloquentia gladium Verbi Dei in culparum iugulum vibrabant intentiùs.

tiùs. Extitisse non paucos commonstrat responsio ad Henricum petentem ingrederetur iter, & cum sexaginta ex ipsis sisteret se Parisijs pro 20. Februarij. Deprecaturus scilicet proficiscendi moram rescripsit. *Ineunte Februario accepi Epistolas Maiestatis vestræ, & Abbatis Cistercij per expressè amandatum à Domino Protopræside in vestro Tolosano Senatu mihi delatas. Nec Regia fefellissem mandata, quinimò obedientiæ ergo, studijque in piam vestram mentem profectionem continuò adornassem, nisi sexaginta socij vnà aduenturi Quadragesimali hoc tempore desudarent animarum quæstui in locis à Monasterio dissitis, quæ sanè loca feriabunt, si illos euocauero, ab auditione Verbi Dei, alijs sacris declamatoribus aliò adlaborantibus. Post Paschæ solemnia, Deo volente, Maiestatem vestram certò adibo cum sodalium delectu, debitumque obsequium operis præbitione conprobabo. Intereà Rex eum toto Fuliensium Cœtu intercedere apud Deum Omnipotentem curabo pro Maiestatis vestræ sospitate, Tuique felicitate Regni. Tertio Calend. Martij 1587.*

Humilimus, ac obsequentissimus
Seruus, Subditus, & Orator
F. Ioannes Abbas Fuliensis.

A studijs inter Congregationis incrementa, proximorumque salutem partitis, gradum nunc faceret sermo ad vota conuersationis ab hominum consortio planè sequestris, nisi gressum consistere virtutum Princeps iuberet charitas. Ab eius flamma de arctioris solitudinis vehementiori desiderio triumphatum in Barrerio præclarè. Postquam trium annorum spatio disciplinę erectioni accuratè apud Fulium insudasset, habuit cogitationem, imò penè decretum abeundi ex Abbate Cęnobitico in Anachoretam. Agitanti consilium ponderis erat ludere cum Monachis operam. Exemplo, adhortamentis, legum vi, ad expolitiorem non assurgere indolem, prolabi magis in insidias, calumniasue. Nec degere in contubernio vitę securum, nec dicere ius regulare cum subditorum fructu. Erat & incitamento Diuum Benedictum cum deprauatione Ascetarum contentionis fallentem, abdicasse & ipsum Infulam, ac se recepisse ad tranquilliorem solitudinis sinum. Iam cogitauerat remotam à Gallię Cœlo eremum aptam vacaturo duntaxat orationi, ac contemplationi. Cum in suę ador-

nandę

naudę ſparę propoſito confirmauit hauſta à Diui Bernardi vigilijs ſanior ſententia. Conſtabiliuit & immutatam mentem aperuiſſe Reginaldo Doſſato. Nempe ſummatè à Viro, ob doctrinę, virtutumque pręſtantiam honore Vaticani Senatus pòſtea adaucto reſponſionem accepit cum Latina verſione ſummè tantùm hic delibandam: *Poſtridie Iduum Aprilis,* primo hæc Doſſati verba, *nec antea habui literas tuas 8. Martij datas, & habui apud Aureliacum, vbi in commendata ſibi Abbatia placuit Fuxienſi Domino Paſchales tranſigere dies. Multo ſunt officio referta, multis inſignes exiſtimationis notis, ſed quod magis me capit, eſt legiſſe, te incipere quodammodo reconciliare hominibus, nec eos ita odiſſe, vt cum valeas ad meliorem reuocare frugem, malis ab omnium te ſocietate ſubducere. Nomen ideò Diui Bernardi nunquam mihi non ſacrum, ſanctumque, ſolemnioris in poſterum erit venerationis loco,ex quo ſuis te ſcriptis edocuit, velle potiùs benemereri de mortalibus,quàm eorumdem compendia infra ſolitudinis amorem locare. Itaque,* longè poſt ſubdit, *colendæ ſocietati cùm nemo non teneatur mortalium, ipſi nuntium mittere tibi piaculum ſit. Sacris es initiatus ordinibus,Monachi nuncupaſti vota,Abbatiali emines dignitate. Nuda nequaquam hæc nomina putes. Munerum caracteres ſunt, & appellationes curarum. Eaſdem obire curas ſacro te iure iurando obſtrinxiſti. Defungi autem non vales, niſi inter homines agas. Si antra cogites, ſi petas, hominum iam non viſurus quempiam, nominibus deficies tuis, Sacramenti præuaricator eris. Te præterea ſui Verbi præconem Deus voluit eximium. Fertur per omnium ora te declamare cum ingenti animarum quæſtu, & auſcultantium laude iuxta ac admiratione.* Eaprópter *linguæ miniſterio deſignatum illud Apoſtoli tangit: Veh mihi ſi non euangelizem. Latam etiam noſti ſententiam in talenti fructus negligentem: Inutilem ſeruum eÿcite in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium.* Vbi autem proximè claudit epiſtolam, inquit: *Amas ſolitudinem? habes profectò, mihi planè ſolitarius videris. Sentio namque tua nota virum, qui poſtquam aliquot horas pijs commentationibus dedit, tenuitque cellulam ſolus, in Eccleſiam deſcendit, vbi illum auditorum frequentia cunctatur, perorat, interturbante nemine, ad clepſydram, conclaue exinderepetit,quieſcit aliquantulum, ſobriam refectionem ſumit; mox ſtudijs aſsidet iterum, is planè, præterquam quod &*

tiùs. Extitiſſe non paucos commonſtrat reſponſio ad Henricum petentem ingrederetur iter,& cum ſexaginta ex ipſis ſiſteret ſe Pariſijs pro 20. Februarij. Deprecaturus ſcilicet proficiſcendi moram reſcripſit. *Ineunte Februario accepi Epiſtolas Maieſtatis veſtræ, & Abbatis Ciſtercij per expreſſè amandatum à Domino Protopræſide in veſtro Toloſano Senatu mihi delatas. Nec Regia feſelliſſem mandata, quinimò obedientiæ ergo, ſtudijque in piam veſtram mentem profectionem continuò adornaſſem, niſi ſexaginta ſocij vnà aduenturi Quadrageſimali hoc tempore deſudarent animarum quæſtui in locis à Monaſterio diſsitis, quæ ſanè loca feriabunt, ſi illos euocauero, ab auditione Verbi Dei, alijs ſacris declamatoribus aliò adlaborantibus. Poſt Paſchæ ſolemnia, Deo volente, Maieſtatem veſtram certò adibo cum ſodalium delectu, debitumque obſequium operis præbitione conprobabo. Intereà Rex eum toto Fulienſium Cœtu intercedere apud Deum Omnipotentem curabo pro Maieſtatis veſtræ ſoſpitate, Tuique felicitate Regni. Tertio Calend. Martij 1587.*

Humilimus, ac obſequentiſsimus
Seruus, Subditus, & Orator
F. Ioannes Abbas Fulienſis.

A ſtudijs inter Congregationis incrementa, proximorumque ſalutem partitis, gradum nunc faceret ſermo ad vota conuerſationis ab hominum conſortio planè ſequeſtris, niſi greſſum conſiſtere virtutum Princeps iuberet charitas. Ab eius flamma de arctioris ſolitudinis vehementiori deſiderio triumphatum in Barrerio præclarè. Poſtquam trium annorum ſpatio diſciplinę erectioni accuratè apud Fulium inſudaſſet, habuit cogitationem, imò penè decretum abeundi ex Abbate Cęnobitico in Anachoretam. Agitanti conſilium ponderis erat ludere cum Monachis operam. Exemplo, adhortamentis, legum vi, ad expolitiorem non aſſurgere indolem, prolabi magis in inſidias, calumniaſue: Nec degere in contubernio vitę ſecurum, nec dicere ius regulare cum ſubditorum fructu. Erat & incitamento Diuum Benedictum cum deprauatione Aſcetarum contentionis fallentem, abdicaſſe & ipſum Infulam, ac ſe recepiſſe ad tranquilliorem ſolitudinis ſinum. Iam cogitauerat remotam à Gallię Cœlo eremum aptam vacaturo duntaxat orationi,ac contemplationi. Cum in ſuę adornandę

nandę spartę proposito confirmauit hausta à Diui Bernardi vigilijs sanior sententia. Constabiliuit & immutatam mentem aperuisse Reginaldo Dossato. Nempe summatè à Viro, ob doctrinę, virtutumque prętantiam honore Vaticani Senatus postea adaucto responsionem accepit cum Latina versione summè tantùm hic delibandam: *Postridie Iduum Aprilis,* primo hæc Dossati verba, *nec antea habui literas tuas 8. Martij datas, & habui apud Aureliacum, vbi in commendata sibi Abbatia placuit Fuxiensi Domino Paschales transigere dies. Multo sunt officio referta, multis insignes existimationis notis, sed quod magis me capit, est legisse, te incipere quodammodo reconciliare hominibus, nec eos ita odisse, vt cum valeas ad meliorem reuocare frugem, malis ab omnium te societate subducere. Nomen ideò Diui Bernardi nunquam mihi non sacrum, sanctumque, solemnioris in posterum erit venerationis loco, ex quo suis te scriptis edocuit, velle potiùs benemereri de mortalibus, quàm eorumdem compendia infra solitudinis amorem locare. Itaque,* longè post subdit, *colendæ societati cum nemo non teneatur mortalium, ipsi nuntium mittere tibi piaculum sit. Sacris es initiatus ordinibus, Monachi nuncupasti vota, Abbatiali emines dignitate. Nuda nequaquam hac nomina putes. Munerum caracteres sunt, & appellationes curarum. Easdem obire curas sacro te iure iurando obstrinxisti. Defungi autem non vales, nisi inter homines agas. Si antra cogites, si petas, hominum iam non visurus quempiam, nominibus deficies tuis, Sacramenti præuaricator eris. Te præterea sui Verbi præconem Deus voluit eximium. Fertur per omnium ora te declamare cum ingenti animarum quæstu, & auscultantium laude iuxta ac admiratione. Eapropter linguæ ministerio designatum illud Apostoli tangit: Veh mihi si non euangelizem. Latam etiam nosti sententiam in talenti fructus negligentem: Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium.* Vbi autem proximè claudit epistolam, inquit: *Amas solitudinem? habes profectò, mihi planè solitarius videris. Sentio namque tua nota virum, qui postquam aliquot horas pijs commentationibus dedit, tenuitque cellulam solus, in Ecclesiam descendit, vbi illum auditorum frequentia cunctatur, perorat, interturbante nemine, ad clepsydram, conclaue exindere petit, quiescit aliquantulùm, sobriam refectionem sumit, mox studijs assidet iterum, is planè, præterquam quod & sibi,*

sibi, & proximis impendit quod debet, satis superque solitudinem colit. Porrò hæc fuit tua ratio vitæ in Aduentu, & Quadragesima dudum elapsis.

Neque is erat Venerabilis Ioannes, qui iuuandis duntaxat in spiritu mortalibus desudaret, quando dilectionis aliam haberet scatebram, pergeretque ad externa eorumdem commoda consimili prorsus studio procuranda. Experiebantur domestici amantissimum Antistitem producere curandis ęgrotis teneriora vbera matris. Agere penè valetudinarium, & emensis diei ministerijs, transigere noctem ad pedes grauiùs decumbentis, obdormiendo supra stragulum in solo explicatum, & capite reclinato ad extremam lectuli oram. Experiebantur exteri à Fuliensis Cœnobij temperanda suscepta re, simul erigendæ domi disciplinæ, simul subleuandæ foris inopiæ vacare. Intimè siquidem afficiebatur extremis pauperum ea tempestate miserijs. Sentiebat & cor vulnerari à nuncupatione Cœnobij, acsi illum appellari à Domina nostra de Charitate pectora pulsarit monendo, haud sineret refrigescere charitatem in Charitatis cubili, cuius æquando nomini largiori vellet manu consultum. Patere ideò iussit pietatis ostia, & grassanti occurrere inopiæ. Id quod vbi vulgò manauit, visi illuc pauperes conuenire turmatim ab Vrbe Tolosa, à Fulij oppido, totaque circumiacente regione. Affluxus censebatur octingentorum quotidie pauperum, & in hyemali ab agri laboribus feriatione supra millenos. Præter hanc elargitionem ad ianuam erat domi frequentissima hospitum, & peregrinorum collectio. Quædam verò copiosam adeò, continuamque erogationem hanc honestabant, nequaquam hic reticenda. Argenteorum sesquimille tota erant domus eo temporis opulentia. Nihil æris alieni contractum, nihil eleemosinarum allatum viro Dei, refecta Templi molitio, restaurata Monasterij septa, & census præterea adeò tenuis ad tantam egenorum alendam vim sufficiebat abundè. At cuipiam citrà admirationem sit charitati redundare horrea, seu annonam excrescere inter hospitales manus. Hospitalitatis rationem nemo profectò non suspiciat. Sustinebat Barrerius ieiunia vsque ad primas faces, siue ad alteram noctis horam, quando discumberet ad peregrinorum mensam. Ex ferculis copiosè paratis cum degustaret nihil, cœnabat solo acetario crudo, & aquæ potu. Recumbentibus coram comedebat genibus flexis, veluti diuinam quan-

quandam maiestatem pauper conuiua præ se ferret, & præferre profectò agnoscebat, colebatque. Nisi autem excepti in domo Aduenæ dilaberentur sponte, à nemine dimissi, commorabantur ad duos, ad quinque, ad sex plus menses. Erat & designatus excubitor, qui summa etiam nocte adeuntes exciperet perquam promptè, Abbatem, totamque familiam à somno excitam euocaret ad obsequia, ac curaret forent in promptu obsonia scitè condita, ignis, cubile, & cubitum antequam irent, solemnis lotio pedum cum psalmodia, & reliqua de more prece.

Charitatis flammæ par laus constantiæ. Nunquam enim in excitando Dei obsequio, nunquam in promouendis proximorum commodis audet quis magna sine robore animi ad excipienda aduersa parati. Vitæ Claustrali in crastinum se deuincturus grauiùs quàm anteà comitiali iacuit ex morbo, magnis viris frequenti, regio ideò, altoque malo appellato. Nec cadendo, ab ardore excidit concepta dicendi vota. Surrexit imò paratior, & veluti proiectus in terram, hostem prostrasset suum, Epilepsiam ex tunc excussit, nec laborauit vltra infirmitate, sensus anteà, totumque hominem passim capiente. Corporis quoque voluntaria afflictatio affixit non semel strato mox conclamandum. Nec propterea confirmatus à languoribus agebat minus asperè secum. Fortis pectore humanæ fragilitatis inter incommoda. At generosior animus externis obsessus cladibus. Ab Hæreticis comminata illi semper extrema. A Monachis praui ingenij intentatæ illi continuò insidiæ. Cum suorum pateretur odia Ascetarum, Abbatem etiam Cistercij aduersarium sustinuit. Propinandum venenum semel, ac secundò euasit. Bis quoque sicariorum ferrum vix declinauit. Nihil propiùs fuit, quàm raptum Tolosam damnari capite. Destinatum ad necem carceris ruina seruauit, quæ trabis pondere vulneratum enormiter, ne abduceretur ad mortem, propè mortuum strauit. Cominus vidit familiæ internecionem, Cœnobij ruinam, rapinamque bonorum; hinc potentis ira Equitis, amandante ad necem milite, hinc conuolantibus ad direptionem Fuxianis, & Insulanis, hinc martialibus ipsis tormentis ad Claustri euersionem iam emissis. Non erant hæc aduersa, quæ Barrerij constantiam libarent. Non trepidare vnquam visus, non consternari. Occurrere potiùs calamitati precum subsidio, haurire ab ærumna vigo-

rem, & probatam tentatione operam strenuè sperare felicem.

Cæterarum ducit chorum virtutum vitæ rigor, quo refractariæ carnis contumacia mulctata, spiritui ad cœlestia enitenti regiam muniuit viam. Sæuiebat in compescendum corpus contexto horridè cilicio, & manu ad verberationes frequenti, veluti fustuario cum mancipio res foret. Apostolicorum Orbem laborum, lustrationem censoriam familiarum Cistercij in dependentia Tolosana, longa quoq; viarum spatia Tolosa Lutetias, Romam, Neapolim in Apulia, aliaque itinera, nudis ementiebatur vestigijs, victitans intereà pane tenus & aqua. Cardinalis Dossati epistola superiore faciente fidem diù abrupit ieiunia quotidiana solis arborum folijs. Acetabulo etiam ex rosis aliquandiù vixit, nec cibi adeò tenuis sumptio, nisi post solis occubitum. Familiaris item parcitas somni, vsusque horarum diei, ac noctis in orando, laborando, elucubrando. Quanta verò asperitate incunabula Reformationis postmodum imbuerit vix concipi potest. Illam concelebrabat ætas, nostrates non Fulienses, vt in præsentiarum, sed Monachos appellans S. Bernardi de pœnitentia. Luculento illius nitore Ecclesiastes Catholici arguebant ad hominem Hæreticorum perfidiam fabulæ dantem eremicolas Ægipti, & Nitriæ humanam supra fidem austeros. Amandabant quippe illos ad Fulienses, monebantque: Conspicite moderna illa tolerantiæ prodigia, & proprijs excipientes obtutibus quid hac tempestate, seu perditis quid his temporibus agatur, in Græcos, Latinosue scriptores concedite, ac eximias suspicitote virtutes florentis Ecclesiæ felicia illa secula decorantes. Commendant & illam egregiè Constitutiones Pontificiæ continuatæ à Greg. IX. ad Sixtum quintum, vbi inquiunt. *Nouissimè totius Galliæ applausu, Regisque Christianissimi voluptate Lutetiæ visus est Abbas Cœnobij cuiusdam in agro Tectosagiensi stupendæ austeritatis, qui concisis mundi oblectamentis Regulam Ordinis Cistercienfis purioris, & sanctioris prolis fœtu superædificauit. Non humanarum esse virium existimo tam seuerum, & arduum vitæ institutum, quod faciliùs probamus, quàm incitamur insequi. Quid enim corporis habitui, & compagini grauius, quàm aperto capite, pedibus nudis incedere, hirsuta toga indui, & quod longè dificilimum est, à vino, à carnibus, ab ouis, à lacticinijs, à piscibus abstinere, solis oleribus, & leguminibus, nullo sale, nullo oleo, & butyro conditis victitare. Dicas* pro-

profectò hos Beatos viros nihil cuiquam cedere in rigidissima hac vita consuetudine priscis illis Ægipti Anachoretis.

Exemplis illam arctioris institutionis Anonymus etiam inserit modernus scriptor, deducitq; in arenam ad nouissima hæc tempora cum sanctiore Priscorum Ascetarum æuo comparanda. Ita titulo x91. dissertationis Gallica lingua emanatæ Parisijs 1661. de emina vini, ac libra panis à Cœnobitarum Legislatore Benedicto Monachis constituta. *Quot Ordines Regulares, quot familia virorum iuxtà ac fœminarum nostris etiam modò conspectibus obuersantur, qua maceratione carnis duriùs secum agunt, quàm ad frangendam sensuum prauitatem in sua Regula Diuus Benedictus præscribat? Percurrat oculus Menologium Cistercij à Chrysostomo Henriquez concinnatum sub die 28. Aprilis, vbi de sartatecta Fuliensi superioris prope aui periodum instituta. Multa illic supra veterum pœnitentiam Patrum. Cætui illi sanctorum ne dum sufficiebat vini mensura à S. Benedicto taxata, sed nec vinum quidem gustabat. Ab epulis non proscripta duntaxat carnes, sed ablegata simul oua, pisces, lacticinia, sal, oleumque. Ieiunantium refectio erat in hyeme tertia, æstiuo autem tempore quarta post meridiem hora. Vespere nihil accipiebant, nec quidem aqua guttam. Maior adhuc Antistitis abstinentia. Cunctabatur diei periodum, hospitumque turbam quibuscum sumere Abbates cibum vult Regula. Complectebatur vel eorumdem infimos, & eos maximè, in quibus nimirum obseruaret Christum, obsequereturque deuotiùs. Porrò hospites ipsos cum haberet liberaliter, cana cum ipsius, tum Monachorum vnà secum commensalium laudatam intra sobrietatem stabat. En Lector fructus delibatos ex feruore ætatis dudum transacta. Nec tamen cæteras asperitates denarro, quales erant nudi semper gressus, domi nunquam operire caput, breuis nocte quies, duroque capta in solo, vestis ex rudi panno, sine prorsus indusio neque ex morbidiori lana.*

Et aptissima quidem animo ad siderea subleuando durior erat hæc carnis acceptio, tamen modum poscebat afflictationi imponendum, ne grauiori sub pondere seueritatis mortalium vires fatiscerent. Remittendum ideò aliquantisper suadebant plurimi, quos inter Cardinalis Carafa pro suis in Congregationem studijs scribebat. *Quod pertinet ad cultum corporis magnoperè hortor, suadeoque, vt domi itidem atque foris tegumenta capiti, pedibusque ligneos socculos adhibeatis,*

beatis, eo videlicet consilio, vt ab hoc Romani Cœli rigore defendere vos diutius possitis, quo nomine humi etiam cubitum super nudo assere non equidem probo, probarem sanè, si stratam insuper paleam Capucinorum more adhiberetis, quod ni fiat magnoperè verendum est, ne cæteris contingat, quod duobus prioribus Decanis magno omnium nostrum mærore contigisse iam vidimus, quando alter post alterum immatura morte suis, nobisque prærepti sunt. Verendum est inquam ne vester in Dei famulatu conatus non sit diuturnior, & per consequens fructus in proximorum salute, verbo, & exemplo per vos procuranda tenuior, quàm horum temporum conditionem flagitare videatur. Postremò illud quoque inciuile videri possit, quod humi assideatis, dum cibum sumitis. Morem à nullis hucusque Religiosis viris improbatum insequendum ducerem, accumbendi videlicet ad mensam, non quidem extentam, latisque mantilibus paratam, sed mapulis quibusdam ad os, manusque tergendas adhibitis, quemadmodum Patres Capucini adhibere consueuerunt. Hæc porrò ea sunt de quibus P. T. pro mea in vos charitate admonitam volui, putans fore, vt quemadmodum boni consulat, & animum aduertat, vt quando ineunte vere Romam cogitat, quod summoperè commendo, in re præsenti, quod optimum factu visum fuerit pro Congregatione sua constabilienda, & propaganda, proque vestra Monastica disciplina forma dirigenda constituat. Valeat interim in Domino, & me suo Ordini deuotum suis apud Deum Opt. Max. precibus, & sacrificijs adiuuet. Romæ pridie Cal. Nouemb. 588. P. T. vti Frater in Domino amantissimus.

A. Cardinalis Carafa.

Quas verò pænalitates mitiores consulebant alij, mitigatas Pontificio sancito voluit Clemens VIII. & prouidentissimè quidem: Nam Auctori vitæ D. Eustachij Asseline cap. XI. pag. 95. quò me referam: *Deo inspirante Sanctitas sua huiuscemodi capit consilium Reformationi conseruandæ perquam opportunum. Vt enim à primis Patribus, quorum nonnulli adhuc in viuis agunt, passim audiuimus, Congregationem totam è medio iam sustulisset mors, nisi Apostolica Sedes mitiorem vitæ rationem imperasset.* Hæc sodalitio. Nam Barrerius suo præ feruore leuem habebat enormem alijs obseruantiam.

Quare,

Quare, ipso annuente Papa, initialis vim tolerantiæ ad vitæ vsque articulum fortiter exantlauit semper abstemius, nunquam vsus pro cubili sacco palea farto, aut capitali; nunquam exhilarando conuiuio, adhibitis saltem vigiliæ ferculis, siue oleo, butyroque, sed herbis solummodo pura lixatis aqua.

Magnam porrò lucem, maiestatemq; denarratis faciebat studijs contentionum sanctiorum excellum decus humilitas. Exteriores eius gradus attigit sermo, dum accuratè descripturus gesta illum incedentem exhibuit declinatis semper in terram oculis, aspera, & breui amictum tunica, sine capitis tegumento, gressibus omninò discalceatis, consuctas etiam pœnitentibus epulas panem, & aquam, pœnitentium item de more sumentem, sedendo humi cum inter Sodales cęnaret, positis autem in solo genibus, cum discumberet ad hospitum mensam. Nobiliora momenta raptim hic perstringenda.

Institutæ Congregationis peripsema, non caput se se passim aiebat. Ærumnas, calumnias, insidias non vitio dabat mortalium, aut dæmonis iræ in exosos inferno labores, sed incuriæ tribuebat suæ in diuina mente pro virili adimplenda. Monasticam asserere obseruantiam vbi iacebat, hominis longè pręstantioris esse prouinciam. Informatione egentem virum ad suę ruborem ineptię in aliorum Institutorem assumptum. Quales ex corde humiles sensus, adolescente postmodum Cœtu, & Colonijs iam dilatato luculentiùs adhuc confirmauit. Ad capitis dignitatem collimabat Monachus non vltimę notę. Ioannem in Apuliam sequutus, ad regiminis abdicationem inducere aggreditur. Composito alloquio recenset coram digni Antistitis caractères. Inesse illi aptiores negat apertè, ingenium maximè Reipublicæ idoneum moderandę. Incrementa ideò Congregationis lentè procedere dolet. Vnum attollit seipsum naturę adiumentis, ac indole negotiorum capaci in paucis instructum. Suam interponat sententiam. Habeat satis audire Congregationis Auctor, velit etiam Congregationis amplitudinem, stabilitatem, seu pateretur superiorem sibi contingere locum, viro nempe de Cœtu multis benemerito sedem denique occupaturo cum amplioris spe vtilitatis. Qui de se ipso demissè, de alijs sentiebat pręclarè Ioannes ambitionis peroratorem cum laude modestię affatim celebrandę excepit. Annuit noscere se Monasticis ducendis habenis planè imparem. Stare cordi

abire

abire à munere, cedere dignitatem digniori, cedere ipsi. Adiecit nequaquam putaret stare dimissionem intrà verba; sed successionis ad munus haberet omen ipsam traditionem sigilli. En Lector Exabbatem Barterium, Abbatem Alumnum, à Barterij indole, quin potiùs à suorum assequutione votorum longè aberrantem. Nimirum humilium euector, coronatorque Deus despexit supra se cogitantem virum, & deiecit. Designat ille è vestigio rerum agendarum Assessorem alterum, alterum à conscribendis epistolis. Romam cogitat. In via commodiori posthabet itineri strictioris specimen consuetudinis, equo vehitur, ieiunia violat, vino iucundatur. Adeò raro crimine vacant alio ambitiosi, & animo elati contra leges ferè semper insurgunt. Sed Neapolim vix peruenit, cum viscera calescere sensit diro igne. Ardet lethaliter, nec à potionibus arte conditis, nec à linteis frigida madidis quidpiam haurit roris. Pergit ad cineres flamma inardescens nullo extinguenda Medicorum præsidio. Qua animaduersione cum iuxta commendatam voluerit Deus alienationem ab Infula in Antistite, ac mulctatam in discipulo vesanam honoris cupidinem, à laudanda Barterij humilitate temperatum ibi narratio, eundem ex Apulia consociatura Romam, vbi, probris inustus, præstantiorum virtutum specimen præbuit omnem supra laudis celebrationem egregium.

Nouerat criminatores. Nouerat agi alios ambitionis æstu, artibus alios Edmundi à Cruce Cistercienſium Archimandritæ, ea propter Romæ commorantis, quò, Reformatore vitij postulato, Reformationem sobolescentem euerteret. Nunquam tamen accepit asperè ex ipsis quempiam, vel dissipandis vacauit molitionibus improbis. Accidit conspirationis Auctorem totam dedisse diem inumbrando eius nomini apud Summum Pontificem, & Vaticani Senatus Patres. Pluuia ipsa eadem erat dies, redijtque vespere domum madidus imbre, & luto fœdatus. Egit vt moris est. Ingressus Monasterium adijt illico Abbatem petiturus benedici. Qui insectatorem suum humaniter amplexatus, vt vidit aqua diffluentem, statim etiam Vestispico aduocato, mutatoriam adferat, mandat. Illo autem respondente non haberi in vestiario, propriam festinanter exutus tunicam eidem imposuit, indueretque coegit. Extulit insuper dilaudandæ in offensorem humanitatis nobile vestigium præclariori momento. Quòd enim breuioris

uioris ille foret staturæ, forbice arrepto effluentes in terram decurtauit lacinias, æquauitque indumentum gestanti. Interea à viro grauissimo accepit Monachos interpellare quotidie Augustum Sacræ Congregationis consessum. Nec leuia præterea de eo crimina auribus insusurrare Pontificis. A Sanctitate Sua rigorosè admodùm in illum statutum iri. Lædi opinionem, velis, remisque fugeret. Se ideo restitueret Lutetijs quantocitius. Inscio quoque Vrbe egressurus suo vteretur curru: Futurum breui emergeret veritas, & cum Henrici Regis opera, tum suis officijs Papalis deferuesceret indignatio. Cui Barrerius: Absit, inquit, hac de causa me ab Vrbe subducam, qui si in Gallijs agerem, ad Sanctitatis Suæ vestigia inuolarem extemplò, eiusque me districtioni subijcerem.

Postera die vocatus in iudicium ante cognitorem causæ à Pontifice designatum, audijt ementitus enormiter sanctè inceptis, & cumulasse libidini crapulam, crapulæ, & libidini hæresim, ne parentis in Monastica institutione præclarum nomen vno commacularet dedecore. At quomodò ab assequutæ virtutis apice excidisse dicendus turpi adeò lapsu? In Vrbem venit, vidit in Romana pube Congregationi adiuncta Reformationis segetem in Italia excrescentem. Facturis animos vitæ strictioris rudimenta ponentibus egerat cum ipsis mitiùs. Nonnullis etiam tentatione redeundi ad Sæculum vellicatis salutaria instillauerat monita, nec ad confirmandos in religioso proposito abstinuerat ab osculis, publicè tamen, de more Gallici Cœli, & paternè iuxta ac innocenter. Hinc obscæni flagitij instructa accusatio. Deperire scilicet Adolescentes Monachos, nec à deosculandis, blandè alloquendis, contrectandis manibus, palpandoque vultu prauum valere genium compescere toto spectante Conuentu. Quod verò sine Cerere, & Baccho frigescat Venus, & hæc apposita culpa, exardescere pessima Venere ex secreta intemperantia. In Sodalium conspectu abstinentiam colere, clàm cæteris vacare epulis, indulgere vino. Allati insuper codices ob hæresim damnati in Indice, & asseueratum repertos sub ceruicali criminosi etiam in fide. Apostolicus Censor minimum posuit operis in expendendo an exprobratas noxas factiosa composuissent ingenia, an corrupti patrassent Barrerij mores. Præter delatores, & cum delatoribus consentientes Patrum melioris notæ nullum audiuit. Posthabuit pro Abbate intactæ indolis perora-

re sanctè gesta, famamque, vultumque. Pessimam de viro optimo concepit mentem, effecitque induceret & Clemens VIII. qui in audiendo delicta excandescens zelo, Ioannem habendum deinceps in Congregatione censuit, non Institutoris, sed præuaricatoris loco. Rediret eodem temporis ad S. Bernardi, & pleno adstante Patrum congressu Pontificio illum nomine exauthoraret à munere Abbatis, interdiceret à celebratione Sacri, & sanctiori mandato prohiberet, ne ab Vrbe pedem efferret. Actum vt rerum sacrarum moderator summus mandauerat. Barrerius se totum toleantiæ permisit. Difflandi accusationes, ac boni nominis euadendi lacunam nihil habuit pensi. Hausit obiurgationes, excepit sententiam animo ad Christianam fortitudinem, insignemque humilitatem composito. Duo, nec plura pronuntiauit verba, nempè: Peccator sum. Ad hæc frontem graui anteà occupatam seueritate, mira quædam serenitas ex tunc in posterum exhilarauit. Nimirum acceptius nihil contingere poterat anhelanti ad opprobria pectori, emanabatque in vultus, quæ dominabatur in corde, iucunditas. Fecit & cum tentatione prouentum. Expolitior attrita aduersis patientia. Sublimior humilitas, cui ad celsitudinem gradum faceret ipsa ab Antistitis gradu dejectio. Obedientiæ iuxtà addictus, ac illa humilitati affinis. In feriatione à regimine suauiora orationis, & contemplationis otia. In probri Auctores adeò concitata charitatis flamma, vt quoties Thermarum Collegio, vbi morabantur, accederet, eosdem in cubiculo inuiseret, & flexus coram in genua, pedes ad osculum sibi præberi deposceret. Integro octennio probatus contumelia, æquitatis, & in pressura tranquillitatis egregium fecit periculum.

Intereà cum pauci conuitiatores deturbasse è prima Sede exultarent, ijdemque se se iactarent latitantem sub sanctitatis specie in lucem eduxisse prauitatem, filiorum cæteri, eosque inter vitæ spiritualis scientes magis concipiebant morem diuinæ sapientiæ amplificantis ærumna collimantium perfectioni virtutem. Indubium apud eosdem depositionem illam ab Infula ideò tolerasse Cœlum, vt disciplinæ Reparator, iniuria tanta honestatus, discipulos quoque initiaret suos ad omnem patientiæ aleam alacriter subeundam. Qui vices obibat regiminis Ioannes à S. Hieronymo vir absolutissimus colere pergebat vt Patrem, temperabatque obseruantiæ ergo à quidpiam ei præcipiendo.

do. A cuius tamen modestia cum extorquere ille nequiret, vt Superiorem se nosceret, exerceretque obsequio, delibandi obedientiæ oppetitos fructus aliam inibat rationem, agere nempè semper quod Superiori sciret placere magis, imperaturumque, si Antistitem se gerere in illum quoque libuisset. Purpuratos apud grauiores nihil inspersit vmbræ criminatio. Maiori adhuc in pretio habebant. Frequentiam ideò colloquij, postulationem precum, aliaque augebant existimationis argumenta. Omnia collaturos pollicebantur studia restitueretur, si vellet, quamprimùm dignitatis insignibus. At ille obsecrabat cunctos, pro sanctiori in Deum amore, pro intimæ beneuolentiæ tessera diuinam sinerent misericordiam pœnitentia demereri. A meliorum datore charismatum solidum potiùs impetrarent pectus versanti in patientiæ discrimine. Verùm Catharina Nobilis Sfortia, Iulij Papæ Tertij Neptis, Roberti de Nobilibus Cardinalis ad sanctimoniam probati soror, S. Floræ Comitissa, splendore generis, opum claritate ornatissima, Cænobij ad Thermas fundatrix, & Viri Dei in paucis deuota, cum demirandæ virtutis hominem obuolui diuturniori famæ eclipsi ferre nequiret, satregit, vita, mores iterum ad censuram venirent. Annuit Sanctitas Sua, imposuitque deprecatam prouinciam Roberto Bellarmino. Is supra probitatem, doctrinam, purpuramue, prudentia eximius facili negotio comperijt euulgata crimina ex nebulonum officina manasse. Quare ad Pontificem ingressus, fertur coram alijs amplissimæ dignitatis Collegis in hæc verba locutus: Fuliensium Abbatem à conflata calumnia olim penes me absoluebant nuntius ab adolescentia missus sensuum oblectamentis, ducta per omnem asperitatem ætas, flexa ad summam honestatem, modestiamque indoles, sacrarum ardor contentionum quà Monasticis sodalitijs ad sanctioris obseruantiæ numeros reducendis, quà dissipandis Hæreticorum erroribus, quà in perditas Sæculi consuetudines declamando, æquanimitas in ærumna, serenitas in opprobrio. Postquam verò, Beatissime Pater, de mandato Sanctitatis Vestræ sedi cognitor, dilucidè conspexi Ascetam intacti pudoris, rigidæ abstinentiæ, & sanioris doctrinæ per summam malignantium nequitiam laborare infamia incontinentis, intemperantis, hæsitantis in fide. Paterni vestigia affectus perperam audiere libidinis illecebra in viro ab incunabulis pietati addicto, & præterquam pudicitiæ nunquam non studioso, annis

iam longæuo, asperitatibus confecto. Malè etiam collata illi crapulæ nota, nimirum clandestinis comessationibus nec quidem locus in religiosa domo ea ratione exædificata, vt Antistes, Sodalesque vna simul maiori in cella die, noctéque commorentur omnes. Libri interdictæ lectionis strato dolosè suppositi. In patenti cunctis cubili facilis prauitas tanta molitoribus iniquissimis. Ad hæc noxarum testes non alij à criminatoribus. Adiudicatus reus causam dixit suam more innocentiæ perindè humilis, ac inculpatæ. Peccatorem se asseruit: Quis enim iustus, qui non septies cadat in die? Cæterùm obiecta vitia, quæ non commiserat, nec admisit, nec iuit inficias. Quare consummatæ virtutis tantum esse virum censeo, qui in diuturna contumeliæ tolerantia perfecto patientiæ opere eminet. Et placuit quidem recentis Fuliensium familiæ ædificatori Deo illius antesignanum reprobari pressura, sed disposuisse reprobaretur ideo sentio, vt comprobata postmodum innocentia, fieret iterum in caput anguli, renuntiatus celebrior, & gloriosior præcellentis Congregationis Parens. Id quod vbi Sanctitas Vestra annuat, & exemptum à probro bono nomini, sacrorum operationi, officij insignibus restituat iterum, eduxisse dixerim à calumniæ tenebris luculentum Ecclesiæ militantis sidus, illumque consonæ existimationis promerito vindicasse nitori.

Haud facilè dictu quantam celebritatem conciliarit Barterio detecta Bellarmini opera eius integritas. Clemens Papa suis nominibus honestatum mox voluit, misso iterum ad Monasterium præstantissimo Cardinali, qui & à nota absolueret, & effusa cum laude ignominiæ patienter exantlatæ repositum in Cœlo præmium gratularetur. Insignia etiam Abbatialia Mitram, baculum, annulum eidem misisse, aliqua tradunt monumenta. Insectatorum malitiam dirè execratus, ex tunc dicere identidem consueuit: A fratrum odio bonum quemque defendat Deus. Nec multò post succensuit pro merito in illum, qui reatus falsò impositos præcipiti sententia damnauerat. Siquidem cum de certo acturus negotio ad sacra pedum oscula accessisset, seuera illum animaduersione reiecit, cuius dolore intimè punctus accelerauit ad fata gradum. Siccine, inquit, prudentiam probasti tuam in quæstione instituta de moribus boni Abbatis Barrerij? Nonnè subolere tibi poterat infensorum liuor? Est nè longa rerum experientia edocti non dignoscere insidiatū vultus, odij machinamēta non pene-

trare,

trare, detrectatoribus facilè credere, plectere insontem? Apagè grauibus adhiberi curis ineptus. Sceleris conscientia impulit reum facti adire Papam, & postulata impunitate fateri volumina impiæ doctrinæ à se strato subiecta. Vrbe sui admiratione suspensa cœpit in omnium ore versari, commendantibus magnificè cunctis, virtutem luculentiùs ab iniuria effulgentem. Plurimus quoque ad Monasterium affluxus ex certatim cupientibus implorare preces, deosculari vestes, seu de animæ salute consulere. Genere, doctrina, pietate illustri, publici prætereа plausus in vertice constituto sublimior adhuc dignitas à Pontifice parabatur. Sed splendidior manebat Cœlo merces, à cuius fastigio ne aura mundanæ gloriæ deturbaretur enixè Deum rogauit reuocari quantocitiùs ab humanis. Itaque infrà annum à gloriosè emensa tribulationis, & opprobrij compendiaria ad perfectionem semita, temporalis quoque cursum vitæ clausula præpropera absoluit. Diuino collustratus lumine instare exitum communem agnouit. Quare incolumis licet ad valetudinarium se contulit. Extremis voluit muniri Sacramentis, composuitque se se in strato è nudis asseribus, pœnitenter, vt vixerat, momentum operiturus, à quo pendet æternitas. Correptus hinc morbo reliquos vitæ dies expleuit, inter Cœli suspiria, amorisque deliquia. Sodalibus demum complexis ad vnum, & verbis Deo plenis supremùm affatus, in eorumdem sinu pijssimum spiritum posuit Quarto Calend. Maij anni sæcularis 1600. Exequiæ ductæ primùm à Patribus intra modum priuati funeris, & Religiosæ demissionis. Deindè, quæ fuit Comitissæ S. Floræ in virum ornatissimùm deuotio, solemni illi lacryma parentatum. Ecclesia S. Bernardi attrato panno conuestita, ac multa face longè splendidissima, excitata sepulcralis moles, celebrata etiam indoles, panegyrica inter rem diuinam laude, transijtque in prouerbium: *Non tibi iusta contingent funere Abbatis Fuliensis illustriora*. Corpus balsamo delibutum, & capsa plumbea inclusum pro tempore datur tumulo ad læuam aræ Principis intra odeum. Cor miræ magnitudinis repertum reponitur in theca argentea, Abbatiæ Fuliensi destinatum pignus. Crescente postmodum ad sepulcrum affluxu, anno à depositione sexto & vigesimo transfertur in Ecclesiam condendum sub monumento marmoreo erecto ad latus Epistolæ cum effigie illustri penicillo expressa.

Ex

Ex benedictis eius reliquijs caput vnà cum corde asseruatur in Abbatia Fuliensi, pedes Lutetiæ, coxendix Taurinorum Augustæ. Porro reuelationibus ante, & post mortem claruit, nec defuere cum alijs sanctitatis indicijs collata mortalibus beneficia, quæ Cœlitum beatitate donatum illum commostrarent. Attactis reliquijs restituti incolumitati quamplures affecti corporis. Implorato patrocinio euasere alij ab æquoris æstuantis præsenti discrimine. Ad inuocati pronuntiationem nominis multa sequebatur malorum geniorum à corporibus obsessis propulsatio, nec huiuscemodi occupatorum à cacodæmone adduxisse vnquam ad eius sepulcrum quempiam, à quo vexatores spiritus non facesserent, testatum reliquit D. Rodulphus à S. Catharina Senensi, in arreptis exorcismorum vi iuuandis continuus. Cor 26. post inferias anno, Fulium mittendum, ideoq; aperta in theca inspectum, sub putridis inuolucris, viuidiorem exhibuit oculis rubescentis colorem purpuræ, nimirum sua incorruptione factam declarauit corpori iniuriam pretiosi perunctione succi, quando præseruationi à tabe sufficeret extitisse domicilium animæ moribus integerrimæ. Sed hæc, aliaque sanctitatis vestigia rito Sedis Apostolicæ examini nostratum Cœtus adornat, quò Institutoris virtus, priuato hactenus mortalium plausu spectatissima, adstipulante tandem cum Augustorum Patrum iudicio, tum summi rerum sacrarum Antistitis decreto solemni colatur Apotheosi, diuorumque tabulas, publica litante religione, Barrerius adaugeat, cuius vitæ hanc qualemcumque enarrationem claudendam censeo Epitaphio à D. Martiali à S. Bernardo Superiore Generali anno 1612. conscripto.

D. O. M.

Reuerendissimo in Christo P. D. Ioanni Barrerio Abbati Fuliensi, nobili apud Cadurcenses genere in Gallijs oriundo, ac nobiliori Monasticæ disciplinæ Ord. Cist. diù collapsæ in suo Monasterio Restitutori, & inde Congregationis B. Mariæ Fuliensis, in aliquot Italiæ, Galliæque Prouincias Apostolicæ Sedis auctoritate ab ipso propagatæ, Fundatori meritissimo, mortalium quamplurimorum saluti tum vitæ planè cœlestis exemplo, tum publicis concionibus, ac cohortationibus priuatis vigilantissimo Consultori: ab omni sancto corporis, & animi

labo-

vſque ad …ſupra mortalium vires. Sanè arctioris in puluere conſu-
ſparſo mira …rigoris numeros implere omnes ſtudebat, ſed ad…,
odore, Romæ ann… aſperrimæ conuerſationis excellenti… *in Christo*
Parenti optimo, & … ingenia vltroneè concede… *filij poſuere. Vixit annos* … *Cal. Maij.*

1585. *Ioannes Iacobus De Loupes*, ſanguinis nobilitate Duci de Ioieuſe coniunctus, martiali animo, martiali ſe inſtructum corpore Melitenſes inter Equites comprobabat. Caſtrorum labores ſuſtinebat fortiùs, ad militares congreſſus conuolabat alacrior; quòd inter Chriſtianæ Fidei illuſtriores Athletas bellaret bella Domini, & victoriarum lautùs foret Religionis triumphus. Seruabat interea mentem probi, rectique tenacem, ac inter multam fortitudinis laudem caſtigatioris amore vitæ in tantùm exarſit, vt tranſeundi à Melitenſibus ad Fulienſium ſigna ſubiret animus. Quæ dies Virginem Dei puerperio Cœlitus delectam Orbi produxit, eadem Io. Iacobum Loupes Monachum ex milite præbuit, adiecitque a. 1578. Barrerio, primis ſtrictioris Obſeruantiæ candidatis quarto accenſendum loco. Ex quo verò ſanctiori militiæ nomen dedit, nihil in ſtirpis ingenuitate præclaro eluxit minus, quàm generis ſplendor. Pro Equeſtri Cruce temporalis belli nobili authoramento arctiſſimam auſteritatem, grauiorem æquè, ac glorioſiorem ſpiritualis pugnæ crucem geſtare incępit, geſtauitque ſexennio, nimirum vſque ad diem fatalem. Nihil illi iucundius, quàm ſe ſe verè pęnitentem exhibere, ore quidem exacta de obſeruantia frequenter loquendo, corde illam, ſi quis alius, feruidè amando, toto denique corpore, flagris, ieiunijs, cilicióue in ſe agendo. Admonitus ſeueriori parceret pœnitentiæ, à cuius rigore nimium pallorem vultus iam induiſſet, ſubdidit: Monachi color pallor eſt.

Ad hæc obedientiæ primas dabat, & charitati. Abiectiora domus exercitia hauriebat auidiùs, ad hoſpitum, inopumque obſequia, ad ſummum veluti quæſtum, conuolabat ſolicitè. Verborum parcus, nonniſi pauca, eaque fructuoſiſſima loquebatur. Horum ſpecimen ſunt: Verè pœnitenti voluptatum abnegatio ſumma voluptas. Corporis languores ſunt animæ ſanitas, & deuotionis palæſtra. Æquanimitas in aduerſis ardua præ cæteris virtus. Cedunt profecto reliquæ,

abire à munere, cedere dignitatem digniori, cedere ipsi. Adiecit nequaquam putaret stare dimissionem intrà verba; sed successionis ad munus haberet omen ipsam traditionem sigilli. En Lector Exabbatem Barrerium, Abbatem Alumnum, à Barrerij indole, quin potiùs à suorum assequutione votorum longè aberrantem. Nimirum humilium euector, coronatorque Deus despexit supra se cogitantem virum, & deiecit. Designat ille è vestigio rerum agendarum Assessorem alterum, alterum à conscribendis epistolis. Romam cogitat. In via commodiori posthabet itineri strictioris specimen consuetudinis, equo vehitur, ieiunia violat, vino iucundatur. Adeò rarò crimine vacant alio ambitiosi, & animo elati contra leges ferè semper insurgunt. Sed Neapolim vix peruenit, cum viscera calescere sensit diro igne. Ardet lethaliter, nec à potionibus arte conditis, nec à linteis frigida madidis quidpiam haurit roris. Pergit ad cineres flamma inardescens nullo extinguenda Medicorum præsidio. Qua animaduersione cum iuxta commendatam voluerit Deus alienationem ab Infula in Antistite, ac mulctatam in discipulo vesanam honoris cupidinem, à laudanda Barrerij humilitate temperatum ibi narratio, eundem ex Apulia consociatura Romam, vbi, probris inustus, pręstantiorum virtutum specimen prębuit omnem supra laudis celebrationem egregium.

Nouerat criminatores. Nouerat agi alios ambitionis ęstu, artibus alios Edmundi à Cruce Cisterciensium Archimandritę, ea propter Romę commorantis, quò, Reformatore vitij postulato, Reformationem sobolescentem euerteret. Nunquam tamen accepit asperè ex ipsis quempiam, vel dissipandis vacauit molitionibus improbis. Accidit conspirationis Auctorem totam dedisse diem inumbrando eius nomini apud Summum Pontificem, & Vaticani Senatus Patres. Pluuia ipsa eadem erat dies, redijtque vespere domum madidus imbre, & luto fœdatus. Egit vt moris est. Ingressus Monasterium adijt illico Abbatem petiturus benedici. Qui insectatorem suum humaniter amplexatus, vt vidit aqua diffluentem, statim etiam Vestispico aduocato, mutatoriam adferat, mandat. Illo autem respondente non haberi in vestiario, propriam festinanter exutus tunicam eidem imposuit, indueretque coegit. Extulit insuper dilaudandæ in offensorem humanitatis nobile vestigium pręclariori momento. Quòd enim breuioris

uioris ille foret staturæ, forbice arrepto effluentes in terram decurtauit lacinias, æquauitque indumentum gestanti. Interea à viro grauissimo accepit Monachos interpellare quotidie Augustum Sacræ Congregationis consessum. Nec leuia præterea de eo crimina auribus insusurrare Pontificis. A Sanctitate Sua rigorosè admodùm in illum statutum iri. Lædi opinionem, velis, remisque fugeret. Se ideo restitueret Lutetijs quantocitius. Inscio quoque Vrbe egressurus suo vteretur curru: Futurum breui emergeret veritas, & cum Henrici Regis opera, tum suis officijs Papalis deferuesceret indignatio. Cui Barrerius: Absit, inquit, hac de causa me ab Vrbe subducam, qui si in Gallijs agerem, ad Sanctitatis Suæ vestigia inuolarem extemplò, eiusque me districtioni subijcerem.

Postera die vocatus in iudicium ante cognitorem causæ à Pontifice designatum, audijt ementitus enormiter sanctè inceptis, & cumulasse libidini crapulam, crapulæ, & libidini hæresim, ne parentis in Monastica institutione præclarum nomen vno commacularet dedecore. At quomodò ab assequutæ virtutis apice excidisse dicendus turpi adeò lapsu? In Vrbem venit, vidit in Romana pube Congregationi adiuncta Reformationis segetem in Italia excrescentem. Facturus animos vitæ strictioris rudimenta ponentibus egerat cum ipsis mitiùs. Nonnullis etiam tentatione redeundi ad Sæculum vellicatis salutaria instillauerat monita, nec ad confirmandos in religioso proposito abstinuerat ab osculis, publicè tamen, de more Gallici Cœli, & paternè iuxta ac innocenter. Hinc obscæni flagitij instructa accusatio. Deperire scilicet Adolescentes Monachos, nec à deosculandis, blandè alloquendis, contrectandis manibus, palpandoque vultu prauum valere genium compescere toto spectante Conuentu. Quòd verò sine Cerere, & Baccho frigescat Venus, & hæc apposita culpa, exardescere pessima Venere ex secreta intemperantia. In Sodalium conspectu abstinentiam colere, clàm cæteris vacare epulis, indulgere vino. Allati insuper codices ob hæresim damnati in Indice, & asseueratum repertos sub ceruicali criminosi etiam in fide. Apostolicus Censor minimum posuit operis in expendendo an exprobratas noxas factiosa composuissent ingenia, an corrupti patrassent Barrerij mores. Præter delatores, & cum delatoribus consentientes Patrum melioris notæ nullum audiuit. Posthabuit pro Abbate intactæ indolis perora-

beatis, eo videlicet consilio, vt ab hoc Romani Cœli rigore defendere vos diutiùs possitis, quo nomine humi etiam cubitum super nudo assere non equidem probo, probarem sanè, si stratam insuper paleam Capucinorum more adhiberetis, quod ni fiat magnoperè verendum est, ne cæteris contingat, quod duobus prioribus Decanis magno omnium nostrum mærore contigisse iam vidimus, quando alter post alterum immatura morte suis, nobisque prærepti sunt. Verendum est inquam ne vester in Dei famulatu conatus non sit diuturnior, & per consequens fructus in proximorum salute, verbo, & exemplo per vos procuranda tenuior, quàm horum temporum conditionem flagitare videatur. Postremò illud quoque inciuile videri possit, quod humi assideatis, dum cibum sumitis. Morem à nullis hucusque Religiosis viris improbatum insequendum ducerem, accumbendi videlicet ad mensam, non quidem extentam, latisque mantilibus paratam, sed mapulis quibusdam ad os, manusque tergendas adhibitis, quemadmodum Patres Capucini adhibere consueuerunt. Hæc porrò ea sunt de quibus P. T. pro mea in vos charitate admonitam volui, putans fore, vt quemadmodum boni consulat, & animum aduertat, vt quando ineunte vere Romam cogitat, quod summopere commendo, in re præsenti, quod optimum factu visum fuerit pro Congregatione sua constabilienda, & propaganda, proque vestra Monastica disciplina forma dirigenda constituat. Valeat interim in Domino, & me suo Ordini deuotum suis apud Deum Opt. Max. precibus, & sacrificijs adiuuet. Romæ pridie Cal. Nouemb. 588. P. T. vti Frater in Domino amantissimus.

A. Cardinalis Carafa.

Quas verò pænalitates mitiores consulebant alij, mitigatas Pontificio sancito voluit Clemens VIII. & prouidentissimè quidem: Nam Auctori vitæ D. Eustachij Asseline cap. XI. pag. 95. quò me refeтam: *Deo inspirante Sanctitas sua huiusce modi capit consilium Reformationi conseruandæ perquam opportunum. Vt enim à primis Patribus, quorum nonnulli adhuc in viuis agunt, passim audiuimus, Congregationem totam è medio iam sustulisset mors, nisi Apostolica Sedes mitiorem vitæ rationem imperasset.* Hæc sodalitio. Nam Barrerius suo præ feruore leuem habebat enormem alijs obseruantiam.

Quare,

Quare, ipso annuente Papa, initialis vim tolerantiæ ad vitæ vſque articulum fortiter exantlauit ſemper abſtemius, nunquam vſus pro cubili ſacco palea farto, aut capitali; nunquam exhilarando conuiuio, adhibitis ſaltem vigiliæ ferculis, ſiue oleo, butyroque, ſed herbis ſolummodo pura lixatis aqua.

Magnam porrò lucem, maieſtatemq; denarratis faciebat ſtudijs contentionum ſanctiorum excellum decus humilitas. Exteriores eius gradus attigit ſermo, dum accuratè deſcripturus geſta illum incedentem exhibuit declinatis ſemper in terram oculis, aſpera, & breui amictum tunica, ſine capitis tegumento, greſſibus omninò diſcalceatis, conſuetas etiam pœnitentibus epulas panem, & aquam, pœnitentium item de more ſumentem, ſedendo humi cum inter Sodales cęnaret, poſitis autem in ſolo genibus, cum diſcumberet ad hoſpitum menſam. Nobiliora momenta raptim hic perſtringenda.

Inſtitutæ Congregationis peripſema, non caput ſe ſe paſſim aiebat. Ærumnas, calumnias, inſidias non vitio dabat mortalium, aut dæmonis iræ in exoſos inferno labores, ſed incuriæ tribuebat ſuæ in diuina mente pro virili adimplenda. Monaſticam aſſerere obſeruantiam vbi iacebat, hominis longè pręſtantioris eſſe prouinciam. Informatione egentem virum ad ſuę ruborem ineptię in aliorum Inſtitutorem aſſumptum. Quales ex corde humiles ſenſus, adoleſcente poſtmodum Cœtu, & Colonijs iam dilatato luculentiùs adhuc confirmauit. Ad capitis dignitatem collimabat Monachus non vltimę notę. Ioannem in Apuliam ſequutus, ad regiminis abdicationem inducere aggreditur. Compoſito alloquio recenſet coram digni Antiſtitis caractères. Ineſſe illi aptiores negat apertè, ingenium maximè Reipublicæ idoneum moderandę. Incrementa ideò Congregationis lentè procedere dolet. Vnum attollit ſeipſum naturę adiumentis, ac indole negotiorum capaci in paucis inſtructum. Suam interponat ſententiam. Habeat ſatis audire Congregationis Auctor, velit etiam Congregationis amplitudinem, ſtabilitatem, ſeu pateretur ſuperiorem ſibi contingere locum, viro nempe de Cœtu multis benemerito ſedem denique occupaturo cum amplioris ſpe vtilitatis. Qui de ſe ipſo demiſsè, de alijs ſentiebat pręclarè Ioannes ambitionis peroratorem cum laude modeſtię affatim celebrandę excepit. Annuit noſcere ſe Monaſticis ducendis habenis planè imparem. Stare cordi

abire

abire à munere, cedere dignitatem digniori, cedere ipsi. Adiecit nequaquam putaret stare dimissionem intrà verba; sed successionis ad munus haberet omen ipsam traditionem sigilli. En Lector Exabbatem Barterium, Abbatem Alumnum, à Barrerij indole, quin potiùs à suorum assequutione votorum longè aberrantem. Nimirum humilium euector, coronatorque Deus despexit supra se cogitantem virum, & deiecit. Designat ille è vestigio rerum agendarum Assessorem alterum, alterum à conscribendis epistolis. Romam cogitat. In via commodiori posthabet itineri strictioris specimen consuetudinis, equo vehitur, ieiunia violat, vino iucundatur. Adeò rarò crimine vacant alio ambitiosi, & animo elati contra leges ferè semper insurgunt. Sed Neapolim vix peruenit, cum viscera calescere sensit diro igne. Ardet lethaliter, nec à potionibus arte conditis, nec à linteis frigida madidis quidpiam haurit roris. Pergit ad cineres flamma inardescens nullo extinguenda Medicorum præsidio. Qua animaduersione cum iuxta commendatam voluerit Deus alienationem ab Infula in Antistite, ac mulctatam in discipulo vesanam honoris cupidinem, à laudanda Barrerij humilitate temperatum ibi narratio, eundem ex Apulia consociatura Romam, vbi, probris inustus, præstantiorum virtutum specimen præbuit omnem supra laudis celebrationem egregium.

Nouerat criminatores. Nouerat agi alios ambitionis æstu, artibus alios Edmundi à Cruce Cisterciensium Archimandritæ, ea propter Romæ commorantis, quò, Reformatore vitij postulato, Reformationem sobolescentem euerteret. Nunquam tamen accepit asperè ex ipsis quempiam, vel dissipandis vacauit molitionibus improbis. Accidit conspirationis Auctorem totam dedisse diem inumbrando eius nomini apud Summum Pontificem, & Vaticani Senatus Patres. Pluuia ipsa eadem erat dies, redijtque vespere domum madidus imbre, & luto fœdatus. Egit vt moris est. Ingressus Monasterium adijt illico Abbatem petiturus benedici. Qui insectatorem suum humaniter amplexatus, vt vidit aqua diffluentem, statim etiam Vestispico aduocato, mutatoriam adferat, mandat. Illo autem respondente non haberi in vestiario, propriam festinanter exutus tunicam eidem imposuit, indueretque coegit. Extulit insuper dilaudandæ in offensorem humanitatis nobile vestigium præclariori momento. Quòd enim breuioris

uioris ille foret staturæ, forbice arrepto effluentes in terram decurtauit lacinias, æquauitque indumentum gestanti. Interea à viro grauissimo accepit Monachos interpellare quotidie Augustum Sacræ Congregationis confessum. Nec leuia præterea de eo crimina auribus insusurrare Pontificis. A Sanctitate Sua rigorosè admodùm in illum statutum iri. Lædi opinionem, velis, remisque fugeret. Se ideo restitueret Lutetijs quantocitius. Inscio quoque Vrbe egressurus suo vteretur curru: Futurum breui emergeret veritas, & cum Henrici Regis opera, tum suis officijs Papalis deferuesceret indignatio. Cui Barrerius: Absit, inquit, hac de causâ me ab Vrbe subducam, qui si in Gallijs agerem, ad Sanctitatis Suæ vestigia inuolarem extemplò, eiusque me districtioni subijcerem.

Postera die vocatus in iudicium ante cognitorem causæ à Pontifice designatum, audijt ementitus enormiter sanctè inceptis, & cumulasse libidini crapulam, crapulæ, & libidini hæresim, ne parentis in Monastica institutione præclarum nomen vno commacularet dedecore. At quomodò ab assequutæ virtutis apice excidisse dicendus turpi adeò lapsu? In Vrbem venit, vidit in Romana pube Congregationi adiuncta Reformationis segetem in Italia excrescentem. Facturus animos vitæ strictioris rudimenta ponentibus egerat cum ipsis mitiùs. Nonnullis etiam tentatione redeundi ad Sæculum vellicatis salutaria instillauerat monita, nec ad confirmandos in religioso proposito abstinuerat ab osculis, publicè tamen, de more Gallici Cœli, & paternè iuxta ac innocenter. Hinc obscæni flagitij instructa accusatio. Deperire scilicet Adolescentes Monachos, nec à deosculandis, blandè alloquendis, contrectandis manibus, palpandoque vultu prauum valere genium compescere toto spectante Conuentu. Quòd verò sine Cerere, & Baccho frigescat Venus; & hæc apposita culpa, exardescere pessima Venere ex secreta intemperantia. In Sodalium conspectu abstinentiam colere, clàm cæteris vacare epulis, indulgere vino. Allati insuper codices ob hæresim damnati in Indice, & asseueratum repertos sub ceruicali criminosi etiam in fide. Apostolicus Censor minimum posuit operis in expendendo an exprobratas noxas factiosa composuissent ingenia, an corrupti patrassent Barrerij mores. Præter delatores, & cum delatoribus consentientes Patrum melioris notæ nullum audiuit. Posthabuit pro Abbate intactæ indolis perora-

re sanctè gesta, famamque, vultumque. Pessimam de viro optimo concepit mentem, effecitque induceret & Clemens VIII. qui in audiendo delicta excandescens zelo, Ioannem habendum deinceps in Congregatione censuit, non Institutoris, sed præuaricatoris loco. Rediret eodem temporis ad S. Bernardi, & pleno adstante Patrum congressu Pontificio illum nomine exauthotaret à munere Abbatis, interdiceret à celebratione Sacri, & sanctiori mandato prohiberet, ne ab Vrbe pedem efferret. Actum vt rerum sacrarum moderator summus mandauerat. Barrerius se totum tolerantiæ permisit. Difflandi accusationes, ac boni nominis euadendi lacunam nihil habuit pensi. Hausit obiurgationes, excepit sententiam animo ad Christianam fortitudinem, insignemque humilitatem composito. Duo, nec plura pronuntiauit verba, nempè: Peccator sum. Ad hæc frontem graui anteà occupatam seueritate, mira quædam serenitas ex tunc in posterum exhilarauit. Nimirum acceptius nihil contingere poterat anhelanti ad opprobria pectori, emanabatque in vultus, quæ dominabatur in corde, iucunditas. Fecit & cum tentatione prouentum. Expolitior attrita aduersis patientia. Sublimior humilitas, cui ad celsitudinem gradum faceret ipsa ab Antistitis gradu dejectio. Obedientiæ iuxtà addictus, ac illa humilitati affinis. In feriatione à regimine suauiora orationis, & contemplationis otia. In probri Auctores adeò concitata charitatis flamma, vt quoties Thermarum Collegio, vbi morabantur, accederet, eosdem in cubiculo inuiseret, & flexus coram in genua, pedes ad osculum sibi præberi deposceret. Integro octennio probatus contumelia, æquitatis, & in pressura tranquillitatis egregium fecit periculum.

Intereà cum pauci conuitiatores deturbasse è prima Sede exultarent, ijdemque se se iactarent latitantem sub sanctitatis specie in lucem eduxisse prauitatem, filiorum cæteri, eosque inter vitæ spiritualis scientes magis concipiebant morem diuinæ sapientiæ amplificantis ærumna collimantium perfectioni virtutem. Indubium apud eosdem depositionem illam ab Infula ideò tolerasse Cœlum, vt disciplinæ Reparator, iniuria tanta honestatus, discipulos quoque initiaret suos ad omnem patientiæ aleam alacriter subeundam. Qui vices obibat regiminis Ioannes à S. Hieronymo vir absolutissimus colere pergebat vt Patrem, temperabatque obseruantiæ ergo à quidpiam ei præcipiendo.

do. A cuius tamen modestia cum extorquere ille nequiret, vt Superiorem se nosceret, exerceretque obsequio, delibandi obedientiæ oppetitos fructus aliam inibat rationem, agere nempè semper quod Superiori sciret placere magis, imperaturumque, si Antistitem se gerere in illum quoque libuisset. Purpuratos apud grauiores nihil inspersit vmbræ criminatio. Maiori adhuc in pretio habebant. Frequentiam ideò colloquij, postulationem precum, aliaque augebant existimationis argumenta. Omnia collaturos pollicebantur studia restitueretur, si vellet, quamprimùm dignitatis insignibus. At ille obsecrabat cunctos, pro sanctiori in Deum amore, pro intimæ beneuolentiæ tessera diuinam sinerent misericordiam pœnitentia demereri: A meliorum datore charismatum solidum potiùs impetrarent pectus versanti in patientiæ discrimine. Verùm Catharina Nobilis Sfortia, Iulij Papæ Tertij Neptis, Roberti de Nobilibus Cardinalis ad sanctimoniam probati soror, S. Floræ Comitissa, splendore generis, opum claritate ornatissima, Cænobij ad Thermas fundatrix, & Viri Dei in paucis deuota, cùm demirandæ virtutis hominem obuolui diuturniori famæ eclipsi ferre nequiret, satagit, vita, mores iterum ad censuram venirent. Annuit Sanctitas Sua, imposuitque deprecatam prouinciam Roberto Bellarmino. Is supra probitatem, doctrinam, purpuramue, prudentia eximius facili negotio comperijt euulgata crimina ex nebulonum officina manasse. Quare ad Pontificem ingressus, fertur coram alijs amplissimæ dignitatis Collegis in hæc verba locutus: Fulliensium Abbatem à conflata calumnia olim peries me absoluebant nuntius ab adolescentia missus sensuum oblectamentis, ducta per omnem asperitatem ætas, flexa ad summam honestatem, modestiamque indoles, sacrarum ardor contentionum quà Monasticis sodalitijs ad sanctioris obseruantiæ numeros reducendis, quà dissipandis Hæreticorum erroribus, quà in perditas Sæculi consuetudines declamando, æquanimitas in ærumna, serenitas in opprobrio. Postquam verò, Beatissime Pater, de mandato Sanctitatis Vestræ sedi cognitor, dilucidè conspexi Asceram intacti pudoris, rigidæ abstinentiæ, & sanioris doctrinæ per summam malignantium nequitiam laborare infamia incontinentis, intemperantis, hæsitantis in fide. Paterni vestigia affectus perperam audiere libidinis illecebra in viro ab incunabulis pietati addicto, & præterquam pudicitiæ nunquam non studioso, annis

iam longæuo, asperitatibus confecto. Malè etiam collata illi crapulæ nota, nimirum clandestinis comessationibus nec quidem locus in religiosa domo ea ratione exædificata, vt Antistes, Sodalesque vna simul maiori in cella die, noctéque commorentur omnes. Libri interdictæ lectionis strato dolosè suppositi. In patenti cunctis cubili facilis prauitas tanta molitoribus iniquissimis. Ad hæc noxarum testes non alij à criminatoribus. Adiudicatus reus causam dixit suam more innocentiæ perindè humilis, ac inculpatæ. Peccatorem se asseruit: Quis enim iustus, qui non septies cadat in die? Cæterùm obiecta vitia, quæ non commiserat, nec admisit, nec iuit inficias. Quare consummatæ virtutis tantum esse virum censeo, qui in diuturna contumeliæ tolerantia perfecto patientiæ opere eminet. Et placuit quidem recentis Fuliensium familiæ ædificatori Deo illius antesignanum reprobari pressura, sed disposuisse reprobaretur ideo sentio, vt comprobata postmodum innocentia, fieret iterum in caput anguli, renuntiatus celebrior, & gloriosior præcellentis Congregationis Parens. Id quod vbi Sanctitas Vestra annuat, & exemptum à probro bono nomini, sacrorum operationi, officij insignibus restituat iterum, eduxisse dixerim à calumniæ tenebris luculentum Ecclesiæ militantis sidus, illumque consonæ existimationis promerito vindicasse nitori.

Haud facilè dictu quantam celebritatem conciliarit Barrerio detecta Bellarmini opera eius integritas. Clemens Papa suis nominibus honestatum mox voluit, misso iterum ad Monasterium præstantissimo Cardinali, qui & à nota absolueret, & effusa cum laude ignominiæ patienter exantlatæ repositum in Cœlo præmium gratularetur. Insignia etiam Abbatialia Mitram, baculum, annulum eidem misisse, aliqua tradunt monumenta. Insectatorum malitiam dirè execratus, ex tunc dicere identidem consueuit: A fratrum odio bonum quemque defendat Deus. Nec multò post succensuit pro merito in illum, qui reatus falsò impositos præcipiti sententia damnauerat. Siquidem cum de certo acturus negotio ad sacra pedum oscula accessisset, seuera illum animaduersione reiecit, cuius dolore intimè punctus accelerauit ad fata gradum. Siccine, inquit, prudentiam probasti tuam in quæstione instituta de moribus boni Abbatis Barrerij? Nonnè subolere tibi poterat infensorum liuor? Est nè longa rerum experientia edocti, non dignoscere insidiatũ vultus, odij machinamẽta non penetrare,

trare, detrectatoribus facilè credere, plectere insontem? Apagè grauibus adhiberi curis ineptus. Sceleris conscientia impulit reum facti adire Papam, & postulata impunitate fateri volumina impiæ doctrinæ à se strato subiecta. Vrbe sui admiratione suspensa cœpit in omnium ore versari, commendantibus magnificè cunctis, virtutem luculentiùs ab iniuria effulgentem. Plurimus quoque ad Monasterium affluxus ex certatim cupientibus implorare preces, deosculari vestes, seu de animæ salute consulere. Genere, doctrina, pietate illustri, publici præterea plausus in vertice constituto sublimior adhuc dignitas à Pontifice parabatur. Sed splendidior manebat Cœlo merces, à cuius fastigio ne aura mundanæ gloriæ deturbaretur enixè Deum rogauit reuocari quantocitius ab humanis. Itaque infrà annum à gloriosè emensa tribulationis, & opprobrij compendiaria ad perfectionem semita, temporalis quoque cursum vitæ clausula præpropera absoluit. Diuino collustratus lumine instare exitum communem agnouit. Quare incolumis licet ad valetudinarium se contulit. Extremis voluit muniri Sacramentis, composuitque se se in strato è nudis asseribus, pœnitenter, vt vixerat, momentum opperiturus, à quo pendet æternitas. Correptus hinc morbo reliquos vitæ dies expleuit, inter Cœli suspiria, amorisque deliquia. Sodalibus demum complexis ad vnum, & verbis Deo plenis supremùm affatus, in eorumdem sinu pijssimùm spiritum posuit Quarto Calend. Maij anni sæcularis 1600. Exequiæ ductæ primùm à Patribus intra modum priuati funeris, & Religiosæ demissionis. Deindè, quæ fuit Comitissæ S. Floræ in virum ornatissimùm deuotio, solemni illi lacryma parentatum. Ecclesia S. Bernardi attrato panno conuestita, ac multa face longè splendidissima, excitata sepulcralis moles, celebrata etiam indoles, panegyrica inter rem diuinam laude, transijtque in prouerbium: *Non tibi iusta contingent funere Abbatis Fuliensis illustriora*. Corpus balsamo delibutum, & capsa plumbea inclusum pro tempore datur tumulo ad læuam aræ Principis intra odeum. Cor miræ magnitudinis repertum reponitur in theca argentea, Abbatiæ Fuliensi destinatum pignus. Crescente postmodum ad sepulcrum affluxu, anno à depositione sexto & vigesimo transfertur in Ecclesiam condendum sub monumento marmoreo erecto ad latus Epistolæ cum effigie illustri penicillo expressa.

Ex

Ex benedictis eius reliquijs caput vnà cum corde asseruatur in Abbatia Fuliensi, pedes Lutetiæ, coxendix Taurinorum Augustæ. Porro reuelationibus ante, & post mortem claruit, nec defuere cum alijs sanctitatis indicijs collata mortalibus beneficia, quæ Cœlitum beatitate donatum illum commostrarent. Attactis reliquijs restituti incolumitati quamplures affecti corporis. Implorato patrocinio euasere alij ab æquoris æstuantis præsenti discrimine. Ad inuocati pronuntiationem nominis multa sequebatur malorum geniorum à corporibus obsessis propulsatio, nec huiuscemodi occupatorum à cacodæmone adduxisse vnquam ad eius sepulcrum quempiam, à quo vexatores spiritus non faccesserent, testatum reliquit D. Rodulphus à S. Catharina Senensi in arreptis exorcismorum vi iuuandis continuus. Cor 26. post inferias anno, Fulium mittendum, ideoq; aperta in theca inspectum, sub putridis inuolucris, viuidiorem exhibuit oculis rubescentis colorem purpuræ, nimirum sua incorruptione factam declarauit corpori iniuriam pretiosi perunctione succi, quando præseruationi à tabe sufficeret extitisse domicilium animæ moribus integerrimæ. Sed hæc, aliaque sanctitatis vestigia rito Sedis Apostolicæ examini nostratum Cœtus adornat, quò Institutoris virtus priuato hactenus mortalium plausu spectatissima, adstipulante tandem cum Augustorum Patrum iudicio, tum summi rerum sacrarum Antistitis decreto solemni colatur Apotheosi, diuorumque tabulas, publica litante religione, Barrerius adaugeat, cuius vitæ hanc qualemcumque enarrationem claudendam censeo Epitaphio à D. Martiali à S. Bernardo Superiore Generali anno 1612. conscripto.

D. O. M.

Reuerendissimo in Christo P. D. Ioanni Barrerio Abbati Fuliensi, nobili apud Cadurcenses genere in Gallijs oriundo, ac nobiliori Monasticæ disciplinæ Ord. Cist. diu collapsæ in suo Monasterio Restitutori, & indè Congregationis B. Mariæ Fuliensis, in aliquot Italiæ, Galliaque Prouincias Apostolicæ Sedis auctoritate ab ipso propagatæ, Fundatori meritissimo, mortalium quamplurimorum saluti tum vitæ planè cœlestis exemplo, tum publicis concionibus, ac cohortationibus priuatis vigilantissimo Consultori: ab omni sancto corporis, & animi labo-

labore ... vsque ad ... sparso miræ ... odore, Romæ anno ... Parenti optimo, & ... filij posuere. Vixit annos ... Cal. Ma

1585. *Ioannes Iacobus De Loupes*, sanguinis nobilita loiusé coniunctus, martiali animo, martiali se instructu Melitenses inter Equites comprobabat. Castrorum labo bat fortiùs, ad militares congressus conuolabat alacrior, Christianæ Fidei illustriores Athletas bellaret bella Dom ctoriarum lautus foret Religionis triumphus. Seruabat ir tem probi, rectique tenacem, ac inter multam fortitudi castigatioris amore vitæ in tantùm exarsit, vt transeundi bus ad Fuliensium signa subiret animus. Quæ dies Vi puerperio Cœlitus delectam Orbi produxit, eadem Io Loupes Monachum ex milite præbuit, adiecitque a. 157 primis strictioris Obseruantiæ candidatis quarto accenser Ex quo verò sanctiori militiæ nomen dedit, nihil in stirpi te præclaro eluxit minus, quàm generis splendor. Pro Equ temporalis belli nobili authoramento arctissimam austeri morem æquè, ac gloriosiorem spiritualis pugnæ crucem cepit, gestauitque sexennio, nimirum vsque ad diem fata illi iucundiùs, quàm se se verè pœnitentem exhibere, ore ctâ de obseruantia frequenter loquendo, corde illam, feruidè amando, toto denique corpore, flagris, ieiunijs, c agendo. Admonitus seueriori parceret pœnitentiæ, à nimium pallorem vultus iam induisset, subdidit: N lor pallor est.

Ad hæc obedientiæ primas dabat, & charitati. Al mus exercitia hauriebat auidiùs, ad hospitum, inopumq ad summum veluti quæstum, conuolabat solicitè. Verbo nonnisi pauca, eaque fructuosissima loquebatur. Hort sunt: Verè pœnitenti voluptatum abnegatio summa vol poris languores sunt animæ sanitas, & deuotionis palæ nimitas in aduersis ardua præ cæteris virtus. Cedunt p

Patien
acerbitater
...emus. Magi
...minatur libido, ex
...dit, & hostem serua
...ctrina, qu... perfectio non consequitur. Eade
c diuitiarum, ingenijque conditio, non enim quicumq
tantùm quisque vult illam attingit. Passionibus animi i
pro virili bellum. Eisdem superandis tempus, & prudei
io conferunt. Vesana gloriæ cupiditas generosiores an
uiores noxas impellit. Christiano turpe est pendere a
opinione. Solum Dei iudicium pertimescat fas est. Quem
Nero Cæsar Martyres à leonibus dilaniandos belluarun
periebat, prætexunt inuidi inculpabilia aliorum gesta ma
aque ratione efficiunt inulsa. Iniqua mente laborant, ne
nt commendata in alijs ornamenta virtutum, quarum de
ipsos norunt exortes. Captandum quodcumque resipi
pus, & licet serum, vtile tamen. His, alijsque scitè, &
ionem dictis, internam sui animi effigiem exprimebat
e pia mortalitatis clausula anxius, maiores illi curas im
Corpus, aiebat, in mortis confinio est. Faxit Deus ani
atæ æternitatis limine collocem. Pudet innocentem noi
. Vtinam supremum vitæ actum deuoto compleam; &
agone! Id vnicè in votis habebat, id testimonio adstan
iit, efflauitque pijssimè animam Nonis Augusti 1585.
acobus de Rupe, vir præter natalium claritatem, doctrina
gnique Aluerniæ Prioris Generalem Vicarium, Monachu
iatia Casæ Dei, ac virtutis consummatæ flagrantior. Ea
eparati Cistercij fulgidum diluculum exhilaratus mirifi
80. tertium & decimum illi Asseclam adiecit. Et qua
es mitiori in Cœnobio iam castigatior, ad Sodalitaten
fermantiæ translata, opportuna veluti in areola collocat
iculentiùs se se explicaret. A Religionis laude feruentio
censeri poterat vel ipsos inter Casæ Dei Sodales. Quar
n stipendia transgressus commilitonum illos æmulabatu
orum pœnitentiæ votis leuior adhuc erat vitæ asperita
credi-

credita ſupra mortalium vires. Sanè arctioris in puluere conſuetudinis nedum rigoris numeros implere omnes ſtudebat, ſed ad peculiarem quamdam aſperrimæ conuerſationis excellentiam enitebatur. Itaque in ſeueriora ingenia vltroneè concedens, quotidianam victus parſimoniam augebat cibo alternis tantùm diebus ſumpto, nec alio quàm pane, & lympha. Somno autem in humo breuiorem addebat ſomni menſuram ad duarum, vel trium ſpatium horarum, nec pſalmodiam nocturnam proximè vnquam è ſtrato petere, ſed illa anteuerſa, præmittere Choro alias priuatim preces, flagrorumque ſupplicia. Pallore autem, ac vultus macie cum apertè oſtenderet quàm rigida manu in diſcruciando corpore vteretur, verebatur tamen mitiùs ſe gerere, quàm par foret. Auſteriori viuendi normæ addicto illa duntaxat remiſſio contemplationi vacare, via compendij, ſeu affectibus iaculatorijs quærere cum Deo vnionem, planè vt corporis commoda non tantùm effugeret, ſed abhorreret. Iam & à contemplationis æſtu, rerumque cæleſtium affectibus concaleſcens diuini feruor obſequij, vt cum ſummoperè iucundaretur reſtaurari Fulienſi Reformatione quidquid vitij in religioſiſſimum Ciſtercienſem Ordinem feciſſent tempora, inardeſceret etiam zelo lucem faciendi Sæculo, vitijs, bellis, hæreſibus perditiſſimo. Erumperet foras depaſcens pectora ignis opus fuit. Adibat Vrbes, Pagos, declamabat in Templis, in plateis, in compitis, & oborta occaſione nonnunquam etiam in agris. Naturæ dotes, literarumque præſidia complebant præuium Apoſtolico muneri apparatum, robur nimirum precum, ieiuniorum vim, & corporis diuerberationem. Hac ratione comparabat dictioni ſupernum robur, faciebatque operæ pretium animarum compendijs. Deſcendebat in pectoris intima efficax ſermo. Adoleſcentes indolis incorruptæ ad lectiſſimum pudicitiæ decus diſertè expreſſum oppignorabant, conceptis religionis votis, puritatem Cœlo, cuius florem decuti malitia nolebant ætatis. Qui conſcientiam abiecerant, ad propinatum peccati horrorem cogitabant feriò, quanta noxarum labe fœdaſſent animam, quamnam Iudicis diſtricti conflarent indignationem, quam damnationis æternæ ſubirent aleam. Teſtabantur pauorem lacrymis, execrabantur pœnitentia vitam cum prauitate traductam. Multa etiam Hæreticorum millia à neruoſa eius facundia admittebant veritatis lumen, quos ipſe, profligato errore, Eccle-

siæ restituebat Catholicæ. Dum Tolosæ de fide Romana verba in foro haberet, Optimatum primæ notæ vnus loco fortè pertransiens, rem ioco petijt, risitque maximè conscientiæ depositionem ad aures Confessarij, cuius ille necessitatem adstrueret. Sed facto Iacobus gradu, & insigni cum spiritus altitudine virum sistens: Accipe, inquit, quæ de sacramentali expiatione culparum Apostolica Sedes edoceat. Tum orationem prosequens, adductisque Sacramenti momentis, audiri nequijt sine adstantium plausu, & aberrantis resipiscentia.

At enimuerò potiora adhuc supersunt, quæ in egregio Reformationis Alumno concelebrentur. Quidquid ageret, humilitatem indiuiduam amabat comitem. Quæ si virtus sociorum nemini non communis, illud singulare Iacobo, genere, & virtute præcellentem, honorum ambitu frustrà pulsatum, quem in ipsa etiam Episcopalium Infularum delatione non semel egregiè elusit, nuntio promotionibus constantissimè misso. Singulare præterea pollere ad formandos mortalium mores religione, experientia, doctrina, nihil tamen in suo expoliendo spiritu consueuisse, quod feruentiorum vsu non cerneret approbatum. Qui etiam Barrerij virtutes cominus suspiciens, illum summè colebat, suoque Angelo tutelari gratias quotidie exsoluebat ob talem, tantumque nactum suæ animæ directorem. Verùm Barrerius eximium in illo religiosæ disciplinæ sensum iuxta demiratus, ac indolem ad animarum quæstum enatam, initæ conuersationis magistrum alterum consueuerat appellare. Quare ablegaturus virum, qui nitidum Reformationis exemplar Romæ præberet, ac per Italiam ampliaret, Iacobum delegit comite designato Ioanne Baladio Tolosano, inter nos dicto à S. Mauro, nam cæteri, quos Vrbem simul ingressos alibi diximus, nonnisi aliquot post annos, & re iam confecta, submissos posteà comperimus.

Æqua probitatis lance stabat cum Iacobo de Rupe Ioannes Baladius. Sanè Religionis, prudentiæ, & aptitudinis ad curas exhauriendas grauiores eadem prorsus lineamenta in vtroque. Parcam dicere, quamnam secum & ipse Ioannes simultatem exerceret continua laborum clade corporis insectator, nullius indultor illecebræ, culcitra stramentitia deciduo vix vsus in senio, nocte intempesta, seu cum de rigidæ afflictationis laude nihil decerpere posset oculus, flagellis ex-

crucia-

cruciator, & à laboribus pro Reipublicæ commodis interſpirando ſolo ſtudio orationis, quam vnicè in delicijs habebat. Parcam dicere, quando Cardinalis Doſſatus viri decora luculento teſtimonio recenſet in epiſtola duodeuigeſima ſupra biſcentum, qua Henricum quartum Galliarum Regem monuit de ſequuta poſtmodum ipſius Ioannis ſuffectione in Abbatem Fulienſem, Barrerio è viuis ſublato. Epiſtolam ipſam ſubijcio non quidem ſua, ſed latina loquentem lingua. *Papa inhærens reſeruationi beneficiorum in Curia Romana vacantium commendauit Abbatiam Fulienſem Ioanni à S. Mauro Toloſano, Religioſo Gallo, quo non præſtantior alter Monachus, ſeu in dicto Cœnobio, ſeu in toto inſtitutionis Sodalitio, qui nimirum cum Priore S. Bernardi ad Thermas Vicarium agit Generalem in tota Italia, poſtquam vna cum ſocio ad meliores euocato Congregationis ſuæ propaginem per Italiam deduxit, & Deo fauente initij, ac incrementi exiſtentium in Italia familiarum extitit Auctor. Quia verò nuncupatis in Cœnobio Fulienſi votis ibidem etiam, prædeceſſore Abbate donante habitum, induerat Monachum, eodem poſtmodum Barrerio calumnijs circumuento, ab illo ſtetit ſemper affectu, reuerentia, ſolatio, nec ad obtrectantium partes deflexit vnquam. Pollere etiam moderatione agnoui, & Maieſtati Veſtræ proſpera cuncta vouentem. Ipſa fuere momenta, cur Pontifici interroganti, cuinam potiſsimùm deferendum Fulij regimen cenſerem, dixerim pro Deo, & conſcientia, neminem Ioanne digniorem, & Deus ſemper Maieſtati Veſtræ &c. Romæ octauo Idus Maij 1600.*

Sed vt ad domicilium in Vrbe reuertar, num ſpartam impoſitam adornarint ad vota; num conſuetudine, quam nemo non miraretur, florerent; num conſcenſo virtutis vertice, laudum quoque attigerint celſitudinem, proindeque vota concitarint ſtatim virorum probatæ adeò vitæ maiorem ex Gallia aduocandi copiam, & molitis Eccleſia, Cœnobioque, ibidem ſede figendi, conteſtantur prima Sacri Senatus nomina Eſtenſis, Borromæus, Carafà, Pelleueius, Rambouilletus Cardinales ampliſſimi directis mox ad Barrerium literis, quæ ſtudij perindè, ac exiſtimationis argumenta ad Lectori faciendum ſatis hic apponuntur.

Epistola Cardinalis Estensis.

Domino Abbati Fuliensi.

Accepistis à duobus Religiosis vestris Romæ agentibus hærere mihi res vestras, & literis datis decimo septimo Cal. Octobris habetis gratias. Exhibui profectò operam, & toto pectoris sinu exhibebo semper, nedum vti totius vestri Protector Ordinis, sed ob singularem, quam de præcellenti vestra virtute, sanctaque conuersatione existimationem concepi. Lentè res pergat duobus eisdem tribuendum fratribus. Infirma mea valetudo postulat excitari. Curarum reliquæ frequenter interpellant. Vestros habet solitudo. Deo rem sinunt. Me rarò conueniunt. Silent. Iam verò quando illi non me vellicant, ero solicitior ipse. Oretis autem pro mea incolumitate, vt promittitis, nimiùm quàm auidè audiam, conscius maximè manare preces ab homine Deo multum gratioso, quem vestra secundare vota & ipse precabor. Tibure 30. Decembris 1585.

Amicorum addictior Ludouicus Cardinalis Estensis.

Epistola Cardinalis Carafæ.

Admodum Reuerendo Patri mihi in Christo Dilectissimo Ioanni Abbati Fuliensi.

Pater Admodum Reuerende, mihique in Domino dilectissime. Cum omnibus Iesu Christi famulis omnia mea studia, & officia me debere profitear, tùm præcipuè ijs debeo, qui vestram, Monasticamque Sanctorum Patrum disciplinam temporum iniuria, aut hominum incuria, vel natura potiùs semper ad deteriora prolabente collapsam in integrum restituere conantur. Quo in genere cum mihi mirificum in Domino studium, & contentionem vestram à certis auctoribus cognouisse, atque adeò in binis vestris fratribus Romæ degentibus tanquam in animatis priscæ Religionis, & Monasticæ Sanctitatis imaginibus cernere illam liceret, dici vix poterit quantùm illud vestrum nuper institutum, vel potiùs ad normam viuendi Patrum restitutum, eiusq;

Cœno-

Cœnobiarcham, & singulos quosque fratres licet longè positos, charitate tamen sim complexus. Et quoniam ex binis Cherubim se mutuò respicientibus, & ad propitiatorium conuersis mutuam oportere eße charitatem, & quæcunque charitas suggeßerit à diuina propitiatione postulanda didicistis, non dubito quin me quoque intuitu charitatis respiciatis, & quæcunque muneri nostro gerendo neceßaria sunt, à vero propitiatore Iesu Christo nobis impetretis. Itaque ipse in lucro ponam omnem, quæcunque se offeret, de isto Cœnobio benemerendi occasionem, & vobis post hac apud me minimè erunt neceßariæ gratiarum actiones, dum vestris, meisque item rebus eodem tempore prospiciam, si quidem pro temporalibus, quæ seminauero, spiritualia metam. Incumbamus igitur vtrique nostrum in suam quisque curam, Vos vt me vestro apud Deum, Ego vt vos meo apud hominem iuuem patrocinio. Bene valete in Domino. Romæ ix. Cal. Octob. 1586.

Vti Frater in Domino
A. Cardinalis Carafa.

Epistola Cardinalis Pelleueij

Domino Abbati Fuliensi.

Domine Abbas. De vestrorum Ascetarum Romæ degentium indole iuremeritò dixerim suauiorem illos Christi odorem in dies effundere, eamque maiorem Religiosæ probitatis inhalare fragrantiam, quam valeam ipse describere. Si alios immiseritis ad duodecim, Coloniam in Vrbe facilè constabilient. Ecclesia, & Cœnobij opportunitas iam est ad manus. Erigite vos etiam in spem incrementi. Non deerunt qui Institutionem deposcant, & censum adaugeant. Vestros, vestrorumque conatus ità benè vertant Superi, vt ipse in optatis habeo. Vbi patrocinij necessitas interceßerit, habebitis, quo facilè vti possitis. Mei tantùm in Deum precando memineritis, & de beneficio vobis deuinctus ero. Nec plura. Vestris orationibus imis me votis commendo, ipseque Deum precabor sua vos protectione custodiat. Romæ vndeuigesima Maij anno 1586.

Amicus intimus, imò vti Frater
Nicolaus Cardinalis Pelleueius.

Epi-

Epiſtola Cardinalis Rambouilleti

Domino, Domino Abbati Fulienſi.

Religioſi ex Veſtris anno nondum elapſo Romam ablegati ſpectatam adeò vitæ rationem ducunt, vt præclari nitore exempli, cum omnium Ordinum plauſu, & commendatione, magnam quoque ſibi exiſtimationem comparauerint apud Sanctitatem ſuam, proprio in Vrbe domicilio quantocyùs ab illa donandi, quo ipſimet Vrbi vtilitati ſint, & ornamento. Qui Pontificiæ nuntius benignitatis à F. Iacobo miſſus ad vos venit, Cornetum ad me diuertit, eodemque literarum latore vnà vobis ſignificatum volui me complexurum venientes à Paternitate Veſtra illa planè beneuolentia, qua fratres exciperem meos, ſi Romæ accederent. Vrbem Romam Orbis Chriſtiani parentem eſſe, & caput optimè noſtis. Eapropter fore è re diuini cultus, ac gloriæ procul dubio teneo, ſi Religioſorum abſolutæ adeò notæ manipulum ad eam ſubmittatis, qui non ſecus oratione, & precibus, quàm concionibus, operâ quoque ſua nobilitatem in promouenda re Chriſtiana & ipſi probent. Expeditionem itaque & laudo, & expoſco. Illam decernite. Sponſor vobis ſum. Inueniet omnes ſui volentes. Intra quatuor, vel quinque dies me in Vrbe reſtituam, eroque diuturnior. Illic, & vbi popoſceritis, vobis præſto ero, & ardentiori illa officiorum conſuetudine; qua veſtris orationibus me commendatum volo apud Deum, à quo vobis longæuum, felicemque voueo vitæ curſum. Corneti xi. Maij 1586.

Amicorum tuorum beneuolentior
Cardinalis Rambouilletus.

Epiſtola Cardinalis Borromæi.

Adm. Reu. Patri Generali Congregationis Fulienſis.

Admodum Reu. Pater. Ea eſt veſtri Ordinis hominum virtus, hic in omni Religioſa diſciplina progreſſus, ea ſanctitas, vt nemo ſit, qui præclarum ſibi, atque honorificum eſſe non ducat eius patrocinium; quamquam quid opus habeat patrocinio virtus? Ego quidem

licet

licet non ignorem, quàm parum egeant vestræ Religionis instituta præsidio, aut fauore, in Vrbe præsertim, vbi cum summa omnium non solum ædificatione propter pietatem; sed & admiratione propter disciplinæ seueritatem versantur, cupidè admodum auctoritatem, quam mihi Cardinalatus adiungit, & neruos omnes industriæ semper impendam, vt quacumque re possim ipsorum conatus, & in via Domini labores vel subleuem, vel remoueam. Videor enim mihi hac in re magnoperè, & Iesu Christi, cui se Patres totos deuouerunt, nomen illustrare, & huius populi spiritualem vtilitatem amplificare. Quare quòd Paternitas Vestra mihi gratias agat, singulari ipsius humanitati acceptum refero. Quòd verò polliceatur Parenti rerum omnium Deo se pro me supplicaturum, id verè magno thesauri loco duco, & vt supplicare perseueret, etiam atque etiam rogo. Vale. Romæ tertio Idus Octobris 1588.

Paternitatis Vestræ

Vti frater amantissimus
Federicus Cardinalis Borromæus.

Et reuerà Iacobi de Rupe, & Ioannis Baladij, quorum in Epistolis tanta cum laude mentio, illi erant ad exactiores vitæ Monasticæ numeros formati mores, vt almæ totius Vrbis promeritis cum plausibus oculos caperent. Sed & religiosas alias Institutiones in se experiebantur beniguas, Regulares præcipuè Clericos Theatinos, quorum historicis monumentis, Ioseph Silos disertissimus concinnator Tomo primo, & pagina 643. subnectendum hic pronæ in nos voluntatis testimonium inseruit. *Sub Sixti Quinti Pontificatus initium par hominum Religiosorum Congregationis, quam Fuliensem vocant, Romam appulit, amictu quidem rudi, at niueo, nudis pedibus, calceis ligneis, & qui toto corporis cultu vitæ asperitatem præ se ferebant. Auctor eius Congregationis Ioannes à Barrera homo Gallus, diues perindè, ac nobilis, qui rerum humanarum pertæsus, vsque valere iussis, in Fuliensi Galliæ Cœnobio, quod in Bricensi*(Riuensi) *Diœcesi est, Deo se se mancipauit; ea planè regularis vitæ obseruantia, vt dilapsam in eo Monasterio Diui Bernardi disciplinam ad priscam Cistercieusis regulæ, ac seueritatis formam restituerit; excitata per sum-*

summos labores noua hac familia, in qua & vixit ipse sanctissimè, & spiritum non sine miraculorum testimonio posuit. Ex hac igitur Congregatione figendo Domina in Vrbe domicilio Romam cum peruenissent, quos diximus, Monachi, quorum vnus Iacobus Bucca (à Rupe) *vocabatur, alter Ioannes à Sancto Mauro, Abbas postea Fuliensis, totiusque Ordinis Præfectus, in Diui Bernardi Æde ad Columnam Traianam primùm consedere. Et quòd exteri, ignarique Romani, atque Itali moris essent, Religiosos viros, quorum se se clientelæ committerent, eorumque ductu, atque auspicijs ad regionis maximè vsum sua regerent, diligenter peruestigarunt; ac visi mox Theatinos Quirinali in Colle Patres deligere; quorum passim commendari Sanctioris vitæ famam inaudiebant. Placuitque nostratibus hac Fuliensium in nostrum Ordinem propensio, ac fides; statimque illos prosequi studijs omnibus, ac præcipuis beneuolentiæ argumentis occœpere. Demandata in primis eius rei cura Matthæo Bencio fuit, qui ob insignem, qua in Diuum Bernardum ferebatur, pietatem beneficij loco tulit, hanc eius Instituti Patribus nauare operam, ac beneuolentiam posse.*

Cæterùm Congregationis amplificatorum par sanè præclarum diuersa mortalitatis clausula vitam oppetijt pereunem. Iacobus cum ex Vrbe regressum acceleraret in Gallias, instare sibi vltimum vitæ actum Narniæ agnouit, quem sanctè absoluit. Ad suprema sacra manare lacrymis visus, & effundere sicut aquam cor suum ante conspectum Domini sui. Mox pluentes oculos in adstantes conuertens: Valete, inquit, charissimi Fratres. Ego præcedam; vos subsequemini, vnusquisque qua vitæ, mortisque supremo Iudici placuerit hora. Hinc Christum è Cruce pendentem ori deuotissimè admouens: mane mecum Domine, mecum mane, repetebat, quoniam aduesperascit. Iam visus, iam auditus, iam loquela recedunt, iam deficio. Vna meæ animæ salus, dulcissime, suauissime Iesu, ne me derelinquas, dum me cuncta destituunt. Hæc inter verba somnum mortis obdormiuit anno 1588. placidissimè quidem, ac si quiesceret. Defuncti corpus Narniæ iacet, nimirùm ne Romam, aut Fulium deportaretur apponendum ad Sodalium cineres, obstitit Ciuium pietas, ac si cadauer penes se detinendo Sancti alicuius potirentur reliquijs.

Ioanni verò cum vltima lex fati longè post contigerit, æuum diutius propagauit pietate, ac muneribus spectatissimum. Alias quippe inter

inter curas renuntiatus Prior S. Bernardi ad Thermas, Vicarius Generalis in Italia, postmodùm Abbas Fuliensis, & tandem iuris Cœnobitici meritissimus pronuntiator in toto Cœtu. Adauctus porrò infulis meritorum cumulauit præconia, nam Abbatiæ collatæ pedem abdicare constituit, abdicauitque in fauorem Congregationis Commendatorum iure in posterum excusso. Ex Abbate Fuliensi ad rerum summam in Ordine attemperandam euectus, Sedem generalitiam institutionis zelo, & propagationis studio implebat, cum familiarum disciplinam censoria illustratione coram inspectitus, Augustæ Taurinorum obdormiuit in Domino anno 1610.

1593. *Io. Marionus ex Oppido de Funieux in Gallia Narbonensi.* Fuliensibus candidatis sub cognomento *Ioannis à S. Basilio* se adiunxit, quando in capessenda virtute adhuc omnibus versabatur ob oculos viuum perfectionis Monasticæ exemplar in absolutissimo Institutore Barrerio; quando scilicet incalescente comparandæ perfectionis studio, ad sublimiores apices anhelabant cuncti, & de promptiori obedientia, demissiori humilitate, charitate ardentiori, rigidiori victu, ac pauperiori cultu adinuicem decertabant. Tantos inter Antagonistas nimiùm quo feruore palmam multis raperet Marionus. Pœnarum sitientissimus addebat ad flagrorum diuerberationes, ad frigidæ potum, olerumque escam, ad dormitiones super lectulum ex tabulis, ad noctes in orando vigilatas morborum incommoda patientiam periclitantia, & corpori alijs, alijsque modis afflictato vernantem in fronte iucundam animi serenitatem. Languescere naturæ vis, non tolerantiæ ardor in eo potuit. Reformationis leges, scriptis licet non constarent, sed vigerent solummodò consuetudine, seruabat ad vnam. Inardescebat præterea æstu charitatis. Cui præ corporis discruciatione deerat penè propagandæ vitæ facultas, ad excutiendum Sæculum suis flagitijs indormiens supererat infractum animi robur. Discurrebat hac, illacque quò deprauati eum mores exposcerent. Nec phaleratis vana eloquentia concionibus detonabat in mortales perditæ salutis, sed inflammata dicendi ratione, è qua non effluerent verba, sed iacularentur fulmina, fœdisque voluptatibus implicitis vitiorum obscœna obijceretur turpitudo, expauescendum comminaretur iudicium, interminabilis indiceretur pœna. Nec deerat profunda humilitas patientiam, charitatem, aliarumque virtutum

coronidem miro suo decore efferens. Confirmabat quidem constantiæ exemplo, quos spiritualium Commilitonum Institutionis terrebat austeritas. Cœtui adaugendo inhærebat feruidiùs. Verùm Sodalitatis enascentis non tàm sectatorem, quàm parentem haberi alterum animo promeritam laudem aduersante, refugiebat. Reprobis Sæculi moribus inferebat sanè bellum, expugnabat declamando pectora, capiebat consopitas in sordibus animas. At euehi ad Ecclesiarum regimen terque, quaterque recusauit, maluitque, posthabito sacerdotalis fastigij culmine, vitæ cursum consummare intra sanctæ consuetudinis Claustra, vbi seuerior pœnitentia eum decenniò sustulit, reddiditque Cœlo, austeriori rigore breui exhaustum, ac præmio sublimiori citiùs donandum. Id contigit in Pinerolij Abbatia Congregationi recenter adaucta.

Lapidem initialem debuerat illa Adelasiæ, Oldrici Manfredi, Secusiæ Marchionis filiæ, & hæredi, quæ sicut Amedeo, alijs Vmberto, Maurianæ Comiti matrimonio iuncta auitas ditiones Sabaudo Sceptro fecerat vectigales, ita regia diuitiarum effusione in pietatis monumenta propensior, celeberrimam Abbatiam fundatione planè splendida anno 1064. excitauit. Assurgit ad radices Montis Genebri in Vico Sancti Verani olim dicto, extra verò portam Oppidi, cui à Pinearum syluis indictum Pinerolij cognomentum, & à fortalitio vndequaque munitissimo, à præclaris familijs, à Sacris Septis, à nundinarum frequentia accedere posset nomenclatio Ciuitatis. Templum attollit Virgini ad Æthera assumptæ nuncupatum, cuique à speciei elegantia, & ab ideæ vastitate moles digna summa Matre. Claustra sumptuosam molitionem & ipsa præseferunt. Latifundia, Dominia, Census Principem dotatricem commendant.

Disciplina regularis in luculento vsque adeò Asceterio supra ædium laxitatem, opumque lautitiem diù nitidior. Sed tandem à commendatione Cœnobij, & à malitia temporum offusæ claritati densiores tenebræ, quas tamen longè propulsauit, & fulgidiorem post nubila effecit renuntiatio Rugerij Tritonij in Abbatem, & Cistercij restauratio apud Fulium adolescens. Tritonius diuini cultus studiosior in eam potissimum solertiam incubuit, vt eò euocarentur Barrerij Alumni. Pinerolio nihil potuit contingere auspicatius, quàm, inducta nostratum viuendi norma, celebrari iterum Ecclesiam Ciuitatis

tatis Matricem, resonare psalmodijs Chorum, & inhabitantium conuersatione religiosam effulgere mansionem. Hic idem animi sensus Carolo Em. primo Sabaudiæ Duci, Subalpinorum Principi, qui Fuliensi nomini addictior, sicut institutione ornari Regni Sedem Taurinorum Augustam iam probauerat, ita benignitate Sua Celsitudine excelsiori iucundabatur propagari in tota Solij extensione citra, vltraque montes.

Quandiù Reformatio intra vnam Congregationem stetit, Abbatia Gallis, ac Italis limitanea generales Patrum Consessus opportunitate loci non semel inuitauit, excepitque aliquando Præside S. Francisco Salesio. Cœtu postmodum toto in vnum, alterumque partito adiudicata fuit Prouinciæ Pedemontij. Sed Pinerolio Gallici iuris facto, cederet Fuliensibus suis Ludouicus decimus tertius regia pro potestate mandauit, inductique ideo ab Antonio de Toulongion, qui diem suum obiens condi in Ecclesiæ medio voluit cum epigraphe sepulcrali rem à se gestam indicante.

Hic iacet celsus, & potens Dominus
D. Antonius de Toulongion Eques,
Comes dicti loci, Dalorme, & Montelonij in Burgundia,
Inter Regis Christianissimi excubias vnius Dux Cohortis
Pro Regia eadem Maiestate,
Ciuitatis, & Arcis Pinerolij,
Fortalitij S. Birgittæ, Perusiæ, & totius subiectæ regionis
Moderator, ac Generalis Locum tenens,
Qui Monachos Gallos in hoc Monasterio
Rege mandante, constabiliuit,
Et obijt postridie Iduum Septembris MDCXXXIII.
Orate Deum pro eo.

D. Francisca de Rabutin, Chantal eius contoralis fundauit duas Missas annuatim, in ista Ecclesia, perpetuòque pro eius anima celebrandas x. Iunij & xiv. Septembris.

Sed reuocanda ad Marionum narratio. Cum eximiæ prudentiæ primum aliquem Moderatorem noua Pinerolij familia expeteret, in illum electorum suffragia concessere, pergeretque ad gubernandum clauum operæ pretium fuit. Viam itaque ingreditur, temporalem, ac spiritualem Monasterij statum maiori cum plausu componit, sed

attritis iamdudum viribus insuetos labores non diù sustinuit, spiritumque emisit 1593. octauo Cal. Septembris. Hic à Chrysostomo Henriquez Cisterciensi Menologio inseritur illis verbis. *In Gallia Narbonensi beata memoria Ioannes Marionus, Cisterciensis rigoris seuerissimus amulator, & Fuliensis Congregationis promotor insignis: qui malens abiectus esse in domo Domini, honores Ecclesiasticos, & dignitatem Episcopalem religiosa humilitate recusauit.* Consonè scilicet ad syllabum professorum ante conditas Constitutiones, & Catalogo Fuliensium sanctitate illustrium D. Caroli à S. Maria Prioris Parisiensis, quorum ille ait: *Ioannes à S. Basilio, cognomento Marion, Gallus, de Funieux in Gallia Narbonensi, professus fuit in Monasterio Fuliensi anno 1582. Fuit vir sanctitatis titulo celeberrimus, verbi Dei concionator eximius, qui obyt in Monasterio Pinerolienfi Prior die 25. Augusti anno 1593.* Iste verò inquit: *Io. Marionus Vir Sanctitatis titulo celeberrimus, verbi Dei concionator eximius, & Monastica perfectionis cultor, & obseruator studiosissimus.*

1596. *Nicolaus de Faur*, locupleti gente editus *Carcassona*, in Institutionem Claræuallis nitidiùs apud Fulium elucescentem concesserat anno 1580. Sectatorum vndecimus. Initam Orbitam pede præssurus egregio, cum à Mellifluo Abbate cognominari voluisset *Nicolaus à S. Bernardo*, propè etiam Parenti accessit Monasticarum suaueolentia virtutum, studiosiori Virginis intemeratæ cultu, facundiæ dulcore, quæ fauum saperet, & peculiari quadam facilitate in tractatione animorum. Singulares adeò dotes post septennium à dicto proposito Sacramento virum extulere ad gubernandum clauum Monasterij Romæ excitandi. Nolens quippè Sixtus Quintus recentem plantationem, quam à se approbatam, vbiuis gentium suas etiam propagines extendere indulserat, ædes Archiconfratriæ Sancti Bernardi ad columnam Traianam precario nomine inhabitare, meliore, propriáque eandem statione donauerat ad S. Pudentianæ inter colles Viminalem, & Exquilinum. Henricus etiam Caietanus Tituli eiusdem S. Pudentianæ Cardinalis cum optimam de nostratum præstantia, maximè verò de Nicolai virtute induisset mentem, & facilè in Pontificis vota concesserat, & quò faciliùs Colonia exiret, demandaretur ipsi Nicolao curauerat. Extat epistola Barrerij ad eundem Cardinalem de hac re, & incipit: *Quæ literis Romæ datis mandare*

dare placuit, Deo fauente, quantò citiùs implebo, nec menti amplissimæ Dominationis vestræ nunquam non morem geram. Velle autem Dominationem Vestram F. Nicolaum improba nunc hyeme longum adeò iter ingredi, non crediderim. Aduenies vere nouo, magnamque capiam voluptatem, si Deo placuerit me, cumque ipso Fratre, totam etiam Congregationem Dominationi Vestræ grato esse obsequio.

Magni ideò ponderis erat euocari è Gallia in Vrbem, partam implere famam, Aulæ Romanæ oculos promereri, & plausum, maximè verò cum Pontificis maximi Sodalitij approbatoris, & propagatoris, Henrici etiam benemerentissimi Cardinalis, Monasteriumque moderari, & moliri, ac familiam non regere tantùm, sed facere. Plurima sanè antiquioris non deerant laudis, quæ in destinatæ Sedis celebritatem verterentur, decusue; Palatium videlicet extitisse Sancti Pudentis amplissimi inter Quirites Senatoris, Petri Apostoli tutum effugium ad Sacra peragenda mysteria, & recentes idolorum eiuratores salutari lauacro regenerandos, à Sancto Pio Papa diuinam in Ædem consecratam sub Sanctæ Pudentianæ auspicijs, quæ puritatis lilio florens, & pietate in Martyres martyribus supar, è cæsis eorumdem corporibus tria millia in profundo eiusdem sui Palatij consepelierat puteo; à præfato Pio summo rerum sacrarum Antistite in titulum datam Hermeti, seu Pastori fratri suo, à quo titulum Pastoris exindè vsurpauit; ruinam vetustate minitantem bis, & tertiò restitutam ab Adriano primo, & deindè à Benedicto, & Rainulpho presbyteris Cardinalibus; tandemque incolarum successione transijsse à Clericis Sæcularibus ad Canonicos Regulares Congregationis Renanæ, à Canonicis defecisse ad Monachos, donec Monachis conuasantibus concredita fuit Patribus Ordinis Prædicatorum Basilicæ Liberianæ Pœnitentiarijs.

Sed nouissimi splendoris ei multum accreuit post nostrorum incolarum, maximè autem post Nicolai aduentum ad promouenda exordia, regendumque Cœtum. Optimum mox ille occupauit nomen in Vrbe. A paucis, ijsque grauissimis viris, qui eum familiariter noscerent, suspiciebatur Asceta corporis afflictatione asperrimus, spiritus feruore incalescens, temporalium contemptor honorum, mente, animoque affixus Cœlo, religione, castimonia, charitate præcipuus. Solitudinis legum sectator in paucis, exactorque à suis. Fulienses degere inter Quirites sciebat fama, nesciebant oculi. Si rei momentum

quem-

quempiam euocaret è Claustri limine discurrebat statim rei miræ rumor, vt alij ciuium festinarent ad fenestras, alij verò egrederentur domibus, visuri homines, quos aspicere perquam rarò, & ferè nunquam contingeret. Quò autem ipse, socijque septorum tenaciores, eò concipiebant plures disciplinæ votum, affluebantq; ad habitus susceptionem propensi, vnde breui amplificatus oppidò capitum numerus. Verùm labans, & ferè labens erat Templum, angustiores admodum Ædes, nulla rei domesticę copia. At vbi Nicolai virtus tanta affulsit, facilè cuncta prębuit excita pietas. Henricus Caietanus Purpuratorum decus gaudebat affatim Cardinalitium suum iterum frequentari Titulum, psallentium Deo vocibus resonare Chorum, quemadmodum & Martyrum cineribus deuotum impendere obsequium Monachos, qui rigidissima viuendi forma Martyrum etiam anhelarent palmis, ęmularentur vestigia. Datis ad Barrerium literis, quanto exultaret gaudio, disertè expressit. Literę inquiunt.

Admodum Reuerendo vti Fratri; Patri Abbati Congregationis Fuliensis.

Admodum Reu. Pater. Literas, quas ad me amoris, & officij plenas direxisti, libenter legi, ex eo enim tempore, quo Regularis vestra disciplina Romanæ Vrbi innotuit, ardens Congregationis vestræ studium, & Sanctissimum Institutum admiratus sum, & antiquæ obseruantiæ cultores dignissimos iudicaui, quos Sanctiss. D. N. paterna charitate amplecteretur, & nos, quos Deus in Ecclesia sua hac dignitate decorauit, studijs effusis prosequamur. Itaque Oratorium, quod optastis, concessum vobis fuisse mirificè gauisus sum, & quæ in vos à me officia perfecta esse scribitis, ea & Ecclesiæ mihi commissæ cultui, & vestræ fuerunt debita virtuti. Gratiæ igitur vobis à me potius reddendæ sunt, quòd ignitis vestris ad Deum Opt. Max. precibus adiutus sperare aliquando possum, vt in laboribus, & necessitatibus meis diuina protectione dignus inueniar. Oratos ideò vos velim, vt mei memoriam sinè intermissione seruetis. Ego quæ ad Congregationis vestræ vsum, atque incrementa pertinere videbuntur, omni semper studio, & diligentia curare non desinam. Valete. Romæ 4. Calend. Maij 1588.

Vti frater Henricus Cardinalis Caietanus.

Quod

Quod plurimę venerationis, & antiquitatis deerat templo, ſtructurę nimirum ſoliditatem, ornatum, id omne prouidere ſuo nummo ipſemet Cardinalis Caietanus conſtituit. Opportunam ideò ſartàm tectam,& elegantiam à prima ad ſummam perduxit manum,appoſita pro Eccleſię foribus inſcriptione

Henricus Caietanus
S. R. E.
Cardinalis Camerarius
MDLXXXVIII.

Sacellum prętereà appellatum Paſtoris conſecrauit Epiphanię D. N. Ieſu Chriſti, marmoribus ſelectiſſimis muſiuo, plaſtico opere auro ſuperinducto ad cęterorum per Vrbem inuidiam ornauit, & ſub Caietanæ ſuæ gentis iure conſtituit, pro qua tumulum etiam aptauit lapideis vrnis inſtructum ad ſingulorum tum Cardinalium, cum Principum, qui ex eadem decederent, corpora ſingulariter recondenda. Ipſius Capellæ, & reliquorum altarium ſupellectilem, Adminiſtrorumque indumenta audere aliquid ſupra Fulientinam paupertatem ſua munificentia voluit, deditque cum argenteis, non exigui ponderis, candelabris, & Cruce omnes domeſtici ſui Sacrarij opes, & veſtes, alias criſpanti argento, alias auro, alias attalico intertextas acu, omnes Sacri Principis ſplendore condignas.

Henrici pietatem ſequutus Deſiderius Collinus, Capellam venuſtauit ad læuam Aræ Maioris, in qua pia traditione fertur S. Petrum celebraſſe. Cum verò idem Deſiderius Collinus 9. Nouembris, pridie quam ſupremam expleret diem, Patres ex aſſe inſtituiſſet hæredes, diſtractis montium locis, ſoluta ſunt decem millia ſcutatorum Apoſtolicæ Cameræ, quæ Chirographo Clementis VIII. ſub hac cautione ſignato iuri ſpoliorum ceſſerat, & quod reliquum erat pecuniæ ædificio Monaſterij applicatum. Adiere noſtrates, & poſſeſſionem ædium plateæ Eccleſiæ hinc inde adiacentium, quarum aliæ Patribus pœnitentiarijs inſeruiebant, aliæ à Nicolao Cardinali Albergato inſtauratæ olim fuerant, & nonnunquam inhabitatæ. Annuente Alexandro Cardinali Montalto non modica aquæ Felicis copia deducta eſt ex Perettanis eiuſdem hortis, ſitis è regione Monaſterij in medium Viridarij vaſto Clauſtri ambitu circumdato, quæ vt arduo in altum conatu aliquandiù in aere luſit, grato deinde murmure ſubiectam

biectam in concham, indeque in continentem relabitur, ac plumbeis fistulis in omnes Cœnobij officinas abundè deriuatur. Vincentius Bragadinus Venetus adiecit ad valetudinarium instruendum domunculam cum viridario in via felici, eam scilicet, quam Ordo S. Pauli primi Eremitæ, ex benigna nostrorum concessione, in suorum Cœnobium postea accommodauit. Census à crepundijs admodum tenuis, totusque ex eleemosinis, vt aiunt, Palatij, nimirum Pontificiæ charitatis, addictiorumque Sacri Collegij Patrum, ac Præsulum Romanorum, impinguatus subinde est varijs piorum largitionibus Alexandræ Micaræ Romanæ, Egidij Vrsini de Romanis, opibus familiæ Cribellæ deuolutis ab intestato D. Hieronymo à S. Bonauentura nostræ disciplinæ adiuncto, sed in primis sororum trium Victoriæ, Lucretiæ, Doroteæ ex nobili Crescentiorum stipite, Auroræ Capizucchiæ, nec non Pompei Angelij Patritij Romani, S. Mariæ ad Præsepe Canonici, qui & sepulturam sibi in Ecclesia delegit, Epitaphio, & grato animi monumento à nostris condecoratam.

Non acta hæc omnia Nicolao de Faur familiæ moderatore, illi tamen tribuenda potissimum, in quem Abbatia præcellens sua primordia refert, quique Desiderij Collini, de Cœnobio præ cæteris benemeriti, beneuolentiam comparauerat primus, feceratque gradum æquè extremis eiusdem ceris in eiusdem familiæ incrementa conscribendis, ac splendidis aliorum donationibus. At enimuerò Romanæ inter excitationem domus, Fuliensi hominum genere cęlesti quadam ratione Neapoli ostenso, erectioni Parthenopeæ diuina iam bonitas pręludebat. Medicorum consilium desperauerat sanitatem Matthæi Bencij ornatissimi è Theatinorum disciplina viri, qui multiplicem supra vitę sanctimoniam intimæ in Diuum Bernardum deuotionis, ęgrotabat Neapoli in Paulina eorumdem Æde ex morbo ęstiuis caloribus hausto. Ferebatur is desiderio ponendi spiritum in festiua S. Abbatis die, quod & futurum multò ante prędixerat, & illo intercessore adhibito impetrauit. Cum enim vndeuigesima Augusti vespertinas peruigilij laudes decantari à Sodalibus audijsset, *ipse* (verba sunt Ioseph Silos Annalistę domestici historiarum partis secundę fol. 541) *ad pendentis è Cruce Saluatoris imaginem conuersus precatus enixè est, vt ea se luce claudere diem suum contingeret: Tum Bernardum ipsum rogauit, vt hoc ipsum Clienti suo impetraret. Fauitq;*

Cælum

Cœlum votis: insequenti siquidem die inter pios affectus animam efflauit. Neque verò vna hæc in præstantem Ascetam Bernardi illecebra. *Laborabat in extremis vir pijssimus*, ita laudatus Auctor prosequitur, *cum visi ad ianuam domus Religiosi viri duo, qui ab indumenti genere è strictiore D. Bernardi familia, Fuliensis videlicet Congregationis, se esse præ se ferebant. Aditum ad Matthæum Bencium petunt: quibus Ianitor, illum eo loci esse, vt aduentantes consolationi esse minimè possent. Vrgent nihilominus Monachi, id se maximè cupere, vt supremo spiritu consalutarent. Ergo dum facultati impetrandæ aditur Præpositus, facessunt Religiosi: Nec domi, aut Neapolitana in Vrbe ampliùs visi. Quare cum Monachorum id genus nec consideret tum Neapoli, nec vnquam aliàs inibi fuerint, in eam plerique venere sententiam, vt existimarent D. ipsum Bernardum monere eo, conspectu voluisse, præcipuæ sibi curæ esse in eo rerum articulo suum Bencium: nec longiùs abesse, vbi clientis necessitas opem pôsceret*. Delatum etiam Monte Politiano Neapolim Catharinam Benciam alteram Matthæi sororem in Monasterio Cisterciensi Sanctimonialem sub primis tenebris diei, qua acceperat pijssimum fratrem exuisse Neapoli mortalitatem, antequam somno se daret, Matthæum ipsum vidisse pullata quidem veste, sed qui aderat graui specie socium alba indutum tunica (Reformationis tunc habitum) *Agnouit fratrem* (præfato me Auctori refero) *Catharina: deinde interrogare: quis ille Candidatus? Respondit Matthæus esse D. Bernardum: quo dicto vterque confestim abijt. Hæc illa Confessario, nec dormienti, sed vigili contigisse spectaculum asseruit*.

Institutionum regularium studiosa Neapolis, præstantiorum in paucis. Fuliensis recenter exortæ delibata fama, Ciuium maiori flagrantium pietate sententia fuit: ideo B. Bernardum sub eiusdem lagena Neapolitanis se se inspiciendum præbuisse, vt excitaret in suos vota, & quando antiquum semper desiderassent Cistercium, Sobolem accerserent adolescentem, haberentque disciplinæ expolitione ab omni labe æui renouatam. Simul vehemens insedit animis studium, simul indicatum Romæ Patribus accederent, præclaræ conuersationis præberent & Neapoli exempla, nihil illos prætermissuros officij, plenæ nihil manus contingeret spectabili viuendi normæ commodum domicilium. Inuitamenta complectuntur Patres. Nicolaum de Faur

ad figendam sedem dimittunt. Adlaborat non sine curarum pretio. Res si non acta, inchoata, imò acta, quia à Nicolao incępta. Licet enim, molimina intercipiente fato, abierit ad meliores, corporis tamen sarcina ibidem deposita, spem reliquit gratiosum Deo virum curaturum prece inter Superos, quam sua nauitate promouebat inter mortales operam. Ita planè. Anno nempe 1619. placuit Gregorio decimoquinto monere Decium Cardinalem Carafam inter curarum momenta, & Archiepiscopales vigilias, descenderet etiam ad Fuliensium commoda. Quare illo adnitente designata actutum statio in Virginum suburbij nobili situ, nobiliori futuro nostrorum virtute incolarum, seu substructione Monasterij, & Ecclesiæ S. Carolo maiori nuncupatæ; cuius quidem Ecclesiæ præeminenti appellationi respondebit & splendor ædificij, si vastum molis ambitum excelso suo fastigio testudo superimponenda perficiet.

1598. *Margarita de Polastron*, domo præclara enata, nuptijs quoque pari nobilitate ornatis tradenda, Maritali toro coniuncta est Annæ de Dimpatalla, Domino Castri de Mareastaldo, attigitque senium in Coniugio. Post viri conclamationem inter res domesticas cum incremento componendas, inter filios ad omnem modestiam informandos de secessione à Mundo iam ferè sexagenaria deliberabat. Contigit eo ipso tempore Barrerium quoque arduam agitare mentem de propaganda etiam inter Moniales restauratione Cisterciensi, efflorescente iam inter Monachos. Virilem, fœmineamque sobolem concipiebat Barrerij zelus, dedit Numinis bonitas. Cuius afflatu Margarita, posthabitis eximijs alijs sacrarum Deo mulierum septis, Fuliensium Reformationi vnicè adhæsit, imò Iacquelina filia à caducis secum abducta, sua etiam prole amplificare fategit. Ergo ad Margaritæ, & Iacquelinæ exemplum concitatæ aliæ ex Viduis, Virginibusque lectissimæ, sesquidecem numero Reformationem deposcunt, ineuntque in Xenodochio apud Montem-Squion Sacrum in earumdem Collegium aptato. Cœtum castimonia niueum velo, lagenaq; candidis Riuensium Antistes induit vndeuigesima Iunij 1588. & Margaritam omnium primam nempe suo ex nomine signantem albo lapillo diem, vtque ducem, ita sodalitio moderando delectam. Quæ quidem vbi & Religiosam induisse personam, & Sororum indolem suo ab exemplo pendere conspexit, si quondam in Sæculo Virgo,

Coniux,

Coniux, Mater, Vidua degerat semper morum probitate spectabilis, in Claustro Sanctimonialem egit, & Antistitam à perfectionis fragrantia, prudentiæque laude summoperè attollendam. Versabatur suo in puluere quàm egregiè. Puella condignum honorem virginitatis decori detulisset libentiùs. Sponsum admiserat, quò parentibus morem gereret. Itaque in castimoniæ ludo Virginitatis laudes celebrabat disertiùs, cuius etiam excellentiæ existimationem testatam cupiens, Iacquelinæ filiæ semper primas detulit, ordine ipsa in Monasterio secunda. Sed & Sodales docebat colere principe quodam studio vexilliferam puritatis Mariam, quam ipsa semper in corde, semper in ore habebat dulcissimam Matrem, Matrem pulchræ dilectionis, sanctitatis præsidium eandem frequentiùs consalutans. Monasticum etiam cognomentum, in quod gentilitium agnomen conuertit, fuit *Margarita à S. Anna*. Enimuerò satagebat rereri filiam etiam in genitrice, seu magnæ filiæ gratiam sibi promereri ampliorem, Matre in patronam assumpta. Statuta manibus assiduè terens, nec leuiores obseruantiæ apices dilabi è memoria sinebat, & si subditas informando, exactiorem obseruantiam attollebat multis, Regulæ sollicitior ipsa parebat, nec latum quidem vnguem ab ea secedens. Sermone, aspectu, incessu optimè composita, suauem quandam grauitatem præ se ferebat. Occurrebat intuentibus eodem semper aspectu iucundo, sed modesto, nec ira commoto, nec mestitia obruto. Aderat sacris commentationibus, exercitijs externis, & vbicumque directricis illam partes postularent: Sed quod ad reliquum attinet, cellula se continens cauebat à familiariori consuetudine, addebatque benignitatis laudi reuerentiæ momenta. Difficiliora munera obibat ipsa, demandabat cæteris leuiora. Agebat aperta quadam moderandi ratione, libertate prædita, sed generosa, & discreta. Multa erat in æmulatione auertenda, prudentiorum quidem vtens cum opera, tum consilio, sed quam teneriori dilectione sapientiores complecteretur cautè dissimulans. Torquebatur aliarum morbis æquè ac suis. Ad hæc plurimam impendebat curam in indole totius familiæ benè dignoscenda, ædificandaque semper exemplo castigatiori. A temperante auctoritatem suauitate nunquam audijsses: Ita mando, quin potius ita iubet regula, hoc statuta præcipiunt. Fuliensis viuendi ratio, vitæ genus satis asperum est. Hoc illa senio licet grauis, & in delicijs enutrita à votorum

dictione ad extremam vsque vitæ horam constantissimè tenuit. Porrò ciliciorum vsum, flagellorum diuerberationes, ieiunia longiora, quàm à Crucis exaltatæ ad Christi resurgentis solemnia, quemadmodum etiam amotionem stipulæ, seu asserum à lectulo, aliaq austeriora à statutis, non quidem imposita, sed tolerata amplectebatur quàm auidè, sed cauebat ab imitatione, ne adolescentes pœnitentia vitæ discriminosa corpuscula delicatiora attererent. Silentium quoque sanctiores inter Monachorum consuetudines computatur. A primis tenebris ad solis exortum seruatur arctissimè in toto Monasterio. Reliquo tempore loquuturis binæ patent stationes. At in Choro, in Sacrario, in Peristylio, in Dormitorio, in Refectionis, & in Capituli aula conticescere, seu Monachi, seu Moniales iubentur. Domorum administris os aperire duntaxat licet, occasione poscente. Verùm Margarita sacræ huiuscemodi taciturnitatis vsque adeò erat seruantissima, vt signis ad res innuendas mirè eruditis, vteretur potiùs quàm verbis. Pro vsu nedum deteriora sibi deberi, ad mentem regulæ, cogitabat, sed eligebat, vestem magis vsu consumptam, conclaue minus stationi commodum, supellectilem omnium viliorem, & quam alijs assignare puderet. Super hæc nihil agebat inconsulto præstanti ex nostris D. Pantaleone à S. Placido, Amadesio spirituali directore, vigilijsque Monialium immortuo annō 1595.

Quòd si ad enascentis cuiuscunque regularis institutionis progressionem multum refert absolutos habuisse directores, qui disciplinæ incunabula rexerint, Fuliensium crepundijs Monialium interfuit plurimum Margaritam de Polastron duxisse rudimentorum habenas. Adolescebant ad sanctitatem mores. Luculenta conuersationis fama Gallias breui impleuit, nulloque iam in ore obmutescens ferebat cœlestem sponsum inter lilia apud Montem-Squion vernantia suauiùs pasci. Rumor ciebat puellas clariori è sanguine. Conuolabant certatim vt excrescenti admodum numero deberi par Theatrum, & laxiora tecta, ipsius etiam Clementis Papæ octaui sententia foret. Et summus quidem rerum Ecclesiasticarum temperator, qui regularium domos splendidiore promouere disciplina præclarum, ac Sacerdotio zelo maximo dignum censebat, euocari Tolosam suo nutu voluit, & Beguinarum domum implerent mandauit. Verùm quod Beguinis interpellantibus Pontificiùs fauor caruisset successu, Patres ipsi loco cesse-

cessere, deriuaruntque in earum commoda ædes,ac viridarium, quod à Consiliario Dupin habuerant pro excitatione vnius virorum Monasterij in Suburbio S. Cypriani. In nouas concessæ sedes pro illarum deuotione in germanam S. Benedicti sororem à S. Scholastica appellatas, nimium quàm facilè cœperunt Tolosatum oculos. Existimatione virtutis fuere illicò in omnium animis, in omnium admiratione. Incensæ vehementiùs Fuliensis studio normæ Matronæ, puellæ præclaro editæ loco. Vnam in medio deduxero Antoniam de Orleans, natam Ducis de Longa-Villa, nuptam verò Duci de Rhets, cui Principi fœminæ, si præpediente viri consortio, conformari se se expetitæ consuetudini tam citò minimè licuit, in sinu tamen cogitare cœpit id, quod, complorato Duce Marito, postea impleuit; ponere nimirum totam Aulæ gloriam, auitumque splendorem, & sanctiori hærere luci, quam in animam refunderet Fuliensia ad claustra secessus, vt in loco dicemus. Hæc inter Margarita à S. Anna sicut inter mortales quandiù fuerat, præclara exhibuerat documenta virtutum, ita meritis cumulata soluit naturæ pensum vndecimo Cal. Decembris anno 1598. ætatis suæ tertio supra septuagesimum, laudata à Patre Ioanne à S. Scholastica, post D. Pantaleonem à S. Placido, Monasterij Confessario in Panegyri emortuali, à Catello in historicis Occitaniæ monumentis, ab Arturo in sacrarum mulierum Gynæceo, A Thesauri Chronologici Auctore, cui placet viuere desijsse in Monasterio Montis-Squion, & à Carolo à S. Maria, quemadmodum & à Cisterciensium concinnatore fastorum, qui ponunt defecisse Tolosæ.

1601. Moramur adhuc intra Tolosana Fulientinarum septa, in quibus, ætatis labentis anno primo *Margarita* altera in Sæculo inter verè Viduas, in Claustro autem præcellentes inter Sanctimoniales locanda & ipsa, rudimenta incœpit ornatissimæ conuersationis, & ad annos vnum & viginti continuauit, immigrauitque Lutetias, illic præbitura Antistitæ lectissimæ documenta. Ipsa Galliarum Regina regens Anna Medicea Regiæ Parisiorum Vrbi indecorum duxit non commune habere cum Tolosatibus filiarum Cistercio-Fuliensium nitidum decus. Suis propterea auspicijs cum euocandas constituisset, Generalibus Comitijs anno 1622. apud Pinerolium celebrandis literas direxit, quas Latinè, accommodatas in medium producimus.

Cha-

Charissimis, & Nobis Dilectissimis Patribus Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis pro Comitijs Generalibus Pinerolij Congregatis.

Charissimi, & dilectissimi Patres. A nostro in Galliarum Regnum aduentu perspeximus statim Regis Domini nostri, & Sponsi pronam in vestrum Ordinem voluntatem. Cumque ab eodem temporis pectori firmissimè insederit ad eius nos studia componere, ad ea maximè, quæ pietatem curarum potissimam tangunt, Regiæ erga vos deuotioni nostram cumulauimus. Quàm etiam maiori semper cum reuerentia, & consolatione, vt prosequamur, cum intellexerimus in toto Galliarum Regnò vnum duntaxat Tolosanum existere Virginum Fulientinarum Collegium, aliud Lutetiæ ponere constituimus. Verùm quia rei momentum vestræ in primis solicitudinis interest, nec moliri velimus, nisi vestrarum certiores partium, capta occasione Generalis vestri consessus, D. Ioanni à S. Francisco diximus quid habeamus in votis, cui quidem Patri Ioanni à S. Francisco, etiam in mandatis dedimus nostram vobis mentem significet. Quæ igitur nostro nomine hac desuper re ipse vobis exponet, auscultate, & quantum vestra refert, satagite bonum adeò opus compleatur ad ampliorem Dei gloriam, quem oramus in sancta sua gratia vos constabiliat. Dat. Parisijs quinto Idus Maij 1622.

Anna.

De Beauclere Secretarius.

Tanta Reginæ propensio acuit cum Patrum curis pietatem quoque Annæ Gobellinæ Ducis de Estormoul Contoralis, cuius nummo figendæ Coloniæ comparatum solum in via ad S. Iacobum, molita conclauia, templumque sub inuocatione Dominæ Nostræ de Charitate. Cum autem propaginis emittendæ, potissimùm verò Priorissæ deligendæ maturandum consilium fuit, Ioanni à S. Martiali Prouinciæ Parisiensis Censori, Margarita hæc, de qua loquimur, vna visa est, in qua prudenter deliberantis animus sisteret. Originem duxerat à familia Clausse, Patre Henrico Equite, Domino de Fleury, syluarum, aquarumque in tota Gallia magno Magistro, Genitrice verò celebris illius Marchionis de Villaroy Regij administri, Regique à secretis filia. Mundi vanitatem experientia didicerat in nuptijs cum Salomone de Betuna Equite, Fratre minore Ducis de Sully, Domino de Rhosni, non multos intra coniugij annos fatis sublato. Religionis

vota

vota conceperat in Tolosano S. Scholasticæ habitaculo, cuius ingressa stationem, Margaritæ de Polastron flagrantis in assequenda perfectione pectoris se in paucis conformauerat. Ipsa quapropter administrandæ recentioris familiæ aptior adiudicata arripuit Parisiense iter vnà cum Sodalium flore Maria Magdalena à S. Ioanne, & Maria à S. Benedicto sororibus de la Guiconiere, quarum genitor inter Cartusianos diem suum pijssimè dixerat, Blanca à S. Agnete, Cauelat, Ioanna à S. Hieronymo, Bourdelesia, cognominata de la Haye, & Catharina ab Omnibus Sanctis, Gasquet. Sacrum agmen Regiam Vrbem ingressum hospitio perhumaniter excepere Virgines discalceatæ Montis Carmeli. Inde postea solemnis adornata immigratio ad propriam B. Mariæ de Charitate Sedem. Præibat Clericus semitam, qua pergendum, aqua lustrali irrorans. Sequebatur elatæ gestator Crucis, mox Prouinciæ Franciæ Prouincialis, & Prior S. Bernardi cum terdenis ex nostratibus Canticum *Benedictus* alternatim decantantibus. Incedebant denique Moniales sex vultu suspiciendam ad modestiam composito, & oculis defixis in Christi crucifixi imaginem, quam vnaquæque manu tenebat. Complebat viam omnium affluxus Ordinum. Nobilissimæ præterea fœminæ singulæ Moniales singulas associabant ad læuam, nimirum Ducissa Mercurij Margaritam Priorissam, puella maior natu Ducis Longauillani Mariam Magdalenam à S. Ioanne, Ducissa Mortui maris Mariam à S. Benedicto, Marchionissa de Maignelay Blancam à S. Agnete, Comitissa de Pleinuille Ioannam à S. Hieronymo, & coniux Præsidis de Escalopier postremam Catharinam ab Omnibus Sanctis. Cum peruentum est ad Ecclesiam niueæ Vestales demisere genua ante gradus Aræ maioris. Ioannes à S. Martiali Prouincialis Sacerdotali indutus apparatu benedictionem celebritati impertijt, indeque perrexit ad ritè benedicendum & incolendis mænijs, in quæ tandem processionaliter inductæ sunt, alterna Monachorum modulatione hymnum *Te Deum Laudamus* concinente, Procerum comitatu fœminarum, ad Penetralia vsque stipante, reliquo verò concursu faustè omnia ad septorum ianuam gratulante.

Margarita autem à S. Maria postquam demandati Priorissæ muneris exantlandas assumpsit partes, easdem repetitis suffragijs ad annos septem & viginti sustinuit, seditque ad clauum districtione, ac discretione, priuati forma cultus, & publici nitore exempli laudatissima. Vacan-

Vacandi sibi, incumbendi & cæteris alternæ erant vices. Frequentissima in Ciuitate inuisentium aduersabatur frequentiam. Penetrali etiam, & conticentiæ in Conuentu addicta. Excolendi spiritus, & abnegandi corporis ergo defixo erat animo in exercenda seueriori pœnitentia. Fluebat lacrymis, quoties pro eluenda à noxijs conscientia adibat Confessarium, incalescebat amore, à quo arderent & vultus, quoties, Eucharisticum sumptura epulum diuinæ accederet mensæ. Grauitate, solertia par informationi domus, par incremento, id quod non defuit primis quinque sororibus breui ad octoginta adauctis. Quæ vixerat meritis cumulata, cumulatior deuixit religiosa mortalitatis periodo, composuitque sese ad æternitatem annis octoginta maior.

1603. *Ludouicus à S. Malachia*, patria *Viennensis*, gente verò *Eustache* varia & ipse virtute prima Institutionis capita æquabat. Solitudinis, literarumque amantissimus, plurimas sibi ab angulo, & Minerua recensebat vtilitates, eludere otium, vacare Deo, assequi sapientiam, possidere seipsum, ac publico commodo aliquid semper eruditionis elucubrare. Qui si vrbanitati, aut charitati daturus locum alloquio quempiam admitteret, nescias an religionis exemplo, magis quàm acumine ingenij suspenderet animos. Definiebat mundum hortum lilijs vernantem, sed efflorescentibus inter spinas; campum paleæ æquè feracem, ac tritici; sagenam piscibus copiosam bonis, & malis; arcam vbi beluæ cum hominibus, corui cum columbis, lupi permixti cum agnis commorantur. Noxias corporis voluptates aptè expressurus: sunt, inquit, virulenta Sardiniæ herba, quam qui degustant, pereunt, & pereundo rident; scorpio ore blandiens, cauda inficiens; babilonica meretrix propinans abominationes aureo schypho; vinum flauum in vitro, suaue in ore, sed in nouissimo mordens adinstar colubri. Quæ literarum edidit monumenta, optimis accedunt ingenijs, maximè autem volumen latini metri Romæ excusum, vbique cum plausu exceptum, in quo musa elucet & ab ornatu comptior, & ab amœnitate exquisitior, deuota, seria, grauis, sed & iucunda, & cui à florum nitore, & fructuum copia elegantia, ac decus. Typis consignauit & nobilem carminum appendicem de poesi ad honestas res vertenda, vates vsqueadeò pudoris amicus, vt musas omnes suum induere candorem auidiùs desideraret. Interrogante quodam, an profundè

fundè consenescere cuperet: sapientiores, inquit, ætate sumus: Tanti faciendum diuturnius æuum, quanti maturior mens. Iam quòd inessent consilij, studijque in Rempublicam numeri, cohonestatus etiam varijs Congregationis muneribus, Monasteria rexit, adfuitque Romæ Antistiti Generali eius Assessor delectus. Quo quidem in officio licet suam sententiam cæteris vellet posthaberi, maioris tamen ponderis semper erat, maluitque prudentia ad apprimè benemerendum de tota societate. Condecorabat morum, literarum, munerumque lumina humilitatis fastigio. Celsiori præ cæteris virtuti Principem tribuebat locum. In infirmorum obsequio nullum prætteribat officium. Deposcebat sibi viliora valetudinarij ministeria. In euerrenda Ecclesia, omnique domo Laicos præibat, etiam cum Monasterij præfecturam exantlaret. Præstò erat senibus, & debilibus in dealbatione indumentorum. Ad hæc Ludouicus corpori suo consentaneum duntaxat cibum, somnumque non negabat. Cęterùm macerabat abstinentia corpus, dabatque orationi noctis horas. Et orationi ita erat addictus, vt suis auelleretur à delicijs, cum preces abrumperet. Orabat autem ferè semper genuflexus, maximè post absolutam Matutinam laudem, post quam durabat in Choro vsque dum eluceſceret dies. His alijsque virtutum cumulis onustus fati legem impleuit plusquàm octogenarius Romæ 11. Ianuarij 1603.

1606. *Petrus à S. Bernardo* Generalatu secundò defungens morte iustorum occumbit. Celebratur Asceta alti, & sublimis spiritus, verus humanarum, & secretiorum cogitationum inspector, cuius singulæ actiones, aspectus, verba, & totus homo exterior interni decoris indicium, nihil non sanctum, & supernaturale spirabant. Ad tantum virtutis culmen gradum sibi fecit charitate, pœnitentia, humilitate. Ex quo adoleſcens vertit mundo terga, intimo semper exarsit amore sequendi præeuntem extra castra, eiusque improperium generosa imitatione baiulandi. Frons graui, religiosaq; generositate composita, visa Cruce, tristitia actutum offundebatur. Manabant & lacrymis oculi, quos mundi Redemptoris sanguine vbertim pluentis compungebat aspectus. Meditationum frequentior erat Numinis patientis vulnera mente ingredi, & diuinæ cubicula charitatis ad plurimam horam quàm suauissimè incolere. Amoris, ac doloris erga passionem Dominicam sensui addebat pœnitentiarum, & angorum

inexpletam iugiter auiditatem. In strictioris obseruantiæ leges incumbebat totus, quòd illis exactè inhærens grauem præ pondere, leuem præ amore exantlaret Crucem. Singulis sextis ferijs, totaque Maiori Hebdomada in memoriam fellis Christo sitienti propinati amaros succos potui immiscebat suo. Morbis licet afflictatus, noctis tamen intempestæ tacitis horis surgebat è lectulo, oraturus in solo, & corpus discruciaturus flagellis. Nec à ieiunijs regularibus eximebat se vnquam, nec ægritudine laborans, alijs quàm cibis Quadragesimæ vtebatur, dicere consuetus: carnis languores non carnium esu, sed spiritus vi deliniendos. Nec corpus cum blandirijs tantummodo, & commodis configebat suis, sed spectabiliori hominis interioris crucifixioni vacabat enixiùs. Argumenta erant curarum Sæculi fuga, propriæ voluntatis tyrannidem pro virili frangere, vanæ mundi existimationi ire semper ex aduerso, nec vnquam semetipsum sibi non abnegare. Gaudebat exerceri duris, & asperis. Deposcebat quoque domus munera alijs onerosa, quæque inter Superioris mandata genio conueniebant minus, illa excipiebat iucundiùs. Pluteolus ad librorum repositionem, scamnum è ligno, stratum cum stipula, piæ imagines, nec plures quàm vna & altera, tota erant domicilij supellex. Et tamen paucarum adeò rerum suo vsui concessarum pluries inter annum tradebat syllabum Superiori, vt ab eo demeret quidquid superuacuum existimaret. Cuius prætereà Antistitis directioni in tantùm se committebat, vt ipsa mentis arcana libello per diem consignaret, omniaque nuda illi veritate ad vesperam aperiret. Quæ licet laudes ad obedientiam, & paupertatem pertinere ex æquo censeantur, humilitatem tamen potissimùm in eo efferunt. De se ipso loquebatur, si adesset, quod reprehenderet, de cæteris silebat, nisi occurreret, quod commendaret. Omnium infimus gratulabatur haberi. Cum doctrina polleret, nullum tamen è cedro dignis sui calami monumentis superesse passus est, nisi fortè Institutionem Nouitiorum exiguam & ineditam vsqueadeo opellam, verùm auctoris sui doctrinam perinde exprimens, ac pietatem, aptamque postuma luce, si quempiam tangat Congregationis decor, ac sanctior eorumdem Tyronum disciplina. Feruore licet muto æstuaret, cum tamen adessent testes à singularitate cauebat, solicitè adimaduertens, quid maiorum consuetudines ferrent, quid ratio loci posceret, quid Institutorum vis præscriberet.

beret. Prudentia quoq; plurima valens aliorum sententiã suæ opinioni anteferebat. Si errasse quempiam audiret, minori aduertentiæ defectum tribuebat potiùs quàm voluntatis crimini. Sin autem excusare voluntatem nequaquam posset, oculis in Cœlum erectis diuinam precabatur bonitatem se primùm, alios deinde à noxa consimili auerteret. Erat deinde sublimior, quem in Petro laudares, humilitatis gradus, procul à Superioratuum præeminentijs animus. Etsi quòd ad munerum appellationem spectat, minores, maioresque obiret præfecturas, oportuerit. Conscendendi verò ad superiorem locum partes, quemadmodum & eius optimam in Congregatione temperanda methodum disertè tradit Auctor Thesauri Chronologici Parte tertia, pag. 795. vbi ait. *Vir regimini in paucis natus. Profunda honorum affectatione vellicari quempiam malo tribuitur omini, deteriori verò cum affectatores eorumdem assequutione nimium sibi placent, seque ipsos magnificant; pessimo autem vbi oderunt in ordinem redigi, seu graduum amissionis solo timore agitantur. Petro à S. Bernardo cordi erat demissio, longè aberat ambitionis æstui locum dare. Generalitio pedo cohonestari maluisset alterum, quo ipse dignitatem falleret. Quanta cum modestiæ laude primam Sedem occupauerit, neminem latet. In suum verti probrum aiebat Cœnobitis se multò perfectioribus Monasticas præscribere leges. Neminem non in honore habebat seniorem, inferiorem obuium quemque salutans, paterna beneuolentia ad vnum complectens. Praerat remota prorsus inæqualitate illa affectuum, quæ religiosos Cœtus grauia in discrimina multoties vocat. Solo boni communis, aut spiritualis incrementi studio dignoscebatur Antistes, cæterùm agebat veluti Sodalium vnus. Exempli præstantia, potius quàm vi imperij quæ vniuscuiusque forent partes edocebat, optimè gnarus exempli linguam à barbaris ipsis intelligi, nec virtutem amanti duntaxat acceptam, sed & abhorrenti.* Familiare & ipsi illud Sapientis monitum. Munere eminentes summam decere moderationem, quando vnica auctoritatis norma æquitas sit.

Ad hæc optimam Reipublicæ moderationem cumulauerit ne eiusdem amplificandæ studio commonstrant Monasteria S. Mariæ de Ouille in Normandia, S. Mariæ de Abundantia in Sabaudia, Montisgrossi, & Stafardæ in Pedemontio, ac Florentiolæ in Lombardia.

In Beatam Mariam de Ouuille Prioratum Regularem Canonico-

rum Ordinis S. Augustini, eorumdem Canonicorum Prior Dominus de Bouyn nos induxit an. 1693. nimirum maluit sui propositi inde potius facessere sectatores, quàm claustrale in eo propositum non florere.

Abundantiæ Abbatia elogium deposcit Vespasiani Agatiæ iure; Nostrates postea Gregorius à S. Eusebio dicti, quò & Abbatem præbeat ex Seculari Monachum, & Monasterium exhibeat ex Canonico-regulari Cistercio-fuliensem. Itaque de accessione Congregationi facta vnà cum præcellentis laude Abbatis agemus infra anno 1630.

Mons-grossus Oppidum est Comitatus Astensis quarto ab Asta Pompeia lapide. In eius confinijs cum Aloysius Cribellus Lumelli Comes erexisset Ecclesiam concinnæ satis formæ ad honorem Beatæ Mariæ de Intercessione, & consonum etiam Cœnobium Templo adiecisset, vtrumque Reformationi attribuit anno 1604. Modicam alit familiam pinguioris defectu dotis. Cæterùm statio est ob Cœli temperiem, lautum agrum, collium, & conuallium amœnitatem affatim grata, maximè verò à Religiosis contemplationis, & bonarum artium amore captis planè expetenda.

Abbatiam Beatæ Mariæ de Stafarda in Pedemontio Ferdinandus Vghellus tomo primo Italiæ Sacræ pagina 147. linea 23. collocat in Sabaudia. At in Tuscia, & in Vrbe prò Sabaudis veniunt etiã Pedemontani, ex quo corrupto dicendi modo diligentissimo Scriptori palmare mendum irrepsit. Incunabula Carolus de Vvisch, & Angelus Manriquez reijciunt in annum 1135. cum Franc. August. ab Ecclesia, cuius auctoritati potissimùm defero, eadem exordiatur ab anno 1122. duodennio ante. Auxit lineam Morimundi, colonia deducta ex Abbatia Bellæ-Vallis. De patrimonio consulendus laudatus ab Ecclesia. *A Manfredo*, inquit, *fundatur, & adiuuantibus Sabaudiæ Comitibus, Buscha, & Romagnani, Regulis, Dominis Reuelli, Bargearum, Bagnolij, Verzolij, Solerіarum, Lucernæ, Scarnafixi, & aliorum locorum tot redditibus locupletauit, vt meritò inter præcipuas Pedemontij Abbatias numeretur; nam etsi Abbates diuersis temporibus Droxij, Carpanetta, & Morra Castella, & alia bona alienauerint, adhuc tamen hodie ipsius redditus sex millia ducatorum summam excedunt.* Ædificij quoque nitore, Templi venustate, Odeo ex nuce affabrè cælata, omnium propemodum artium officinis, primæuum Ordinis Cister-

Cisterciensis splendorem, adhuc in præsentiarum iactat, quamuis potiori ex parte ruderibus obruatur. Cistercïensium à solemni adeò Abbatia abeuntium nostros homines designauit successores Alexander Scaglia, Comitis Verrucæ filius, Abbas Sæcularis; comtabilitique diplomate Clementis VIII. à quo tempore illam durarunt incolere, licet vsus inductus serendi circumpositam glebam oryzâ pro tritico, limosis paludibus aerem grauet, & familiæ incolumitati officiat. Enimuerò huiuscemodi incommodum stationis Monachos ad Diui Bernardi vota efformat, efficitque quò magis carne infirmos, eò ad cœlestia spiritu vegetiores. Abbatum Commendatariorum seriem sui nominis, ac virtutis corona absoluit Eminentissimus Cardinalis Cæsar D'Etrè, qui postremus inauguratus, non minus de Abbatia, quàm de nostris Ascetis pro sua animi amplitudine, & pietate plurimis benemereri non desinit.

Florentiolæ Domus duas complectitur ex antiquis Monachorum familijs, alteram Præposituram Humiliatorum sitam in via Emilia inter Placentiam, & Parmam; alteram Prioratum Benedictinorum in agro Placentino cum animarum Parœcia, hanc dictam Basilicam Ducis, & SS. Felici, ac Tranquillino inscriptam, illam verò attitulatam Præcursori Verbi incarnati D. Io: Baptistæ. Vtramque Abbatiæ Castilionis vnitam ab illa seiungendam, ac transferendam in censum Reformationis enascentis censuit Franciscus Sfortia S. R. E. Cardinalis Commendatarius, cum optione erigendi disciplinæ Septa penes quam Nostri vellent, & Curam animarum Basilicæ Ducis regendi vel per se, vel per Presbyterum Sęcularem. Patribus domicilium moliri placuit ad S. Io. Baptistæ de Florentiola. Et reuerà opportunior hæc mansio, quippe viæ Romanæ frequentia, nobilis situ Oppidi, diuite agro, vastis pomerijs, domesticis piscinis, ædium etiam laxitate, peristylij, alijsque nunc gaudet commodis, quorum momento artium licæum studiosæ nostræ pubi nunquam non aperit, & Comitiorum Generalium Patres conscriptos excipit quàm frequenter. Habet nunc Abbatem Iosephum Vrsinum, Romano-Pedemontanum, virum, sicut inclitæ Sfortiadum, & Vrsinorum genti coniunctum sanguine, ita religionis in Deum, & benignitatis in restauratam Diui Bernardi Sobolem hæredem eximium.

Iam verò Petri virtutes, Sodalitij extensionem, aliasque regiminis

præ-

præstantias complere fas est veraci narratione consimili Historiæ Marci Syri ex Monacho captiui, iterumque post captiuitatem Monachi, quemadmodum tradit cum Theodoreto, & Hieronymo, Annalium Ecclesiasticorum Auctor Cardinalis Baronius. Conuersus Siculus in Monasterio S. Pudentianæ Pharmacopolam agens, repetita postulatione instabat pro migratione ad Camaldulenses. Petrus Generalis Superior missionem deprecanti diù præbuit aures surdas. Laudabat magis vocationem suam constanter impleret. Monasticam quamcunque disciplinam, Spiritu Sancto dictante erectam, ducere currentes ad perfectionis metam. Callidum dæmonem artes suas decora pietatis specie prætexere. At ille prensare perrexit Antistitem, vt cęptis insistens abeundi potestatem extorserit potiùs quàm impetrarit. Abijt ergo. Sed Eremo Camaldulensi nomen daturus, Panormum antea petere constituit. Degebant illic parentes consalutandi semel priùs quàm perpetua se clauderet solitudine. Iter habens incidit in victitantem infami Christianorum mercimonio. Mortalium vaferrimus obuium blando alloquio complectitur, beneuolentiam simulat, domum exhibet, prandio admittit. Amota post refectionem mensa fingit debere se se quantocyus egregiæ cuidam piscationi. Confluisse illò alios quamplures. Velle & ipsum habere comitem. Fruituros simul curioso aspectu ingentis, ignotique cuiusdam piscis trahendis mox in retibus conclusi. Pergunt simul, alijs dolo itidem captis iunguntur, quos omnes Turcæ Trierarchæ latitanti intra sinum rupis propè adiacentis venditor iniquissimus prodidit. Abductioni in seruitutem accessit durior appendix coactio ad triremes. Ea mitior videri poterat, quippe atrocior sequuta haud diù post alteri hero venditio, Siculo quidem, sed impio Christiani nominis desertori, cui fortunæ bonis inter Turcas locupleti erant ruri pernobiles greges equorum curæ noui mancipij illicò demandati. Infelix Monachus nactus in solitudine vitæ religiosæ specimen aliquod leniebat infortunium æmulatione monastici moris, recitatione precum, victus parsimonia, elongatione à turbis, &c, quod ipsi apprimè dulce, suauissima Iesus; & Mariæ nomina arborum corticibus insculpendo. At Dominus, illoque studiosiùs vxor famuli cum Religionem, tum votam in Cœnobio pudicitiam periclitabantur quotidie consortij allicio, opum sponsione, intentatis etiam minis, nisi ad Saracenos transiret.

Serui-

Seruitutis calamitatem, & supra seruitutem exosas in Religionem, & castitatem insidias quadriennio perpessus, restituere se Monasterio maturè tandem deliberauit. Verùm initurus fugam quantis obsidebatur periculis? Heri nec oculos; nec indignationem facilè declinasset. Salua ne vita detento in fuga? Agrorum prætereà, syluarumque amplitudo latè protendebatur ad oram vasti fluminis. Traijciendo linter deerat. Vado erat transnatandum. Sed graue excussuros iugum quæ remorantur discrimina? Traiectioni se quotidiè parabat, generosum equum conscendens, & paulò vltra gurgites intra altiores procedens, retrahensque gressus, donec equo eodem pro die condicta benè enutrito, inuocatoque Mariæ patrocinio totam aluei profunditatem tentauit, euasitque feliciter ad vlteriorem ripam: Superato amne magnis deinde itineribus ad mare contendit; vbi reperta naui ventis dante vela, illa conscensa, Panormitano litori appulit. Parentibus consalutatis enarrauit quales diræ inconstantem in arrepta Monastica viuendi forma fuissent insequutæ. Dei ope libertati restitutum se noscere. Velle quantocitiùs Claustro se reddere, à quo discesserat, reddiditque, & in eodem præteritæ leuitatis dolore, lacrymis, singultibus, constantique conuersatione ad mortem vsque litauit.

Sed ad Petrum reuertamur, altero secundi Generalatus anno, & à Congregationis regendo clauo, & à mortalitatis deportanda sarcina exemptum. Eius vitæ caracter mors ipsa fuit. Cuius enim soliciti ores curæ intra feruentes Crucis amplexus semper constiterant, obitus incidit in ipsam pœnalem Saluatoris hæbdomadam, visus commori Christo, qui Christo conuixerat. Seueriori pœnitentia sublatus planè creditus est. Cum enim toto magni ieiunij decursu grauiùs, quam antea sustinuisset macerationum, & vigiliarum pondus, diebus postmodum mysterijs nostræ reparationis sacris Dominicæ passioni se se conformandi votis eò vsque flagrantibus incensus est, vt dum cruci se se configere feruentiùs exoptaret, requieuerit, carne solutus, in Christo 22. Martij anno 1606.

1610. *Placidus Bernarducci, Italus*. Solemni votorum dictione in Fulienses iurauit leges ad S. Pudentianæ de Vrbe anno 1589. vertitque auitum agnomen in Monasticum *Placidi à S. Mauro*. Ab eo tempore semper quidem præbuit Cœnobitam suauissimæ consuetudinis, vnde inuenisse Placidi nomen quis crederet, simplicitatis planè

planè columbinæ, innocentiæ propemodum infantilis, probatissimæ obedientiæ, profundæ humilitatis. Sed charisma in eo præcellentius fuisse charitatem in Deum, & proximum nemo ibit inficias. Virtutum cæteris supereminenti, diuino amori excolendo, addictiorem nauare operam demonstrabat, institutionis asperitates, ieiunia, vigilias, labores, solitudines deuorare dilectionis feruore, in acerbiores semper propendere, ipsis fidei Athletis martyriorum inuidere lanienas, vnàque stare animos conijci in carceres, distorqueri equuleis, à feris discerpi, gladijs proscindi, igne consumi, mergi fluctibus, tantùm salutis Auctori, dolorum Regi, amori suo conuiueret, commoreretur. Nec facilè siluerim, quæ præterea amoris momenta inter orandum, contemplandumque exhibebat, maximè cum oculis obuersabatur Dominicæ passionis imago. Longior tunc semper precatio, nimirum postquam ante diuinæ bonitatis aram semel in genua procidisset, surgere iam non valebat, defixus admiratione tantæ victimæ pro incauti hominis reparando lapsu conflagrantis. Omnia simul ardor habebat. Ardebant oculi à patientis Numinis conspecta flamma succensi. Ardebat cor præ concepto in meditatione igne concalescens. Ardebat æstu interiori erumpente foras & ora. Ardebant ipsæ preces plurimo singultu, arcani indice incendij. Ardebant manus corpori excruciando armatæ ferro, & multò verberum vulnere infixa cordi vulnera lenituræ. Aliæ adhuc partes in dilectionis sensibus incitatissimo dilaudandæ. Illæ erant, doloris morsu pungi cum ineffabilem bonitatem, ingrauescentibus mortalium flagitijs, magis magisque in dies lædi inaudiret. Ad auertendam offensam, ad flectendam clementiam, conduplicare ieiunia, interponere preces. Silere, aut instituere de Deo sermonem. Rapi ipse mentis excessu in loquendo, inflammare Audientium pectora, ac ignitis veluti telis ferire. Conari coram Deo ambulare. Quidquid humanorum actuum perageret, ac si ille præsens adesset peragere. Ad eius se præsentiam facilè reuocare. Non priùs ire cubitum, quàm aliquo ad dilectionem fouendam stimulo imbuisset mentem, vt nunquã non dicere posset: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Sancitam votis paupertatem sanctiùs colere, quòd in summo, & vnicè concupito bono Deum haberet, & omnia. Contumelias, & obiurgationes generoso concoquere animo, est enim charitas patiens, benigna, omnia fert, omnia sustinet.

Iam

Iam verò à Dei amore ad effusam etiam in Sodales charitatem. Pleno decennio Abbatiæ Fuliensis infirmarium exercuit. Et qualem amabò? omnia vnus erat. Ipse cibos ægroto ingerendos, ipse decocta iulapia, electuaria medicè sua manu parabat. Ipse eluebat lixiuio linteos, scoparius euerrebat cellulas. Cum vel vnus ægrotaret, sola Valetudinarij, & Chori terebat limina. Et diei quidem decursu nunquam à languentis latere abscedebat, noctem verò si non ducebat insomnem, strato ad lectuli pedes explicato, excubabat etiam obdormiens. Alto etiam in conticinio, rupto somno, lectulos obire consueuerat, algentes ignitabulo calefacere, siticulosos modica adaquatione refocillare, explorare pulsum, bolos medicatos hora condicta exhibere, varioque alio solatiorum opportuno obsequio tempestiuè adesse, iterumque accumbere. Grauiùs iacebat quispiam? affectu supra paternum versanti in salutis discrimine inuigilabat. Obseruabat, edocebatque Medicum singula morbi syntomata. Quandò cibum per se non sumeret, ori ipse immittebat. Si prorsus respueret, varijs bellariorum condimentis sua manu elaboratis restaurabat. Atque huiuscemodi fuit ornatissimi Monachi conuersatio, quam ille inter Charitatis actus mirificè traductam, feruentissimè etiam absoluit, diuini amoris flamma in mortis confinio vehementiùs exardescens. Ipsum autem amoris incrementum à cœlesti lumine fuit, vnde illi etiam innotuit extremus vitæ terminus, non visurum scilicet mortem, nisi priùs elucesceret S. Mauri tutelaris sui festiua solemnitas. Animum perinde erexit certa spes potiundi in proximo immenso bono, cuius amplexus tantoperè exoptarat. Visus ex tunc abalienari passim à sensibus, impotens ferendæ intimi amoris flammæ, impar & ad sustinendas agonis inducias. Nihil ei suauius diuinarum concentu laudum, vt etiam, præintonato *Deus in adiutorium*, adstantes ad consuetam Horarum Psalmodiam inuitaret, & concinentibus alterna versiculorum decantatione responderet. Ad diuini epuli intra cubiculum illationem, haud facilè dictu, qua vi, viribus licet exhaustus, assurrexerit, quàm promptè prosilierit in terram, quàm tenerrimis animi sensibus, quibus deliquijs, quibus suspirijs amoris magnitudinem effunderet, quàm blandis verbis ad se venientem, vt ad se raperet exorauerit, id quod obtinuit impetrata dimissione è mortalitatis domicilio 15. Ianuarij non multò post à viso eius salutari, adorato, & suscepto.

1610. *Dionysius à S. Bernardo, ex Heluetia* oriundus, Donatorum nostrorum, qui videlicet simplicem obedientiæ promissionem emittunt in Congregatione, simplici, & prompta obedientia dilectus Deo, & hominibus, silentij, & mortificationum omnium amator feruentissimus, aliquot annos Congregationem ædificauit exemplo. Quadam autem die cum in oratione coram Deo spiritum totis viribus effunderet, audiuit vocem de Cœlo dicentem sibi: *Dionysi frater, dispone conscientiæ tuæ, morieris enim breui: dimissa tibi sunt peccata*. Retulit ipse quod audierat, inter confessiones Superiori suo; qui se hæc paruipendere simulauit, sed octo post diebus ægrotauit, & Sacramentis maxima deuotione, & insolita ædificatione sumptis, inter paucos dies è vita migrauit in Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Vrbe.

1611. *Godiferus à S. Mauro*, natione *Gallus*, ita in corpus suum pœnitentiæ virtutis ardore sæuiebat, vt vsque ad multam sanguinis effusionem disciplinas protraheret. Ita deuotus ad sacrum altare sacrificaturus appropinquabat, vt non accederet, nisi prius ante Crucifixi imaginem per horæ, & amplius spatium in contemplatione tanti mysterij prostratus permansisset. Ægrotos, & Agonizantes maxima charitate, & exhortatione erigebat. Omnibus desiderium æternæ vitæ, & dissolutionis è corpore altiùs imprimebat. Obijt Burdigalæ tertio Ianuarij 1611.

1613. *Ioseph à S. Germano*. Eius gesta paucis tangit Antonius à S. Petro Cap. 9. vbi disertiùs acturus de Patre Eustachio Asseline socio Sorbonico, raptim præmittit Ecclesiasticis alios redimitos Infulis, alios illustriorum Academiarum præcinctos laureis, eosdemque cœnobiticæ Institutionis deuotè amplexatæ decore nobiliores, ac laude. Inquit igitur:

Nostra B. Mariæ Fuliensis Congregatio duos hac tempestate clarioris famæ dedit viros, non Episcoporum, sed Doctorum ex Canone, qui iuxta D. Paulum pastorali conspicuis dignitate proximè accedunt, eosque si non Sanctos, inclitæ tamen virtutis, celebres Theologos, Auctores sapientissimos, Claustralium reformatores familiarum, eximiæ, imò perfectæ consuetudinis rumore præclaros alterum Romæ, Parisijs alterum. Delibauit ille natalem lucem Siracusis in Sicilia, & dictus in Sæculo Ioseph Minittus, postquam in contubernium

vitæ

vitæ associauit se Cistercij Reformati sectatoribus appellatus est *Ioseph à S. Germano*. Theologiam commentatus, vigilias respersit profunda doctrina, excellentique religione, quorum celebritate nominum non vulgarem existimationem Romæ sibi fecit primò apud Vaticani Senatus eminentes Purpura Patres, deinde & apud Paulum quintum summum exercentem Catholici gregis Sacerdotium. Magni ideò momenti expediendis rebus adlegitur, & à Sanctitate sua sedere iubetur Consultor doctissimus inter summates viros Sacrarum Congregationum rerum arbitræ Vrbis. Solus ipse fuit, qui suspiciendo suæ vitæ exemplo, suis curis, suis adhortationibus, suisque contentionibus Sanctæ Ceciliæ insigne Parthenium disciplinæ splendori restituit. Summo tandem concitatus desiderio captandi ex subiectione obedientiam, & ab humilitate latebras, Religiosi status concedere in gremium constituit. Ex Reformatis autem Ordinibus, cuius potissimùm Schema susciperet diù cum maturasset, in nostræ societatis sectanda ratione vota defixit. Sodalitium deposcentis exploratam voluere nostrates vocationem rigoroso integri biennij periculo. In Censum tandem illatus, vti sanctis clarueràt in Sæculo moribus, ita Angelica effulsit indole in Claustro. Angelica inquam indole. Enimuerò homo erat cibi parcissimus, nunquam recumbens dormiturus in lectulo, sed modicum duntaxat capiens somnum, sedendo, & continuo ferè mentis raptu Deo adhærens. Paucos postquam annos extrema in vitæ austeritate durasset vna, perpetuaque mortis extasi ad Deum perrexit. Ad elati diripienda spolia crines, vngues, barbamque mortalium pietas conuolauit, demirata Sanctitatem, & expositi in feretro non rigere carnes, vt demortui, sed mollescere adhuc, ac si viueret.

1618. ***Antonia de Orleans***, cum qua ad suæ incrementum gloriæ ita diuina peregit bonitas, vt puella sacra cogitaret septa, sed traderetur nuptui, nupta autem virum breui conclamaret, & dicatarum Deo fœminarum peteret Claustra, ijsque conclusa, floreret primò Fuliensis alumna restaurationis, mox assumeretur in Fontis-Ebraldi Antistitam, seu ad obseruantiæ cultricem in Professionis Benedictinæ longæuo iam Ordine; tum demum erecto cœtu Virginum primitiuam profitentium Regulam, euaderet in Benedictini eiusdem propositi ampliatricem egregiam. Fœminam inclitam, quam ex nobilissima Principe religiosissimam Sanctimonialem laudibus efferunt Hila-

 rion

rion à Costa Heroinarum illustri Tomo primo, San-Marthani Fratres in sua Gallia Christiana, itemque in Genealogica Galliæ Regum Historia, Arturus à Monasterio in Sanctarum, ac Beatarum Gynæceo mulierum, Catellus Historiæ Occitanicæ lib. 2. pag. 96. Petrus à S. Romualdo in Thesauri Chronologici Tom. 3. R. P. Chrysostomus Henriquez in Menologio Cistercij 22. Aprilis, dedere genitores pręclari Leonorus Aurelianensis, Dux Longauillæ, & Estouteuillæ, Marchio Rothelini, Comes Noui-castri, Dunensium, ac Tancaruillæ, Princeps de Castellaillon, & Maria Borbonia, nata Francisci Borbonij Comitis S. Pauli, ac Adriannæ Estouteuillæ Ducissæ. Leonorus ad eximiam bellicæ virtutis laudem constantem in Gallorum Regem adiunxit fidem, obsequio adeò probato; vt in cruento ad Sanctum Quintinum prælio, quando copioso cum agmine, Gallicæ quoque nobilitatis flos integer hosti cessit, quà fusus, quà prostratus, quà captus, detentus ipse à milite Hispano, libertatem postea comparauerit octoginta argenteorum millibus; & diuturnis subinde expeditionibus fractus, in Castro tandem Blesensi diem obierit suum ætatis anno tertio supra trigesimum, dum à longâ Rupellæ obsidione rediret. Maria verò cum semel & iterum iam antea nupsisset, & primo quidem toro Ioannis Borbonij Angiæ Ducis, altero autem Francisci Cliuiæ, & Niuerni Ducis thalamum honestasset, tertio postmodum Connubio desponsata Leonoro Aurelianensi, auitos etiam illius titulos cumulauerat comitatu S. Pauli, & Ducatu de Estouteuillæ, paternis nimirum, maternisque ditionibus, quibus vnica proles hæreditario iure successerat. Coniugium sublimiori euexit laude soboles ipsa, fęminea potissimùm, generis supra splendorem, mundanæ supra culmen potentiæ, animi opibus, pietate in paucis commendatior. Et quidem cum martialis planè indolis Henricus Longauillæ Dux, & Franciscus Comes S. Pauli natu Maiores exercituum præfecturis, Prouinciarumque moderatione, plena honoris, & existimationis aura velificarent ad gloriam fecundissimè, Leonorum autem Principem de Castellaillon tertio editum loco primam post pueritiam intercepisset fatum, è puellis Leonora tantum Comitissa de Turrij, Domina de Montignon ætates in Sæculo expleuit suas, nam tres reliquæ, triumphata rerum humanarum specie Claustralibus se disciplinis mancipârant, Antonia, de qua hic sermo, præferente cæteris facem. Parisiorum Lutetiæ natali expo-

posi-

posita luci, audijt lustrali ex vnda Antonia, explicauitque continuò indolem vti à mundo oblectamentis abalienatam, ità studio vitæ à mundo sequestris succensam. Sanè in primo æui flore permittebat quidem se se cultus splendori, Aulæ celebritatibus, Nobilium illecebris puellarum, sed permitteret adigebant genus Galliæ Regibus sanguinis propinquitate coniunctum, Principum exemplum familiarum, genitorum imperium. Intimo affectuum sinu complexa nunquam rerum amorem caducarum, capiebatur potius sacrarum Deo Virginum Religiosis Collegijs, tacita à curis vita, Virginitatis decore, consuetudine ad sanctiorem instituta probitatem. Earumdem etiam immixta Gynæceis, amplexata contentiones, nuntium misisse mundo, nisi à parentibus splendido pacto coniugio, nubere oportuisset Carolo Gondio Marchioni Bellæ-Insulæ, Filio primogenito Alberti Gondij Ducis de Rhets, Franciæ Paris, & Marescalli. Sed egit leniter Numen, disposuitque iniret Vidua rationem vitæ, cui Virgo iam anhelasset, & Monialibus Barrerij institutione imbutis eximia appendix accederet. Carolus, quocum arctissimo charitatis vinculo conuersabatur, paucos intra annos mortalitatis compleuit actus, ingentis expectationis Dux, ignita extinctus glande, dum, pylocastro admoto, perfringere tentaret fores Montis S. Michaelis in Normandia, & Regias copias in modicam, sed munitam inducere Ciuitatem, strata generosè admodum semita.

A Mariti optimi acerbo funere tres dedit Antonia annos implendis Coniugis amantissimæ partibus, in primis religioni instillandæ tenero pectori Henrici Gondij vnicæ prolis ab eo susceptæ. Tum demum vitæ regularis studio sollicitiùs velicante fœminam compede maritali solutam, cedere constituit Sæculo, adiecitque animum Tolosanæ Fulientinarum mansioni celebri de fama notæ. Maturato consilio, vnique duntaxat Priori S. Bernardi Parisiensis D. Ioanni à S. Malachia communicato, paucis comitibus, Tolosam iter intendit. Sed festinanti ad pœnitentiæ optata signa ecce vndique bellum. Suo diuelli natam à sinu conqueritur exulcerata dolore Ducissa parens; Expugnando pectori epistolas admouet blanditijs, minisque exaratas. Increpat illam adornasse à Sæculo fugam, quæ non foret sine acerbo vulnere Matris. Austeriori se deuouisse instituioni, quàm Principis innutritæ delicijs vires ferrent: Reclamant cum Protopræside, cunctoque

ctoque Tolosano Senatu Vrbis moderator Dominus de Villaloin ablegasse cum mundo naturæ, ac sanguinis iura. Esse sæuitiæ speciem abscedere à matre effœtæ iam ætatis, relinquere vnicam prolem in annorum lubrico positam. Cogitaret se filiam, auscultaretq; matrem; Cogitaret se matrem, consuleretq; filio. Bernardus Deschaux, Baiocensis Episcopus, Cęsaroduno aduenièns, flectere imbutam insigni constantia mentem adlaborat. Si quid in huiusmodi casibus sacri valent adhortamenta viri, & graue consilium, adhibet ille non segniter. Cunctetur saltem, deposcit, cum Regis Christianissimi, consanguineorum etiam Principum sententiam. Henricus Gondius Parisiensis Antistes, prȩterquam quòd addubitabat aliquid in Antonia Cognata leuitatem peccasse, non satis æqui, bonique consulebat elati fratris Viduam Coniugem secessisse in Claustra, filio relicto impubere. Ipse Fuliensium Prouincialis D. Philibertus à S. Pudentiana diuertere à proposito adnititur, negata admissione ad facienda disciplinæ stipendia.

Quænam loco non dimota constantia? Sed afflatu superno obfirmatior erat Antonia, quàm vt haustam exueret mentem. Pœnitentiæ lagenam vberiori cum lacryma, flagrantioribus votis deprecatur. Obtestatur indormituram se potius nudo Templi solo, quàm recessuram ab ineundæ Religionis vestibulo. Ergo non volucris, sed solidi probata ardoris, Prouinciali ab ipso in Parthenium inducitur adiungenda sodalibus. Quæ vbi felices sibi velitationes primas, factamque potestatem donandi institutioni nomen gratulatur, periclitantibus tenacitatem propositi animos obiecit à delibata victoria fortiores. Albam tunicam, quam fortè aspexit, continuò rapuit, induitque. In comas etiam, ferro ipsa arrepto, inuolauit suas, præciditque, edoctura luculenter adstantes; exciderent à spe illam à proposito reuocandi, quando cernerent æquè decidisse à sinu fallacem contempti Sæculi amorem, ac è capite despectam cultioris comæ vanitatem. Tum crucis inter amplexus teneros diuinæ sponsæ vsurpauit affectus: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*. Et ne dimittere cogeretur vel inuita, significauit Clementi VIII. sequutam se vocantem Deum, perijtque summa pro auctoritate mandaret, ne abduceretur è Claustro, id quod summus Catholici gregis Pastor benigne admodum se acturum respondit literis, quæ inquiunt:

Dile-

Dilecta in Christo filia Antonieta Aurelianensi de S. Scholastica moniali Clemens Papa VIII.

Dilecta in Christo filia salutem, & Apostolicam Benedictionem. Bonas nuptias expetisti, & bonam partem, imò optimam elegisti filia, quæ spretis fallacis huius Sæculi splendoribus, & caducis bonis, Christum Dominum Tibi sponsum adoptasti, & quemadmodum literis tuis nobis significas, te Deo dicasti in Monasterio isto Sanctæ Scholasticæ Tolosæ, vbi ancillæ Christi Instituti Fuliensis piè, & religiosè viuunt, & sancto Dei Spiritu incensæ regularem disciplinam in charitate Christi diligenter obseruant. Gratulamur tibi filia hoc tam insigne Dei donum, qui te è fluctibus, & tempestatibus mundi eripuit, & in portu sanctæ Religionis collocauit, vt salues animam tuam, & post breues labores, qui non sunt condigni ad futuram gloriam, gaudijs sempiternis perfruaris. Sis benedicta à Deo, & à nobis, & ipse Pater misericordiarum, qui te vocauit, adaugeat in te dona sua, & det tibi spiritum perseuerantiæ vsque in finem. Nos vbi opus erit, tui sancti propositi patroni, & defensores in Domino erimus, scripsimusque Venerabili fratri Episcopo Mutinensi nostro apud Christianissimum Regem Apostolico Nuntio, vt, vbi vsus venerit, tibi sit adiumento, ne tua spirtualis quies perturbetur. Tu interea ora assiduè pro nobis ad Dominum, vnà cum istis sororibus tuis in Christo, & nos tibi, atque illis nostram Apostolicam Benedictionem benignè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 29. Ianuarij anno Iubilæi 1600. Pontificatus nostri anno octauo.

Siluius Antonianus Cardinalis.

Adhæsit itaque Christo Princeps triumphalis cognati vi sanguinis, mundi oblectamentis, obnitentium sententijs, vernanti in ætate, annos quippe nata tres & viginti, egregio certamine profligatis. Iam verò quod sanctioribus persæpe votis contingit, vt primo quidem improbatores offendant, ac impedimenta, postmodum autem quà plausibus, quà imitatione attollantur, satam regio sanguine fœminam gloriosum adeò cecinisse à mundo recessum, sicut initio arguentibus non vacauit, ita subinde habuit & excelsæ commendatores mentis, & vestigia præmentes egregia. Lutetiarum Præsul, Tolosa petita, & Antonia audita, secessus Auctorem Deum liquidò agnouit, & Religione iuxta præclarus, ac Infula, laudato proposito, firmitate auspicata,

postu-

postulato precum suffragio, discessit, lacrymis etiam præ gaudio exundans. Mater si tanto cum doloris sensu posthabuisse Sæculum Claustro acceperat, vbi mundanæ amplitudinis præ æternitatis comparatione flocci faciendæ domesticum, adeoque nobile specimen habuit ob oculos, vitam christiana pietate ornatiorem exinde traduxit, clausitque 1601. apud Pontisaram, dum conscientia diligentissimè expiata, spectatis alijs deuotionis exercitamentis aperiret sibi viam ad Cœlum Anno Iubilæi reseratum. Ex sororibus, Leonora tantùm, calces rebus non illisit humanis, legibus nimirum præpedita connubij; at Catharina, & Margarita strictioris Carmeli leges suscepere seruandas, aduocata ex Iberia in Gallias prima eiusdem restaurationis Colonia, & in vico ad S. Iacobum nobili Cœnobio Lutetiæ donata.

Præclaros hos motus excitauit sororis exemplum, quæ postquam mundi,suique gloriosa planè deuictrix,disciplinæ Sacramentum enuntiauit, generosos adeò spiritus ad religionem excolendam gestare in pectore comprobauit, vt post consuetudinem inter nostrates Sanctimoniales exactam, primò Clemens VIII. & deinde Paulus V. immigrare iusserint ad solemne Fontis-Ebraldi Cœnobium, ibique vehementius res affectare diuinas. Pauli Pontificis literæ inquiunt.

Dilectæ in Christo filiæ Antonietæ Aurelianensi Moniali professæ Monasterij S.Scholasticæ Ordinis Cisterciensis Ciuitatis Tolosanæ

Paulus Papa Quintus.

Dilecta in Christo filia salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum Dilecta in Christo filia Eleonora Borbonia Abbatissa Monasterij Monialium Fontis-Ebrardi sub regula S. Benedicti ob eius ingrauescentem ætatem octuaginta circiter annorum in qua constituta existit, agnoscens se regimen, & gubernium eius Monasterij, quod valdè insigne & caput ordinis Fontis-braldensis, & in quo magnus Monialium reperitur numerus ex nobilibus Regni Franciæ per seipsam commodè gerere, & exercere non posse, cupiat te, quæ ipsius Eleonoræ consanguinea existis, & quæ pietate, prudentia, & religionis zelo prestas sibi in coadiutricem in regimine, & administratione dicti Monasterij per nos deputari, & super hoc nobis humiliter supplicari fecerit: Nos volentes ipsius Eleonoræ Abbatissæ desiderio aliqua ex parte satisfacere, & ipsius Monasterij gubernio, & administrationi tam spirituali

tuali, quàm temporali prouidere, cum voto etiam, ac consilio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præpositorum Congregationis super negotijs Episcoporum, & Regularium instituta. Te in ipsius Eleonoræ Abbatissæ Coadiutricem perpetuam cum futura successione, vel Vicariam ad annum à die tuæ ad prædictum Monasterium translationis numerandum deputandam vt infrà duximus, prout per præsentes authoritate Apostolica deputamus, Tibique in virtute S. Obedientiæ, & sub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus, vt statim Te ex tuo Monasterio ad Monasterium Fontis-Ebraldi aliquibus pijs, & honestis matronis associata quamprimùm conferas, & ibi, si officium Coadiutricis huiusmodi acceptare volueris, habitum, & regulam Monasticam S. Benedicti dicti Ordinis, prout filiæ eiusdem Monasterij Moniales suscipias, & profitearis, sin autem hoc facere nolueris, saltem per integrum annum in eodem Monasterio habitu tuo regulari Ordinis Cisterciensis retento omnino commoreris, & interim tanquam Vicaria prædicta Abbatissæ prædictum Monasterium in spiritualibus, & temporalibus gubernes, & si contingat dicto anno durante ipsam Eleonoram Abbatissam ab humanis decedere, nihilominus in eodem Vicariæ officio vsque ad finem integri anni perseueres, & si illo expleto ibidem vlterius commorari volueris, nos prius certiores facies, vt super eiusdem Monasterij regimine mature deliberare valeamus. Quocirca eidem Eleonoræ Abbatissæ, & dilectis in Christo filiabus Monialibus eiusdem Monasterij Fontis-Ebraldi per præsentes districtè præcipiendo mandamus, vt Te, si habitum dicti Ordinis sub eadem regula S. Benedicti suscipere volueris, ad munus Coadiutricis cum futura successione, sin minus ad munus Vicariæ eiusdem Monasterij dicto anno durante recipiant, & admittant, Tibique respectiuè faueant, obediant, & assistant, ac dilectis filijs Superioribus tuis, necnon Priorissæ Conuentus tui Monasterij Sanctæ Scholasticæ similiter præcipimus, & mandamus vt Te mandatis nostris pariturам istinc statim ad Monasterium Fontis-Ebraldi liberè transire permittant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac vtriusque Monasterij, & Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Monasterijs, & Ordinibus, illorumque Superioribus, & personis in contra-

 rium

rium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus, & singulis eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem quod finito anno prædicto si in eodem Monasterio Fontis-Ebraldi permanere volueris, Te in officio Coadiutoriæ cum futura successione huiusmodi vlterius ingerere, vel illud inceptum continuare nequeas, nisi desuper obtentæ prouisione Apostolica ad id requisita, alioquin præsentes literæ quoad Coadiutoriam huiusmodi nullius sint roboris, vel momenti, tibique minimè suffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Iunij 1605. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

Mandatum, cui refragari nefas, attemperauit Pontifex spe adiungendi quidem vigilias suas solicitudinibus Abbatissæ Eleonoræ Borboniæ, cæterùm non deponendi Fuliensem viuendi methodum, nec priuato cultu, nec habitus forma, earumdemque regrediendi ad Claustra infra anni spatium. Sed omnia penè præfecturæ momenta illius zelo actutùm Eleonora commisit; cumque temperanti habenas operam nauaret à perfectioris obseruantiæ fragrantia, ac maturioris prudentiæ laude planè egregiam, prouincia ad annum imposita, propagata illi ad septennium. Sed nec septennio expleto compos dimissionis fuit. Quòd enim intelligeret Summus Pontifex res Fontis-Ebraldi multum accepturas detrimenti, si tanta destituerentur Matre, Antoniam iussam se se componere ad earumdem viuendi, vestiendique rationem alio diplomate emanato Romæ anno 1606. renuntiauit Eleonoræ Coadiutricem cum successione ad regimen. Obtemperauit illa, velut ad Dei vocem, sed ita obtemperauit, vt recurrente in animum austerioris vsu Instituti, demissionem à demandato munere impetrare satageret, prout an. 1610. tandem impetrauit opera Francisci Cardinalis Ioyosæ. Quare Eleonora non multò post, nimirum anno 1611. è medio sublata, ipsa proximè consalutanda in Antistitam, animum aperuit à splendida dignitate longè abalienatum, nec euinci potuit vt complecteretur cùm sodalitij precibus, tum adhortationibus regio ei nomine factis ab Armando Plessiaco Episcopo Lucionensi, qui ideo impleret eius locum Ludouica Borbonia curauit.

Abre-

Abrenuntiata Fontis-Ebraldi moderatione transijt à disciplina expolienda in Cœnobio celebris etiam Ordinis Capite, ad erigendam Congregationem Sanctimonialium, nomine quidem nuncupandam à Sancta Maria de Monte-Caluario, & S. Scholastica, conuersatione autem componendam ad amussim primitiuæ Regulæ Sanctissimi Cœnobitarum Legislatoris Benedicti. Primum ipsarum contubernium cum Romanæ Sedis approbatione Pictauiensi in Vrbe collocauit, & in ipso, matura Cœlo, desijt esse in humanis anno Orbis Christiani 1618. septimo Calend. Maij. Decubuit autem haud secus in morte, ac in vita Fuliensis studiosior nominis. Voluit, quippè desumerentur ex eorundem sancitis declarationes Regulæ Magistræ in contubernijs suæ Institutionis quàm sanctiùs adimplendæ. Conscientijs cùm suæ, tùm & sodalium non alios adhibuit, nec adhiberi commendauit Procuratores, nisi è nostris hominibus, quos habuit, quandiù vitali ipsa respirauit aura; nam post illius fata Patres ipsi deprecatas vltra amplecti vigilias renuere. Cumque suprema sacra, deferente Ioanne à S. Martiali, virorum familiæ, quam Pictauij habemus, moderatore, suscepisset, mortalitatis exuuias perindè ac animi studia diuisit inter Pictauienses suas Montis-Caluarij filias, & Tolosanas Fuliensis normæ sorores, nam corde illis legato, corpus voluit istis contingere, quod ideo iussis apponendum cineribus, in capsula illuc plumbea delatum.

1620. *Ioannes Gualtheronus*, in euectione ad Principem Magistratum multis iam dilaudatus, pluribus hoc loco commendandus est, quò exhibeatur totus. Honesta familia Catalauni ad Ararim fluuium genitus agebat laudatissimum causarum Patronum, cum à fori plausibus, ad claustri silentia, Deo vocante, abducitur. Congregationi autem sub eiusdem initio adiunctus est, initia ipsa consolidaturus, ampliaturus egregiè religione, zelo, muneribus. A militiæ authoramento, cum de priuata eius virtute vulgare nihil rumor afferret, de publica etiam nihil mediocre spondebat, excitabatque præclaram de illo opinionem. Sed quis fuerit post abdicatum Sæculum Ioannes, vel ex eo dignosci potest, quòd Venerabilis Abbas Barrerius illum existimauerit dignum, qui, vix egressus Institutionis rudimenta, communes ingrederetur curas, regeretque Sermonetanam domum Congregationi recenter addictam.

Henricus Caietanus Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalis cum suam Congregationem (hoc nomine Sodalitium à se prædilectum Princeps amplissimus dignabatur) in Vrbe benignis propagasset auspicijs, eandem donandam censebat Abbatia S. Stephani apud Sermonetam, Campaniæ Romanæ Oppidum sua nobilitate Ciuitatis titulo passim condecoratum, & Excellentissimæ Caietanæ Prosapiæ splendidam ditionem, primumque titulum. Sed Abbatia erat æui, conditorisque incerti, ac aliàs quidem vastissimi agri, multorumque castrorum dominio gaudens, verùm ea tempestate obruta squallore, orbata incolis, opibus verò non quidem orbata, sed translatis ad Commendatariorum commoda. Inde migrauerant Græci Ascetæ, inde solum vetterant Equites Templi. Ad Cardinalis itaque vota destinatus Ioannes, qui promouendo nostratum Coloniam, Ecclesiæ simul sacram redderet elegantiam, & mansioni restitueret regularis schema domicilij. Id ille dum pro virili præstare abundè adnititur, inculpato vitæ tenore sui, totiusque Cœtus celebrem cumulauit opinionem, desiderium exciuit, beneuolentiã cõciliauit populi, Caietanæ item gentis, potissimùm autem Cardinalis Henrici. Itaque ineunte seculo, in quo viuimus, amandata eò propago. Et post non multum quidem temporis sedi minus commodæ valediximus, defectu crediderim dotis. At suaui Congregationis odore, etiam post recessum, ibidem inhalante, anno 1633. operæ pretium fuit relictum claustrum inhabitare secundò, inuitante eadem Caietana familia.

Consimili præterea solidæ virtutis plausu, qui maturandis Reformationis sancitis sex delegere præstantis notæ Patres, in illum etiam contulere suffragium, admonuerintque grauissimæ condendarum Constitutionum prouinciæ. Sed nemo splendidiori eum designatione condecorauit præ sanctissimæ memoriæ Clemente Octauo, qui ad Monasticum ius toti Congregationi dicendum ipsum, Barrerio adhuc in viuis agente, prouexit. Et postquam trium decursu annorum supremam Præfecturam summa cum laude gessit, ampliori adhuc cohonestatione eximiam in virum præclarum mentem comprobauit. Enimuerò ad habenas secundò regendas Pontificia pro potestate delegit iterum, vt Congregationi ille spectabilior accederet Archimandrita, qui regimine satis, superque notus dudum posuerat fasces. Seu autem Prior, seu Sexuir, seu Generalis Vicarius in illud incubuisse

com-

commendatus est, vt hominem exprimeret ad exactiores munerum calculos efformatum.

Primam à religione laudem capio. In Sanctos insigniter pius subsellijs eondentium leges proposuit agnominum abdicationem Secularium, vt qui Diuorum æmulaturi gesta, agnationibus, domibusque abrenuntiauerant, non à stirpium cognomentis, sed ab ipsis Diuorum nominibus distinctam appellationem assumerent, singulique singulos impensius venerarentur, ac essent habituri cum initæ conuersationis norma, nouum etiam nomen, præsidiumque firmissimum. Consilio autem extemplò amplexato, & considentium suffragijs inter sancita illato, cum à Cælituum alijs alias denominationes pro deuotione cæteri acciperent, ipse interior comparandis votæ professionis subsidijs, maluit legere in Patronum luculentum vitæ Monasticæ sidus, & *Ioannes à S. Hieronymo* dici. Multus profectò in oratione, quæ mente, in prece, quæ ore concipitur. Quòd illa solitudinis amantior, sibi, alijsque optatum deesse commodum noluit, effecitque quà sui calculi, quà rationum pondere antiquaretur mos Cisterciensium vna omnes maiori in Cella commorandi, inducta lege ædificandi in posterum Dormitoriâ in conclauia distincta, quibus singuli conclusi afflanti auræ supernæ vela in abscondito plena soluerent libertate. Rerum autem cœlestium amor non libare tantùm contemplationis finebat oram, sed altum trahebat in pelagus, mergebatque profundo diuinorum mysteriorum sensu. Abducebatur à deliciarum suauioribus, si ab illo, ad gradus solicitudines euocaretur. Ad Aram facienti ardebant vultus, agentem nimirum cum Numine intima accendebat deuotio. Feriaturus cum Deo, curas seponebat cunctas, & licet Generalatus momentis pro virili insisteret, aderat tamen psalmodiæ regulari nocte, dieque, veluti Monachorum vnus. Vt senex iam capularis, & morbis laborans teneret nocte cubiculum, nec decantationibus antelucanis interesset, sola effecit Comitiorum Generalium auctoritas cum mandato Episcopi Imolensis eorumdem Comitiorum Præsidis Pontificij. Feruorem autem in psallenda laude diuina haud satis explicauerim verbis. Perinde enim ac opobalsami fragrantia totum replet cubile, ita suæ ardorem flammæ per totum effundebat Odeum, vt ab illo incalescerent quotquot sacram laudem concinerent. Si itineribus, vel morbis præpeditus à Choro

vaca-

vacaret, consuetum Officij pensum semper recitauit de genu. Id quod præstitit etiam supremò decumbens; cum enim D. Eustachius à S. Paulo illum pridiè quàm viam vniuersæ carnis ingrederetur, inuisisset, reperit descendisse ex accubitu, & genibus ipsis in solo positis inhærendo, Vesperas recitare.

Iam & spiritum Deo subiecturus consueuerat rigidè accipere corpus, austeritates sorbere, duris indormire tabulis, capitali morbidiore, nimirum saxo, seu latere, se flagellis incessere eò quidem brachio, vt effluens à diuerberatione cruor non modò solum, sed muros etiam respergeret. Ne grauiorum infirmitatum alij in culpam adducerent asperiorem pœnitentiam, illarum causanda potiùs, aiebat itinerum incommoda, se contulisse in Pedemontium vicibus vndeuiginti, multoties è Gallia concessisse Romam, itemque Roma perrexisse in Gallias, nudo semper pede, gressuque tantùm sandalijs ligneis munito. Pronos etiam in abstinentiam animos commonstraret fas erat, obseruatusque singulis annis in festo Exaltationis S. Crucis hilarior semper, ac veluti præ gaudio gestiens, nimirum in capite septimestris à cibo parsimoniæ intima quadam perfundebatur lætitia, è qua vultus ipse festiuam serenitatem indueret. Porrò continuata eorumdem ieiuniorum duratione vsque ad Sanctum Pascha robustiores ipsos adolescentes in ipso etiam deuexo ad canitiem æuo vincebat. Imò Antonius à S. Petro auctor est sæpius se illum Romæ conspexisse vnam tantùm, & modicam sumere refectionem in die, quarta post meridiem hora. Ad hæc commendandi pœnitentiam nullum faciebat finem. Cumque inter frequentiores compescendæ carnis adhortationes Monachum quem insusurrantem obaudijsset: Ergo nulla humanæ fragilitatis habenda ratio, ergo actum de corporali salute. At ipse, caueto, inquit, ne proprij commodi affectationem, imbecillitatis excusatione prætexas. Scito non esse excolentium spiritum adblandiri corpori, nec anhelantis ad victoriam inimicum fouere.

Religionem in Deum, rigidam sui acceptionem consequitur disciplinæ Regularis amor, quo obseruantissimus ipse incalescebat, promouebatque Superior auctoritate, præcipuè cum ad primam euectus sedem exerceret totius cœtus Nauclerum. Pro eliminandis curis propositi rationi minus consentaneis infracto animo stetit. Fuliensium missionem, quæ Euangelium in Perside disseminaret, cum Cle-

mens

mens Octauus concepisset, atque enixè optaret, Gualtheronio tamen obnitente, à mandato, cui refragari nefas, abstinuit. In via ad portam Numentanam est in Vrbe S. Susannæ Cisterciensium septum fęminarum. Si Ecclesiam spectes, impensis Cardinalis Rusticuccij exquisitiori pennicillo, pretiosiori marmore comptam, nihil elegantius. Sin autem Virginum adnexo in Claustro Altissimo famulantium indolem attendas, nihil sanctius. Regi illas in Spiritu à Reformationis hominibus voluisset ipsemet Clemens Octauus, eo motus consilio, quòd & Sorores eiusdem forent Cisterciensis viuendi normæ, ac ædes consurgerent è regione nostri ad S. Bernardum Domicilij, adeòque vigilias æquè Monachis commodas, ac Sanctimonialibus speraret perutiles. Sed ille cum prouinciam non facere ad disciplinæ rem perpenderet, peculiares quidem gratias Pontifici Max. habuit de Fulientinæ nauitatis optima existimatione concepta. Verùm terque, quaterque curas complecti strenuè renuit. Commendata itaque alijs procuratio, & ex tunc à propiori huiusmodi Religiosarum consuetudine Congregatio semper abstinuit.

Hæc vna Antistitis ornatissimi laus. Reliquæ modo attexendæ. Pollebat humilitate simplici, recta, & ex corde. Quoties visus est minimo cuicunque Fratri ex Conuersis, vel Laicis se se submittere? Quoties demississimè cessit infimo ex Fratribus sua opinione decepto, postquam nudam illi veritatem aperuisset? Postremis venerabilis senij annis nequaquam dedignatus est imbuere præceptis Grammaticæ recenter Professum linguæ Latinæ rudimenta nescientem. Redolebat certè longè effusum sanctitatis odorem. Diuturnè gesserat pręcipua Congregationis munera. Verumtamen suis oculis pusillus admodum erat, & si ius Regulare diuturnè dixit, diceret coegit, quæ inter Claustrales principatur, lex Obedientiæ. Vbi verò humilitatis præscriptæ labes inter Sodales timeretur, nimiùm, qua contentione discrimini occurreret. Exempla abundè suppetunt. Hoc vnum satis esto. In moris habemus sacrum primò facturos accedere ad aram citrà celębritatem, eodemque prorsus cultu, quo Sacerdotes singuli diuinam hostiam quotidiè immolant. Accidit Romæ Monachum Sacerdotio initiatum, affixa pro Ecclesiæ foribus monitione, voluisse notum viciniæ ex Fuliensibus vnum tali die, & hora cœlestia primùm operaturum mysteria. Nomen haud apposuit, tantùm pecca-

re

te non ausus in fugam vel ab aliqua functionis luce. In suspicionem venit affectatæ solemnitatis ex Quiritum affluxu ad nouam Missam. Delata res ad Ioannem, qui ne laxari optimæ obseruationem legis contingeret, publicè, acriterque increpatum delinquentem abstinere ab accessu ad litationem voluit, donec ipse annueret, distulitque collati Sacerdotalis muneris vsum ad annum.

Vehementior quoque si irrepere deuotioni languorem, solitudini laxitatem, grauitati familiariorem consuetudinem animaduerteret. Desidis autem otij torporem, inter iuniores in paucis, cernere nesciebat, & sinere impunes, curabatque cunctos, propulsata strenuè ignauia, vacare seriò aut doctis elucubrationibus in cubiculi secessu, aut varijs manuum operibus in Cœnobij officinis. Sin autem de lingua sermo habeatur, qua non labi viri perfecti caracter est: nulla detractionis, nulla vanæ gloriæ, nulla aut inuidiæ, aut scurrilitatis vox vnquam ab eo audita. Parcissimæ pręterea erat loquelæ. Cum Deo penè continuò, cum mortalibus discursum penè nunquam trahebat.

Transigebat cum Christo, vel ipsam horam designatam mutuis colloquijs post egressionem à Cœnaculo manè, ac vespere, cunctisque animi laxamentis posthabebat conuersationem cum illo, quem supra omnia diligebat. Circuitiones per domum, Generalis licet, obibat, ne tempore incongruo taciturnitas vllibi frangeretur, quin potius lege inuiolabili familiam solitariam haberent cella, meditatio, vel sanè libri lectio, seu lectuli quies. Totus vitæ decursus perpetuum quasi silentium fuit. Fuit & periodus vitæ; tempus enim Supremo peregrinationis articulo proximum ita disposuit, vt diem insumpserit audiendo lectionem passionis Dominicæ, & vocales recitando preces, noctem verò dederit exercendis internis affectibus animi ad æternitatem anhelantis, secretisue cum Deo alloquijs, quorum erat vestigium mouere quidem orando labia, verumtamen, seruando conticentiæ studio, abstinere à sonitu vocis. Cumque circum excubantes Fratres inter se confabulari audijsset, manuum signo, & graui vultu, tenerent indictam nocte compescentiam verborum, admonuit.

Nec desiderauerit quispiam placidiori regimine inhæsisse disciplinæ nitori. Aspectu, moribus, gestis ardens erat zelator, imò viuens zeli typus; attamen depascentem pectora sacram flammam suauitate Diuini Spiritus, qui totus ignis, & bonitas est, attemperans, apto tem-

tempore,& loco dulciorem quamcunque indolem agendi lenitate anteibat. Sodalium infirmitatibus nemo Gualtheronio compatiens magis; afflictorum nemo consolator acceptior. Quandiu ingenia ad numeros perfectionis Religiosæ minus expolita, salutarium instillatione monitorum elimasset, eorumdem imperfectionum tolerantior si quis alius. Hac ratione magnus licet zelator, & inexorabilis Censor, nemini erat inuisus, quinimò beneuolentiam sibi conciliabat animaduersionibus ipsis. Celebrari itaque meritò potest rigidus culparum mulctator, sed bonitate quadam mulctæ asperitatem semper dulcorante. Humilis cum eleuaretur, perquam amabilis in morum censura odij potiùs, quàm dilectionis flabello; suauis affatim in zeli flagrantia acri vt plurimum, & exosa; ac charisinate à spiritualis præceptoribus vitæ habito inter eminentiora, non cunctas solummodò coluisse virtutes, verùm sublimi quodam in gradu inter se quodammodò oppositas præclaro associasse fœdere Iustitiam nimirum cum Misericordia, Humilitatem simul cum Magnanimitate, Charitatem vnà cum zelo, animumque submissum cum Generositate.

Etsi verò excrescens disciplinæ sanctitas satis Gualtheronio deberet, erat & plurimum in Congregationis amplificatione, quod eius contentionibus tribueretur. Cum renunciationis in Cœnobiarcham aurea primò illuxere crepundia, Catharina, Nobilis, Sfortia, Comitissa S. Floræ alterum Reformationi Collegium in Vrbe posuit, quod sub inuocatione S. Bernardi ad Thermas Romæ nunc emicat soli amœnitatibus, artium gymnasio, selecta, nec modicum ampla Bibliotheca, Templi concinnitate, ac diuinæ rei quàm perfectiùs implendæ studio. Præclaram hanc domum erexit inter duo calidaria amplissimarum Diocletiani Thermarum, Ecclesiam verò pro tempore ibidem positam, voluit inscriptam Sanctis Virginibus Catharinæ Senensi, & Alexandrinæ. Mox calidarium viç Piç adsitum in Templum sub inuocatione Diui Bernardi magnificè adaptauit, sphericç molis ambitu, ingentique concameratione portentosç veterum Romanorum Architecturç nobilibus vestigijs resarcitis, ac concinnè arte gypsaria ornatis. Piç Fundatricis quamplures leguntur lapides, è quibus satis erit hic appendere incisum tumulo ante aram, vbi iacet.

D. O. M.

Catharinæ Nobili Sfortiæ

Fundatrici Optimæ
Et munificentissimæ
Grati animi Monumentum
Monachi Congregat. S. Bernardi
Ord. Cisterciensis
Hic quiescenti
Posuerunt
Obijt die XII. Decembris
MDCV.

Ab initio propagabatur Cœnobium solo ampliori. In via, Pia nuncupata, tenebat Ecclesiam D. Caio Pontifici, & Martyri retroactis temporibus conditam, & recentioribus ab Vrbano Octauo restauratam. Ab ipsa quoque Via Pia viridarium protendebatur introrsum ad Viam vsque Felicem. Angustiori modo clauditur limite, in gratiam Regularium aliarum Sodalitatum. Aream nempè omnem Vię Felici conterminam Nostrates concessere Patribus Norbertinis ad moliendum Lyceum suis Philosophię, ac Theologię Candidatis; S. verò Caij Ecclesiam, Cellulas, & glebam adiacentem transtulere in ius Religiosarum Carmelitic̨ę mitigationis, seu Sanctimonialium Barberinarum, ad instaurandam mansionem puellis Sęcularibus seorsim ab ipsis Sanctimonialibus educandis. Cum Munificentissima Fundatrice benemeruere de Romana hac ad Thermas statione Hieronymus Peyra Hispanus, Ioannes Iacobus Nicoletti, Claudius Bencius Politianus, Albertus ex Magnorum Familia, Felix Palatina, Nobilium domus in paucis deuota, Ioannes Cardinalis Bona. Pręterea Sixtus V. menstruas ęleemosinas cum immunitate à vectigalibus ęquè, ac Sanctę Pudentianę contulit, Clemens Octauus adauxit, Clemens Nonus sub Dat. Romę 1669. iussit S. P. Q. R. festiua S. Bernardi die ad hanc eius Ecclesiam solemniter quot annis accedere, & oblatione argentei Calicis ingentes recolere labores, quos Mellifluus Doctor pro Dei Ecclesia exanthlauit. Quos omnes placuit recensere, vt Benefactoribus optimis redderet Historia quidquid habet gratitudinis nunquam intermorituræ.

Biennio post ampliari cępimus in Subalpinis à Carolo Emanuele I. Allobrogum Duce, annuente etiam Cardinali Caietano Abbate Commendatario, vocati Taurinorum Augustam, & successores renun-

nuntiati Benedictinorum in Prioratu S. Andreę, & Beatę Marię Consolatricis, Cœnobio videlicet, non tantùm antiquioris ętatis laude, Gunzolarum, Voluerię, S. Dalmatij, aliorumque Oppidorum Dominio, vastis Emphyteuticis iuribus in tota ipsa Gunzolarum regione, in confinijs Ripularum, Casellarum, in Agro Taurinensi, quinimò & domorùm intra ipsam Taurinorum Vrbem, ampla etiam Paręcia solemni, quàm miraculosa Virginis Deiparentis Icone, cuius venerationi ipsamet Virgo memoranda apparitione, & luminibus Cœco restitutis prospexit. Ab anno 1104. in quem hęc incidere, Virgo Consolationis habita semper Taurini propitiatrix Numinis, cum morborum, tum bellorum propulsatrix, & haud secus Ciuitas ipsa maiori semper ędium amplitudine, incolarum numero, temporumque faustitate, quam Sabaudię Duces ad Regiam ideo aulam ibidem constabiliendam inuitati, intima deuotione frequentant, ac varijs contendunt cumulare muneribus. Visa autem Religio in Cœlorum Dominam mirificè propagata post nostros homines Benedictinis suffectos. Basilica ipsa squallidam mox posuit faciem, induta aptam. Erecta comptiora Sacella ab Henrico Caietano Virgini ipsi Consolatrici; à Sabaudiæ Duce Carolo Sancto Andreæ Ecclesiæ titulo; à Taurinensi Ciuitate S. Valerico Abbati Vrbis Patrono, sacra cuius lipsana translata è Noualitiensi Cœnobio, & condita sub Altari; ab Emanuele Philiberto Goueano in Pedemontanis subsellijs integerrimo Præside D. Bernardo Congregationis Parenti; à Marco Antonio Baijro S. Michaeli, cunctisque Angelis Tutelaribus. Verumtamen quia Historia tabulæ eiusdem Marianæ Imaginis prodigiosè repertę perpetuum aliquod exposcebat monumentum, Patrum nauitate, & Regio iussu donata nitido stylo narratio, ac lapidi insculpta marmoreo, longas Posterorum ætates in hæc verba edocturo.

O felix cæcitas, quæ naturali lumine destituitur: vt ipsa cœlestibus in hac Vrbe radijs, Vrbs tutelaris numinis sacello, sacellum pristino venerationis cultu illustretur! O fortunata humanæ imbecillitatis conditio: quæ tale diuinæ benignitatis ostentum exciuit!

Inuentio sacelli, siue Capellæ Diuæ Mariæ de Consolatione Taurini M. C. IV.

Italiam pleraque non minus quidem immites, quàm exteræ, & barbaræ nationes, vt memoriæ proditum est, bellico furore sæpius inuasere,

sed Hunnus, Gotus, Vandalus, & Longobardus, suo quilibet tempore insæuit atrocius, Vrbes, Oppida, Vicos, Villas, Templa euertit, diripuit, profanauit, gentem perdidit, ætati, sexui, religioni, minimè parcens. Hasce inter plurimas, dirasque strages, Augusta Taurinorum Vrbs, Gentis illius caput, solo ferè æquata, per multos annos, vt traditur à qibusdam, sine habitatore mansit. Iacebat interim ruinis, ruderibusque contectum sacellum quoddam, in Ciuitatis angulo, iuxta Pomærium, quod Priscorum Religio in Deiparæ semperque Virginis, pijs votis honorem erexerat, adeò vt mortalium tunc nemo esset, qui locum inibi sacrum comminisceretur. Cæterum vt est homini innatum vt in cœtum ire cupiat, post multos annos rebus se se non nihil melius habentibus, Taurini Populi, vt in desertam Vrbem, ad inhabitandum confluant; ædes tum priuatas, & sacras reficiunt, Sacerdotes legunt, qui rem sacram curent, accersuntur D. Benedicti Monachi, quibus Cœnobium ponitur D. Andreæ titulo non procul ab occultato sacello, cui Thomas Sillus, vnus ex Diui Solutoris Cœnobitis ab Antistite Bremetensi præficitur.

Currebatque tum ab ortu Seruatoris nostri Iesu Christi annus centesimus quartus supra millesimum, quando vir quidam, ex Brienconis genere nobilissimus ex Rauuachiorum familia, opumque, & rerum ditissimus, qui fuerat à natiuitate cæcus, D. O. M. nutu per visionem accepit se oculorum recepturum lumen, si Virginis Mariæ Sacellum Taurini inuiseret. Incredibile dictu, quantum hoc nuntio cæcus gestierit; creditum oraculo, tanquam à Cœlo misso, remque omnem fratribus, qui tum duo sibi erant impertit, rogatque vehementer, vt itineri duces, ad Vrbem esse velint. Abnuunt illi, ad hæc hominem, tanquam illusum somno, derident, vtpotè qui animo nimium cupido, & rerum alimentũ appetentes, eum in cæcitate emori vellent, quò peculij pars tertia eisdem acced: ret: tum cæcus fraterna destitutus ope, Ancillam, quæ sibi in seruitijs erat, appellat, spondetque se ei maritum futurum, si huic suo patrocinetur voto; quid plura: assentitur illa, siue ita volente Deo, siue rerum spe illecta; nocte igitur intempesta itineri se se accingunt. Cum autem ad eum locum peruentum est, qui Putestrato dicitur, oculi cæco, ò rem omninò miram! aperiuntur. Turrim Campanariam perspicuè conspicit, agnoscitque locum, quem sibi Oraculum praostenderat, Ancillam bono animo esse iubet. Occlusis iterum oculis

eam

eam monet, vt eò se deducat. Aberat tum ab Vrbe, ad passus bis mille, plus minus. Vehitur igitur meliori animo gressuque aliquantulum velociore, tandem ad optatum applicatur sacellum, mox genuflectitur, funduntur pientissimè lacrimoséque ad D. O. M. preces, imploraturque Virginis auxilium, dicto citius pijs succurritur animis, restituitur iterum cæco lumen subitum, accitur Antistes Amizo, qui Vrbi præerat, concurritur vndique ad tam grande spectaculum. Tum autem, arreptis sarculis, vti cæcus dixerat, cœptum est effodi, apparuit intuentibus omnibus ædes Parthenia sacra, quæ fuerat cæco per visionem ostensa, die 20. Iunij Anno M.C.IV. conclamatumque ab omnibus: Benedictus Deus in donis suis, appellataque deinceps in hunc vsque diem Virgo Consolatrix.

Quicunque igitur hùc accedis, introgrederis, petiturus, supplicaturus, exoraturus, Lippus, Cæcus, Cocles, Surdaster, Mutescens, Cefalicus, Stomacosus, Letargicus, Podagricus, Claudus, Epaticus, Calculosus, Attonitus, Porriginosus, Tabidus, Febriculosus, Contagiosus, atque alijs id genus innumerosis cicatricatus morbis, siue introrsus angitur animus, siue extra insequitur hostis, piè, purè, indefesséq; orato, fugabis enim mox dolores omnes, atque omni ex parte, mihi crede, liberaberis.

Laus D. O. M. & B. V. M.

Quas An. sal. M.C.IV. Virgo Deip. Cæci oculis tenebras discussit, cæca nox obliuionis clarissimo miraculo offuderat. Paginam rei gestæ testem Deus An. M.D.XCV. squallidam, tapidamque in Solem protulit: prolatæ exemplum Car. Em. & Catharina Austriaca PP. pientissimi marmoreo monimento exhibent: vt lumen, quod cæco affulsit Virginis gloria semper illucescat, bis oculorum lucem cæcus à Virg. ad tempus, ab istis PP. in perpetuum accepit.

Hæc Patres in ipso introductionis limine, nam successu temporis cum angusto Antecessorum domicilio ampliores in ædes dilatato, nouam etiam Ecclesiæ substructionem, veteri prorsus excisa, aggressi sunt, & ædificiorum, ac familiæ celebritate impositurі fastigium, in Abbatiam ex Priotatu erexere.

Sed parum erat Gualrheronio institutum Romæque, Taurinique propagasse, nisi promouisset insignem Abbatiam Beatæ Matiæ secus Vicum, Montis-Regalis suburbium, miraculosa Virginis Puerperæ ima-

imagine, piorum frequentia, Templi mole, Sabaudiæ Principum conditorijs, Collegio ingenuæ pubis, ex Marchionum Cenæ familijs, Xenodochio ad excipiendum inopum conuentum, alijsque titulis Nobilium quorumcunque in Subalpinis Cœnobiorum facilè Principem. Est Mons-Regalis Ciuitas in Subalpinis, ingeniorum Sublimitate, & vbertate agri satis clara. Pedemontium ad meridiem claudit, cuius etiam Ducibus obnoxia floret, licet ad Apenninum, & Liguriam Geographiæ legibus pertineat. Ciues, qui ad triginta sex millia censentur, vicatim habitant, & licet quinque Regionibus se inter distincti, regimine tamen cohęrent. Alij occupant Montis verticem, multiplici nomenclatione Montem-Regalem ab ipso, cui insidet, Montis apice dictum; Plateam à planitie, in quam apex idem se explicat; Vrbem etiam nuncupatum à pręstantioris Nobilitatis, Ducalis Toparchę, & Episcopi domicilio. Alij ad radices iacent. Discretior verò pars, Vicus propriè dicta, abest passibus mille quingentis. Eminet Vicus ex editiori colle. In valle autem ad eius radices posita Imago Virginis Deiparę in pila lateritia depicta anno à Deo homine sesquimillesimo nonagesimo miraculis corruscare repentè cępit, quorum fama suis commouit è sedibus conterminas Pedemontio Regiones, Liguriam, Insubriam, deinde autem, facto veluti gradu, Galliam, Iberiam quoque, Belgium, Germaniam, ac breui quatuor mensium spatio vndeuiginti centena hominum millia ad sui venerationem attraxit, nec tantùm è plebe homines, sed prima etiam capita, Ioseph de Ausugna Mediolanensium Producem; Albertum Austriacum, Flandriarum Comitem, S. R. E. Cardinalem; Amedeum, & Philippum Nemeursij Duces; Ducem ipsum Allobrogum Carolum Emanuelem Primum cum Catharina Austriaca ornatissima Coniuge, Regiaque sobole, ac pręter ferè omnes Sabaudiæ, Pedemontij, Ligurię, & Lombardię Antistites, ipsum quoque Iulium Cęsarem Riccardum, Sedis Apostolicę apud Regiam Celsitudinem Nuntium, qui pijs votis postquam satisfecisset suis, accessit secundò nomine Clementis VIII. Pontificis Maximi, penes quem loci percrebuerat fama. Ex tanta mortalium celebritate nemo vacuas afferebat manus. Sabaudię autem Dux Carolus Emanuel cum Virginis mirabilia suis oculis excepisset, cogitauit extemplò constructionem Basilicę sua amplitudine, & splendore ęquaturam loci sanctitatem, mortalium affluxum, Sabau-

baudę etiam Domus magnificentiam, cuius Principibus locum tumuli ibidem exinde constituit. Vertente anno nobiliorem adornauit Peregìnationem, Prole, Coniuge, cum Nobilissimo quoque in comitatu assumptis, & post fusas ante aram preces, ac conscientiam ritè expiatam, initialem lapidem fundamentis aptauit in hæc verba inscriptum.

Deo Optimo Maximo, & Gloriosissima Virgini miraculis coruscanti, Clemente VIII. Pont. Max. Rodulfo II. Imp. Augus. Carolo Em. Catharina Austriaca Ducibus Optimis Regnantibus, cum Principibus Philippo Em. Victorio Amedeo, Emanuele Philiberto dulcissimis filijs manum admouentibus. Franciscus Ant. Castrucius Ciuis, & Episcopus Montis-Regalis primarium lapidem Ascanio Vittocio Architecto in fundamentis posuit nonis Iulij anno CIↃ.IↃ.XCVI.

Eodem temporis cum Regularium nemo non peteret adsitum sacro Pilario sibi Monasterium condi, & Mariani cultus demandari sollicitudinem, vna, eademque sententia fuit cum Caroli Em. tum & Clementis VIII. deligendos nostræ disciplinæ viros. Condigna id exigebant momenta. Marianam in primis nos sobolem celebrari, quorum Parentem Robertum pronubo illa desponsauerat anulo; primos Alumnos niueo colore indutos voluerat, suis nimirum insignibus; Sanctum Propugnatorem, decusue Bernardum Virginei pectoris lactauerat vbere, nec à crepundijs desierat vnquam materno affectu fouere. Arduo præterea sacræ Penitentiariæ ibidem instituendæ munere maturè expenso, ideoque solemni Moralis Theologiæ disputatione indicta, discussorum conscientiæ casuum doctioris resolutionis palmam, sapientissimorum oraculo iudicum, nostris delatam, eminere Pontificalium vsu, spectabili sacris in solemnitatibus decore; & licet, initialis Reformationis refragante humilitate, Cœnobiorum Præfectos Abbatiali insignire nuncupatione abstinerent, adigi nullatenus posse ad illam non detrectandam Regiæ fundationis, ac splendidioris Mariani cultus ergo. Coruscare præstanti probitate morum, ac vitæ austeritate, pietati excitandæ, fouendæque aptissima.

In Gallia quoque, Gualtheronio satagente, aliæ pro nostris hominibus exortæ stationes. A. 1593. regiminis secundo ad vota Senatus, & Archiepiscopi, inita Burdigalæ possessio Domus S. Antonij, inde excedere iussis Patribus Missionarijs, qui & ipsi successerant Clericis

Regu-

Regularibus S. Antonij antiquioribus inquilinis. Tolosæ molita Gynæceum Virginum Fulientinarum sub attitulatione S. Scholasticæ, quemadmodum disertiùs vbi de Margarita Cloche prima eius Antistita, itemque septum Virorum S. Benedicto nuncupatum varijs donationibus impinguatum, sed præcipuè Domini Dupin à sanctioribus Regis consilijs, qui Venerabili Ioanni Barrerio intimus, beneficijs grato animo dignis Sodalitium multifariam adiuuit, & Christophori à S. Anna ibidem Ascetæ, cui ex celebri Trapezita ad vitam Cœnobiticam transeunti libuit bonorum temporalium plurimam partem Congregationi attribuere, nimirum caducas diuitias dare ad mensam nummularij cœlestis; ac proficere promissæ felicitatis indeficienti vsura.

Postquam Venerabilis vir æquo extensionis studio, ac gubernij præstantia ad Reformationis clauum per sexennium sedisset, abiens à maiori officio, & Romano ex domicilio perrexit Taurinorum Augustam, vbi Rector Monasterij B. Mariæ Consolatricis eximium dedit specimen suæ in proximos Charitatis. Popularis lues magnam ciuium copiam sternebat. Pauci ceruicem suam pro salute occumbentium deuouebant. Clausa propemodum Templa, vacua pęnè Regularium Claustra. Quam calamitatis appendicem Gualtheronius aspiciens Ascetarum suorum alios voluit implere quotidie Chorum Dauidicis Psalmodijs, alios paratos semper porrigendis sacris, & Confessionibus ad aures excipiendis. Ipse Parochum constituit agere, nam Consolatricis Ecclesiæ incumbebat eo temporis magna illa animarum solicitudo, quæ in duas postmodum Parœcias diuisa attributa est Eremitanis S. Augustini Congregationis Lombardiæ, & Clericis Regularibus S. Pauli, vulgò Barnabitis. Gualtheronius cum nonnullis adibat domos pestilentia attractas, alea plenas. Ingrediebatur continuò valetudinaria, furentis mali frequentiores palęstras, & grauiori periculo ardentiorem afflante vigorē spiritus, vbique aduolabat, vbi procuraturus conscientias, vbi iuuaturus corpora, vbi morbo exitiali occurrendi causa ne immaniori cum ciuium strage vlterius gliscere. Occlusis itaque cæterorum Templis plena erat affluentia ad Basilicam Consolatricis. Concentus Psallentium voces erant iucunditatis, & exultationis auscultantibus Diuinam implorantes clementiam. Prodigio præterea attributum Fulienfium neminem sublatum, vel saltem

tem correptum morbo communi, omnes licet desiderarent ponere in ministerio animam exemplo Antistitis, cuius feruore concalescerent omnes. Atque hæc de Ioanne Gualtheronio, cuius deuota vitæ clausula publicam domi, forisque persuasionem cumulauit exuuias deposuisse hominem consummatæ virtutis, & à spiritus præsertim ardore, atque Diuina Charitate incensum.

Eius profectò decessum inter iustorum funera recensendum adstipulantur multa. In proxima à corpore dissolutione perseuerauit colere asperitatem. Appropinquare consummationem sensit Romæ, quam Taurino adierat, circa initium Nouembris anni 1620. Oportuit, obedientia compellente, vacaret refocillandis viribus accubitu cum infirmis. Ineunte postmodum mense Decembri Antistes ipse, qui valetudinarium ingrederetur mandauerat, exorari passus est commune adiret Cœnaculum, & ferias Dominici Aduentus transigeret consuetis ieiunijs, & abstinentijs. Sed occidui debilitas senij nequaquam sustinebat periclitari vltra stomachum obseruantiæ rigore. Coactus itaque fuit refectionem iterum sumere inter ægræ valetudini opportuna commoda concedentes, at constanti semper pœnitentiæ flagrantia: nam cum victus aliquid nunquam non sibi detraheret, valetudinarij Procurator pia illum arte fallebat, quò alimoniam sumeret sustentationi congruam. Tenere tandem oportuit lectulum, & adornare iter ad mortalitatem cum immortalitate commutandam. Migratio tunc ad præmium recolenda deuotione munita. Adueniente D. Sancio à S. Catharina ad suprema ei sacra porrigenda, obstupuit ipse Præpositus Generalis, totus obstupuit Monachorum Conuentus cernere genuflexum in medio cubiculi virum robore destitutum, ac penè agentem animam, die insequenti emissam. Suspexere magis cuncti humilitatem, viso quippe Antistite vultum posuit ad eius pedes, ac vbere cum fletu: Peccator, inquit, maximus sum, peruersi inter sodales exempli, Superioribus inobediens, tibi potissimùm omnium Patri: veniam deposco, ignoscas exoro. Cui Abbas Generalis: Nimium mihi, nimium cæteris dolet egregium in te Congregationis præsidium conclamare. Gratulamur autem proximam ad Domini gaudia assumptionem. In eius conspectu positus mei, totiusque Congregationis, commendo, memineris. Seruis suis pronas aures porrigit Altissimus. Optimè cunctis erit, si illius erga nos misericor-

diam flectas. Ad quæ verba demississimus ille: faciam, respondit, sed pessimus mortalium sum. Alij potiùs pro me interponant ad Deum preces indigeo. Mox vnctionis suscepit Sacramentum, ferculumque diuinum viuificans simul ac muniens. Futuris quoque prænoscendis euentibus superna illustratio non defuit. Grauior ex Patribus, quo cum de Congregatione verba fecit, enarrabat quamplura etiam de illius in posterum statu prænuntiasse, visumque sibi non hominem, sed Angelum audijsse loquentem. Famulo Domini de Rantigny renuntianti: Herum suum ipsa quidem die ad illum inuisendum minimè valere accedere, aduenturum autem postera: adueniat, dixit, & me in Ecclesia reperiet, elatum scilicet, & in lectulo emortuali expositum. Acerbum cum morte agonem reuelauit quidem: durus exitus, bis repetens, durus exitus. Verumtamen torquentes intimè dolores patientissimè tulit, obseruatumque, in cadauere de more abluendo, ossa vi morbi carnem fregisse, ac pelle disrupta foras prodire. Ritam animæ commendationem attentiori tandem studio ipsemet absoluit. Tum manibus in sinu decussatis extremam necessitatem excepit primo diluculo decimæ Ianuarij diei incredibili pectoris firmitate, veluti extra omnem metum. Mortui speciem non vultus, non ora ferebant, imò venustior in defuncto forma, quàm in viuente, eratque cernere in exanimi fronte innocentiæ, ac pietatis caracteres. Parentalium celebrationem condecorauit circumfusa multitudo etiam è viris Proceribus, & Aulæ Prælatis. Reliquiæ etiam expetitæ in deuotionis analecta. Locum sepulturæ communem cum cæteris accepit fratribus, sed biennio post ab illorum cineribus transferri meruit ad singulare conditorium retro Aram Principem Ecclesiæ S. Pudentianæ. Post viginti autem à migratione annos in conspectum se dedit D. Nicolao à S. Aigulpho in vitæ clausula constituto, ac cęlestem ad patriam inuitauit, in qua se dixit exceptum.

1621. *Ioannes Iacobus à S. Scholastica*, Familiæ cognomento *de Berthier*, religione, doctrina, existimatione præcipuis Reformationis sectatoribus accensendus primam spirare cœpit mortalem auram in Oppido *Granatensi* Tolosanæ Diœcesis, stipendia verò Regularia facere in Fuliensi Abbatia anno septuagesimo octauo suprà millesimum quingentesimum. Post Monacatus pronuntiata solemniter vota Ecclesiastem continuò præbuit Euangelicum, nempe morum orna-

men-

mento ſpectabilem, & charitate in proximos incaleſcentem. Rigidè agebat nè cum corpore? Maioris ieiunij diebus quinque ſupra decem concionum curſus ad populos habuit, totidemque tempore expectationi diuini partus feriato, vſus ſemper pro alimonia pane tantùm, & lympha, pro quiete autem ſomno quambreui ſedendo propè ignem, & capite ſuper nudam tabulam reclinato. Compeſceret, ſuaſoribus pronos nimiam in aſperitatem animos, aiebat, auſterè adeo carnem excipere, ne ablegaretur à Deo inter declamatores opere reprobos, & verbo duntaxat pios. Mortales è vitiorum cęno ad caſtigatiorem indolem abducti ad millenos & millenos recenſentur. Subſelliorum poſt diuini ſermonis annuntiationem plauſus, celebre nomen, præpotentium honores omnia amplificationi diuinæ gloriæ poſthabebat, vnicè pro Deo laborans, & Deo contentus. Plurimis Religioſarum contubernijs cum egregia diſciplinæ reſtauratione à rebus ſpiritualibus diù fuit. Ne Sęcularium adoleſcentularum pubertas optimam deſideraret informationem, inſtituit Burdigalæ, legeſque dedit Congregationi Virginum de doctrina nuncupatarum, quibus & cordi, & muneri foret puellas fidei rudimentis imbuere, ad Sacramentorum frequentiam excolere, ad legendum, ſcribendumue dirigere, & ſi quæ ſuo egerent victitare labore, honeſtarum artium exercitijs aptare. Hæc Congregatio acceſſit poſtmodum Vrſulinis, cum à Paulo V. approbatæ, propagandæ per Gallias, adiere Lutetias Regni ſedem. Sacrarum tandem in Ioanne Iacobo peritiam rerum, zelum ſalutis animarum, integritatem, necnon & prudentiam extulit Cardinalis de Sourdis Archiepiſcopus Burdigalenſis, cum totam temperare Diœceſim voluit, & quandiù degeret in humanis Eccleſiaſtico ſuo Cōcilio præſidere. Typos quoque illuſtrare parabat doctæ impreſſione elucubrationis, titulo Peregrini agonizantis, cum à pietatis propagandæ ſolicitudine contendere in Aquitaniam coactus appropinquauit mortalitatis articulo, & Peregrinus in agone conſtitutus accelerauit greſſus ad Patriam anno reparatæ ſalutis 1621. die 9. Octobris.

1621. *Carolus à S. Bernardo, Pariſienſis*. Natalia duxit præclaro à ſtipite, Patre natus Amore de Texier Equite, Domino de Brie, Matre verò Franciſca Durault, Nepte Comitis de Chiuerny, Magni Franciæ Cancellarij. Nobilitatem generis ſancta conuerſatione nobilitaturus magis mereri cogitauit ſub Monaſticis Fulienſium ſignis.

Vernantem ætatem, vultuſque ſpeciem deformabat oculus corruptus ab humore è capite diffluente, & obcæcatus. At Patres rati habendam in pretio virtutem animi formoſo etiam in corpore non aduenientem, inferendum cenſuere in ſociorum album, & Cęnobitica induere lagena anno 1613. Mores ad ſanctimoniam probatos, illibatam maximè puritatem, ſui deſpicientiam, obedientiam exactam, afflictationem corporis, orationis, & contemplationis ardorem, & cum infirmitatum patienti perpeſſione illuſtrem quoque miraculis tumulum noſter D. Petrus à S. Hilario diſerto perſtringit opuſculo excuſo Pariſijs anno 1622. apud Ioannem de Heuque-Ville in 8. ſub nomine D. de Tournemeulle. Auctor teſtis de viſu, & veritati litator elucubratiunculam hanc noſtram compendiariam potiùs quàm effuſam à prolixiori ſcriptione rerum à Carolo geſtarum abſoluit. Quæ laus ad Geneſim etiam Collegiorum Congregationis raptim ſaltem attingendam peculiarem hic commendationem depoſcit, celebris eſt Religio in D. Bernardum; & poſt ſuſceptum Reflorescentis eius militiæ authoramentum prouinciam aſſumpſiſſe vertendi in Clauſtrum Reformationis Caſtrum Fontanenſe auitam eius domum, ac conſecrandi in ſacellum penetrale ipſum, vbi ſuauiſſimus Eccleſiæ Doctor editus fuerat in lucem ab Adeleida Matre. Solo liberali Parentum manu comparato, & conceptæ mentis pia euulgata præſtantia, Rex Chriſtianiſſimus cultus ergo in D. O. M. & D. Bernardum, ad Fulienſis item incrementum germinis; ad omnium Galliæ Prouinciarum, Burgundiæ in primis glorioſæ eius Patriæ decus, vnàque ad pacem domi, foriſque impetrandam, æternùmque monimentum quemadmodum ab eo ſibi fauſtitatem ſpondebat, quo auſpicante infęcundis genitoribus ſoboles deſideratiſſima datus fuerat, initiandæ domus ſe Auctorem dixit, & omnibus munificentiæ numeris moliendam vnam ex Regijs fundationibus declarauit patentibus literis, quæ ex vulgari ſermone latinè interpretatæ ſonant:

Ludouicus Dei gratia Franciæ, & Nauarræ Rex præſentibus, & futuris ſalutem.

Cum dilectiſsimi Oratores Religioſi Congreg. B. Mariæ Fulienſis in ipſis initi à nobis Regni primordijs adierint poſſeſsionem Caſtri Fontanenſis ſecus noſtram Diuionis Vrbem, ſeu Paternarum ædium D. Bernardi, ſub cuius vexillo Altiſsimo famulantur, Nos huiuſcemodi

acqui-

acquisitionem per eosdem Monachos factam approbamus, eamque Regia auctoritate perpetuo ipsis iure impertimur. Cumque ipsummet cubiculum, in quo idem S. Bernardus in lucem venit conuersum fuerit in sacellum accolis frequentissimum, celeberrimumque miraculis, ob merita famuli sui, ab eo patrata, qui facit mirabilia magna solus, Nos feruentibus exciti votis opus aggrediendi aliquod, quo Deo annuente, eiusdem Sancti fauorem nobis propitiemus, eoque toto vitæ decursu protecti fortunentur vota, quæ ad publicam felicitatem concepimus, Regnumque pace diuturna, pietate, atque iustitia componere detur. Sed & memoria recolentes quantum prosperitatis Gallijs accesserit, ex quo Clodouæus Prædecessor noster monitis Clotildæ Burgundæ eius Consortis salutaris lauacri aquis se tinxit, & Reges inter omnium primus audijt Christianus, gaudemus ter nobilem, quam molimur, Basilicam intra ipsius limites claudi ad illius decora promouenda, æternumque argumentum grati animi in gentem beneficio prorsus singulari de nostra corona in paucis benemeritam. Volentes insuper augere, & maioribus in dies beneficijs cumulare Religiosissimum PP. Fuliensium Cœtum nostris in Regnis exortum, à S. Apostolica Sede approbatum, & amplissimis priuilegijs, ac indultis munitum: Quemquam præterea ne lateat eosdem auctos potissimùm liberalitate Henrici Magni inuictissimæ, & celeberrimæ Memoriæ Regis, Patris Nostri, & Domini colendissimi, cuius anima sit in gloria; qui cum excitasset ad impetrandam prolem, Parisiensem eorundem Coloniam ipsimet D. Bernardo nuncupatam, in vico S. Honorati non modo noster, sed & Reginæ dilectissimæ nostræ Socia, & Contoralis natalitius dies infra annum illuxit, Nos hac potissimùm de causa, occasionem eundem Sanctum in suo natali solo colendi, vel vti cœlitus immissam quàm libentissimè amplectimur.

His de causis ad eius laudem, & gloriam, qui mirabilis in Sanctis suis, cum vnamquamque orbis terrarum plagam, Prouincias præ cæteris Catholicæ communionis militantis eiusdem Ecclesiæ firmamentum luculento aliquo Sanctitatis sidere decorauit, Regnum nostrum adornare, & irradiare voluit luculentis virtutibus celeberrimi adeo Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris, qui Populorum reformator, schismatum, & dissidiorum conciliator extitit, Regularis præterea sobolis Patriarcha, miraculorum patrator, Virginis Deiparæ deuotissimus,

&

si quis alius, laudatam domum inter venerabiliores nostri Regni censemus, dignam prorsus, quæ cohonestata solemni Templo, & cultoribus, beneficiorum in orbem vniuersum fons scatens sit, & à Religiosis eiusdem Institutionis inhabitetur. Itaque præsentibus nostra manu signatis titulum, & præconia conditoris Ecclesiæ, & Monasterij Fontanensi in celebrato castro ædificandorum nobis ipsis assumimus, amplitudinis nostræ beneficia in ipsum congesturi, quotiescunque opportuna sese occasio dederit. In præsentiarum fundationem eam Regiam dicimus, & consortem priuilegiorum, & immunitatum, indultorumque, quibus gaudent Monasteria Regni nostri, quæcunque illa sint, præeminenti huiuscemodi nuncupatione decorata. Monachis, qui quandiù ædificium Regulari obseruantiæ aptum ad fastigium perducatur, diuinis ibidem vacabunt officijs mille lyras donabimus, & obrogabimus, donamus, & obrogamus exigendas annuatim à regijs Burgundiæ vectigalibus, ex quibus iisdem aliæ termile infrà quidem voluentis annis spatium, sed nonnisi semel tantum enumerabuntur, & has impendendas præcipuè ad manum extremam sacello eiusdem Sancti apponendam. Cessabit autem dos præfata lyrarum mille in annos singulos, simul atque vacante aliquo beneficio Ecclesiastico ex ijs, quæ Regiæ nominationi subsunt, de illo prouiderimus, prout promisimus, & iterato promittimus, familiam diuinis ibi obsequijs congruo numero alendam, quæ cum opere impleuerimus, Religiosi huius Claustri inquilini suis orationibus salutem Nobis, & Regno nostro felicitatem à bonorum omnium largitore Deo implorabunt. Vtque Prouinciæ, Vici, Oppida, Communia, prodigijs huius S. Patris illustrata nostra in primis Burgundiæ Prouincia, & Ciuitas Diuionensis, præclari huius Ecclesiæ luminis dignata natalibus, Regni Præsules, & Optimates, alijque, qui huiusmodi nacta opportuninate suam velint largifluam pietatem in Dei famulum exercere, eiusque patrocinium effusa liberalitate demereri, piam mentem valeant adimplere, Nos nemini obicem ponimus, imò, sancta æmulatione, ac largitionum copia ædificium vrgere monemus; & hortamur. Datum apud S. Germanum del'Haya mense Iunij. Anno gratiæ 1618. Regni nostri nono.

Pro Rege.
Poitiers.

Con-

Concitata deuotione pectora ad solum electissimæ Diui Bernardi natiuitatis Regulari ædificio, ac solemni Templo condecorandum, quemadmodum diplomate notum voluerat Ludouicus Rex, haud secus compleuit opere. Fundamentis aptatus lapis cæterorum caput cum inscriptione

Christo Iesu annuente,
Meritis S. Bernardi,
Inclitus Rex
Viuat, vincat, regnet,
Pius, Potens, Felix.

Ludouici XIII. Francorum, & Nauarræ Regis Christianissimi mandato, & nomine, Serenissimæque eius Coniugis Annæ Austriacæ, Ædis sacræ D. O. M. in honorem S. Bernardi (cuius felici ortu, signisque patentibus, hunc sibi diuina clementia collem sanctificauit) construēda D D. Rogerius de Bellegarde totius Burgundiæ à Rege Moderator meritissimus, Galliarum Hipparchus, &c. Hunc capitalem lapidem deuotissimus posuit, die sexta Ianuarij, anno salutis M. DC. XIX.

Reliqui lapides per ordinem columnis suppositi omnes cum pietatis commendatione Regi, Regnoque prospera cuncta auspicantes leguntur penes nostrum Ioannem à S. Malachia in libello de ipsis edito, à quo Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi sub die 20. Augusti. Eisdem Lectorem dimitto. Claudit quippe descriptionem Carolus à S. Bernardo pensi mortalibus cunctis impositi ætatis in flore persolutor, & dum conspicit exerescere sanctuarium, sua quidem pietate ideatum, Regio autem sumptu constructum, euocatus ad Basilicam Gloriæ. Denascitur Lutetiæ pridie Idus Martij anni 1621. Resignasse verò in manibus Conditoris Spiritum excipi dignum sidereo in Regno, cuius amplitudinem aulæ coinquinatum nihil ingreditur, fama dixit, ex ore potissimùm auditoris conscientiæ asserentis in generali expiatione noxarum animam se demiratum nulla læthali culpa fœdatam.

1621. Montem Soractem condecorat pio decessu *Io. Baptista à S. Bernardo* ad superos euocatus anno 1621. mense Septembri. Abest Soracte duodecimo ab vrbe lapide, Caput attollit fulmineis nubium telis obnoxium, in latera verò protenditur syluosis saltubus circumfusa.

fusa. Qui auris lenioribus æstiuo tempore gratulatur, ad lyricorum Coriphæi querulum plectrum rigidiorem Cœli inclementiam in *hyeme* accusat:

Vides vt alta stet niue candidum
Soracte: nec iam sustineant onus
Syluæ laborantes: geluque
Flumina constiterint acuto.

Quandiù falsa Gentilium Religio debitum vero Numini cultum saxeis impendit Idolis, Mons fuit Apollini sacer, & præstigiosa ob portenta, Feroniæque lucos celeberrimus. Ex quo autem veræ fidei meridianā lucem reparator Dei filius in orbem intulit, superstitione eliminata, ad excolendā sanctitatē opportunus recessus actutum fuit. Sanè postquam excepisset S. Syluestrum, aliosque Assertores Christi fallentes fuga Imperatorum insidiantium iras, transijt in domicilium mittentium mundo nuntium; peperitque Cœlo cum ornatissimos Anachoretas, tum absolutissimos Cœnobitas, alios nempe singulare obsequium distinctis in cellulis Deo reddentes, alios verò ad claustralem obseruantiæ normam compositos, vnàque conuersantes. Eorum vnus S. Nonnosus fuit, vir, quà virtutum, quà miraculorum radijs ipso Soractis fastigio longè sublimioribus Mundo coruscus. Florebat Nonnosus Præpositus Monasterij propè Ecclesiam S. Syluestri in rupium vertice exædificati sexta post Deum Hominem ætate, à qua ad annum vsque octauum, & octuagesimum supra sesquimillesimum, quot amabò incolæ, & quàm varij Religiosi moris adiere Soractis sedem, dimiseruntque? Cum delecta sociorum manu biennio illam tenuit Carolus Mannus, Caroli Martelli Francorum Regis Filius, Pipini Frater, restituitque Ecclesiam S. Syluestri, à Longobardis excisam. Carolo Manno Cassinum profecto fuit Benedictinæ, quæ diutiùs præ cæteris, imò ipsum ante S. Nonnosum illam occupauerat. Fuit Cisterciensis Institutionis. Transijt ad Paulum Iustinianum, Congregationis Montis-Coronæ auctorem, ad Sodalitatem Onophrianam, B. Petri de Pisis dictam, ad Minores de Obseruantia ex familia Araçelitana amandatos. Sed Araçelitanos sex, totam scilicet familiam percussam fulmine sustulit vna dies. Onophriani vasis colligendis impigri elusere discrimen. Paulus Iustinianus intra annum naturæ cessit. Benedictini modò sodalium Coloniam, illuc eduxere, modò reuo-

reuocarunt, modò Abbatiæ S. Pauli de Vrbe subiectam rexere per Ascetam, cui incumberet cum Ecclesiæ cultu solicitudo Eremitarum exlegum, ac supplentium Claustralium incolarum defectum. Habuere & Cistercienses, sed ynitam Cœnobio trium fontium, quò proficerent redditibus, nec incommoda sustinerent mansionis. At tandem aliquando commorantium trepiditati tantæ, frequentiæ tantæ immutatæ sedis vt occurreret Petrus Card. Aldobrandinus, Abbas Commendatarius Soractis domicilium restaurato S. Bernardi cœtui commisit, qui S. Syluestri Ecclesiam cum etiam regat, paulò ab illa inferius opportuniorem domum, Templumque sub inuocatione S. Mariæ Gratiarum suis posuit, tam allectus sanctitate stationis, quàm ad fulminum concussionem impauidus.

Sed actum iam satis de loco dormitionis. Attingenda nunc præconia ornatissimi viri in osculo Domini ibidem occumbentis. Ordini mancipatus in Romana S. Pudentianæ domo, cum obseruantia sequenda Claustrale etiam agnomen *Io. Baptistæ à S. Bernardo* assumpsit. Cæterùm appellabatur *Ioannes Baptista Rodulfus*, qua nobili procreatus origine primam aspexerat lucem in pago Casolano Diœcesis Foro-Cornelij in Æmilia. A Regularis conuersationis æuo breuior quidem ei laus, vt qui vndecimo eius anno nondum completo excesserit. Sed virtutum compendijs vitæ vsuram pensauit, indeque amplissima ei commendatio. Fragrantior pudicitia, cuius suaueolentiam iuxta excolunt vernans ætas, ac elegantia formæ: & huius castimoniæ ille spirabat odorem. Eximia à Sęculo fuga, si consequatur parentum lucta, & victoria: nec aliam ille adornauit. Paupertatis, & austeritatis amplexationi quid præcellentius inest, quando à posthabitis diuitiarum copia, delitiarumque affluentia efferatur? Sed ipsissimæ sunt, quibus sese Ioannes Baptista deuouit. Ardens profectò solitudinis amor in Monacho vltraquam Cęnobitici moris Sacramento iam à turbis remoto, se vlterius elongante à Sodalium consuetudine Cęnobitarum libentiori secum consistentia in cubiculo: hanc verò ille colebat. Humilitatem in Asceta à prosapiæ claritate, ab animi dotibus, ingenijque acumine præcellenti excelsiorem nemo ibit inficias: ideoque sublimem admodum in Ioanne, in quem egregiæ adeo partes confluerent. De corporis afflictatione nihil dixero, edomabat quippe ignitos adolescentiæ stimulos, longioris indumento

subuculæ ex setis contextæ, quemadmodum & plurima extra ordinem austeritate, pernoctatione, abstinentia. Siluero etiam diuinæ studium Psalmodiæ in eo, qui tanta animi alacritate, vocisque contentione in decantandis officijs vteretur, vt afflati liquida cordis voluptate comprobaret. Illud addidero insanabilis acerbitate morbi sicut tentatam patientiam, expolitam reliquam eius virtutem, ac adauctam. Inuasit faciem gangręna, ora, nasum, genas fœdè depascens. Hinc deformata vultus species, distillans corrupta sanies, scatentium grex vermiculorum, affluens pestilens odor. Hinc grauior adhuc appendix esse intuentibus fœtore, aspectu grauem; In segregatam reijci cellulam, arceri à communibus Patrum conuentibus, prohiberi ab interesse Choro, imò ab ipsa Ordinum susceptione sacrorum. Hinc tandem, quòd irritis remedijs, non meliùs Romæ haberet, translatio ad Soractis montem. Sed internarum copia consolationum, virtutisque sanctiùs exercendæ commodo rependebat ibi munificè Deus quidquid molestiæ à corporis clade hauriret. Itaque ille ærumnam magni facere, & ærumnæ detrimenta computare inter beneficia. Et reuerà in tolerantiæ arena recentior Iob constitutus patientissimi præconium comparare sibi potuit, vt comparauit. Nocturnum, diurnumque Odeum nequaquam obibat; sed interdiù, noctùque erat multo tempore innixus genibus ante simulacrum Virginis, quod etiam nunc visitur, eoque coram longam effundebat precem priuatæ officij recitationi superadditam. Sensim quidem deficiebat tabefacta caro. At ille plenè gratulabatur sua in emarcescente mortalitate ob oculos consummationem habere, in quam tandem humani corporis dissoluta machina desinit. Sciscitatus an perpessa infirmitas animo molesta inhæreret: Imò, inquit, iucunditate perfundit. Frangit corpus, erigit spiritum, laxatque sinum complectendis libentissimè palmis de carne à se ipsa triumphata facilè demetendis. In cubiculo à cæteris seorsim gaudebat se integrè nactum, quod in voto Religionis statu anxiè concupierat, solitudinem, & silentium. Diuina mysteria si conficere ad aram prohibebatur, audiebat Infirmarium summo quoque mane celebrantem, & diebus alternis sumebat viuificum Christi corporis ferculum. Tanto cum apparatu virtutum, patientiæ maximè, quæ opus perfectum habet, vltimo occurrit peregrinationis diei, annos natus triginta tres, siquidem editus 1588. 23. Iunij,

in

in Congregationem cooptatur quarto Id. Martij 1609. Deficit 1621. intra octauam datæ Mundo Virginis, Mundi Reparatricis. In vitæ confinio excubantibus indicauit gestu supernis se recreatum visionibus, & Simoni à S. Mauritio Priori nudè aperuit semel Deiparam, Christum autem semel, iterumque sibi apparuisse. Qua verò nocte agebat animam, die insequenti emissam, Soractis fastigium effulsit luce varijs iridis coloribus distincta. Qui quidem insolens splendor cubiculo decumbentis rectà imminens cum adiacentium incolis Oppidorum, peregrinos etiam Lauretum Via Romana pergentes ad Monasterium attraxit. Cumque probatæ virtutis Monachum in illo ipso articulo naturæ concedentem comperissent, in piam concessere mentem, occidere Mundo lucis filium, cumque Cœlo quantociùs oriturum pompam miræ adeo claritatis præcedere. Humo conditus est apud veterem S. Mariæ Gratiarum Ecclesiam in communi quidem ossuario, sed à comparata præcellentioris fama probitatis in loco à reliquis separato. Videsis Antonium cognomento delli effetti in memorijs S. Nonnosi Abbatis in Monte Soracte, locorum Soracti circum adiacentium, nec non & eorundem pertinentiarum, quemadmodum & censum professorum in Monasterio S. Pudentianæ, vbi reperies

Anno à Natiuitate Domini 1610. die 22. mensis Aprilis Frater Ioannes Baptista à S. Bernardo Clericus, cognominatus in Sæculo Rodulfus, ex Pago Casolano, Diœcesis Forocornelienfis, aliàs Imolensis suam emisit professionem in S. Pudentiana de Vrbe in præsentia D. Sancij à S. Catharina Superioris Generalis nostra Congregationis, obdormiuit in Domino 1621. die ... mensis Septembris in Monte Soracte, & nocte illa, qua præcessit diem obitus sui, lux ex Iride diuersorum colorum in cacumine Montis supra cellam, in qua æger decumbebat apparente, fulgebat, ita vt dies videretur, quemadmodum incolæ Oppidorum iuxta Montem adiacentes testantur, & PP. dicti Monasterij, præsertim D. Simon à S. Mauritio Prior, affirmans illi apparuisse bis Christum Dominum Redemptorem Nostrum, & semel B. Virginem Mariam: Fuit iste humilis, obediens, & in graui infirmitate, qua nares eius, & fauces tabe rodebantur, valdè patiens. Natus anno 1588. die 23. Iunij, ac ætatis suæ 21. completo die duodecimo Martij 1609. ingressus est Religionem, in qua vixit 12 annos, & men-

menses sex cum mortuus sit anno 1621. die vt creditur, eo quod ignoratur dies certus obitus sui, non scriptus in libro professionum, decima quinta mensis Septembris, ætatis suæ 33. completo, quo Dominus noster Iesus Christus mortuus est pro nostra salute, sepultus est in antiqua Ecclesia B. Mariæ Gratiarum in communi fratrum sepultura, ibique in angulo eius ossa requiescunt, donec veniat immutatio illorum.

1622. *Hilarius à S. Ioanne Baptista, Ratta*, è comitatu *Scalengharum*, Pedemontij Oppido obscuritatem generis vnde exijt, virtutum nitore illustrauit. Inter professionis prima stipendia prolusit totius vitæ curriculo magis deinceps suspiciendo, impleuitque à Philosopho gentili admodum Christianè dictum: *Fugiendum ergo, & in se redeundum, imò etiam à se recedendum.* Fugijt nimirum, cum abrenuntiauit Sęculo; In se redijt, cum vim mentis collegit, & ad animi expolitionem vnicè contraxit, insuper & à se ipso recessit totus in verè Monachum abiens abnegatione sui cum amplexatione crucis. Per reliquos inferiores gradus ad primam deinde sedem assumptus anno 1620. præluxit restaurationi æquè superior meritis, ac eminentior dignitate. Antistitis autem regimen discretione, dexteritate attemperatum, vt culpas paucis notas persanaret obtegendo vulnera, consulendo famæ, in publicas autem cum nihil de seueritate remitteret, propenderet semper in lenitatem, corripi gaudens ad frugem transgressores ad solam noxæ grauitatem obiectam. Dormiebat quis non cucullatus. Cellam ex inopinato ingressus, violatam conspexit in somno capiendo modestiæ legem. Excitauit quiescentem, increpauitque seueriter. Sufficiat palmare adeo erratum commisisse semel. Modò vidisse nolo. Si feceris, secundò, oculos habebo vindices. At moderata licet correctio, efficacissima tamen, quippe confessus postmodum ille, violento veluti percussum fulmine, tota iacuisse nocte. Mane facto festinauit ad eius pedes, & toto prostrato corpore poposcisse veniam, nec vltra violasse sancitum. Tractandis animabus ęquè apta manus. Facilima etiam animarum informationis ars versatissimo in SS. Patrum vigilijs, aliarumque institutionum spiritualium opellis. Si quis intimi status panderet sinum, is vel scrupulis lancinatus, vel Dęmonis astubus circumuentus consilium posceret: aperto codice propinabat statim legendum locum vbi virtutis oppositæ con-

contineretur disciplina, & documentis ad retundendum hostem affatim imbutum dimittebat. Humilitas quoque eximia. Supremo Magistratu sublimem attollebant magis inhærere impensiùs muneris ponderi, dissimulare studiosiùs dignitatis lucem. Velle cæteris censeri æqualem, manumque dare inter mundantes vel Templi, vel Cœnobij pauimenta. Interesse in fulonica, suaque ipse purgare lintea. Inseruire mensis cum Monachis præceptum sit, Superioribus non iubent statuta, sed commendant. At illi cum id obsequij suo præstare tempore aliquando è memoria excidisset, diluit mox obliuionem, officio insequenti hebdomada repetito, & ad vnam, alteramque continuato. Asperitas in sui tractatione proculdubiò summa, quando virum sustulit anno ætatis suæ quadragesimo, seu cùm vires florescunt.

Nec minus alijs numeris præesse, & prodesse intimè cupidus Reformationis dilationi egregiam nauauit operam. Illo suasore, & approbatore constabilimur Vercellis Ad B. Mariam, & S. Victorem, Confratriæ disciplinantium oratorium, & accipimus in dotem Prioratum titulo S. Bernardi propè eandem Ciuitatem, expeditis breuibus literis Greg. XV. ad preces Iacobi Goriæ supra famæ vires commendatissimi eiusdem sedis Episcopi.

Franciscus à Ponte Patritius Astensis, nobilitate generis, opum affluxu, eximijs in Aula Sabaudiæ gestis muneribus spectabilis Eques aliud contubernium posuit intra ipsam Vrbem Astensem sub inuocatione B. Mariæ Consolatricis, quam nuncupationem adhuc in præsentiarum retinet, licet Excellentissimus Marchio Ghiro Franciscus Villa, bellica celebris laude, veteri exciso, aliud magnificentiùs Templum erexerit Diuo Theobaldo Monte-Regali in lucem edito, Albæ verò Pompeiæ quiescenti, vbi miraculis, & vitæ sanctimonia celebris obdormiuit in Domino.

Accessit item in Pedemontio Monasterium B. Mariæ de Miraflores in Augustæ Taurinorum campestribus, tertio ferè ab Vrbe milliario, fundatore Victore Amedeo I. Sabaudiæ Duce, qui Regalibus suis otijs Villam ædificauit, & huius professionis Ascetis vnicè à se dilectis claustrum adiecit. Rus ipsum Palatij mole, vijs quaquauersùm arboribus consitis, aquarum decursibus, fontibus ex pario marmore, saltibus, venationibus, piscinis conspicuum, Cœli clementia Tempe nuncupandum, fructuum verò suauitate alterum vel Alcinoi pomerium,

rium, vel Panormi Concham, aut si huiuscemodi quodpiam celebrius Pomonæ delitium eidem ex æquo conferendum, placuit à copiosa florum varietate Miraflores dicere. Monasterio, Visitationis S. Mariæ, cuius deuotissimus erat, & S. Barnabæ annua veneratione ibidem celebris, nomen dedit. Rus ipsum splendidissimè cum perfecisset, easdem magnificentiæ notas in sacro hoc appendice, Dux pijssimus parabat explere, cum acerbo fato desideratus, posteris reliquit hilarem, quo fruerentur secessum, & Religiosæ domus initium, quod pro innata in Dei Genitricem pietate, & beneuolentia in hanc Reformationem absoluerent.

Sedis autem apud Ecclesiam Beatæ Mariæ de Testona, Oppido olim euerso, è cuius ruderibus Ducalis nunc Montis-Calerij Ciuitas consurgit, alter promotor meritò appellandus est egregia sollicitudine, qua procurauit nostros homines constabiliri in statione sub prædecessore inchoata, ac censu ad alendos incolas impinguari. Domus consurgit ad vitiferorum radices collium, vbi vasta planities ad Padum vsque protensa explicare se incipit. Adsidet viæ publicæ Cherium, Astam, & Insubriam ducenti. Quo cingitur muri ambitus, non modicum concludit agri spatium vernanti cum Flora, Pomonæ fructibus, & vmbraculis Topiarijs ab æstu protegentibus amœnè, vtiliterque consitum, adeoque iucundum Monachis delitium, imò & Regalibus ipsis Sabaudiæ Celsitudinibus, quandocunque è Palatio, quod Christina à Francia proximo Montis-Calerij vertici à fundamentis imposuit, huc secedere delectantur. Cæterum Catharinam Parpaliam Vagnonam coniunctis studijs cum Hieronymo Vagnono Castriveteris Comite viro suo, & Monasterij fundatore Ecclesiam adornasse, fidem faciunt perpetuam caracteres appositi sub eorumdem effigie ad latera forium Templi introrsum. Ad dexteram legitur.

Francisco Hieronymo Vagnono
Domino Castri-veteris
Ex DD. Truffarelli, & Cellarum Comitibus,
Quòd Basilicam Deiparæ sacram
Pium Testonæ Oppidi monumentum instaurauerit;
Quòd Cœnobium à fundamentis extruxerit,
Et perpetua liberaliter annona muniuerit,
Monachi Cistercienses

Inter

Inter cæteras animi grates. PP. 1643.

Ad læuam verò.

Catharina Parpalia, Vagnona,
Ex DD. Rouigliasci,
Et Cellarum Comitibus
Maiorem Aram Virgini, ac Matri,
Et in Odeo psallentibus subsellia
Condidit.
Ne conderetur beneficium,
Monachi Cistercienses multifariam memores
Bene merenti condiderunt. 1643.

Consimili studiorum contentione incremento per Gallias adlaborans alteram fundationem anno restauratę salutis 1619. à prædecessore excogitatam initiauit, ac promouit Lugduni; Alteram verò in Diœcesi Lemouicensi à se conceptam successori adeundam reliquit anno 1623. eius conscensus ad Generalis Exedram primo. Consedere in frequentissima Vrbe Lugduno, celeberrimo Galliarum Emporio, ad rem Cœtus excrescentis faciebat plurimum. Ergo sub auspicijs Caroli de Noua-Villa, & Halincourt in Prouincia Toparchæ comparatis cum Regis Christianissimi placito, Simonis etiam de Marquemont Archiepiscopi Cardinalis facultate, piorum eleemosinis mansione vtcumque locata, ipsa postmodum Ciuitas fundatricis sibi nomen assumpsit, cuius partes post ædes luculenter excitatas, recentibus in dies beneficijs pergit æquare. Ita monumentum pario in marmore perennatum, & in prospectu Templi ad legendum expositum.

Regnante Ludouico XIV. Gubernatore Nicolao de Neuuille Villaregio, Marescallo Duci, ac pari Franciæ, Archiepiscopo, ac pro Rege Camillo de Neuuille Fuliensium Monasterij patrocinium, & curam, vt Patroni, & Fundatores magnifici publico Instrumento susceperunt. Præfectus mercatorum D. Franciscus de Baillon. D. Ludouicus Dugas, D. Hugo André, D. Marcus Antonius Mazenadet, D. Carolus Rougier huius Ciuitatis Lugdunensis Consules Anno salutis, & pacis M. DC. L. IX.

Porrò Ecclesia S. Carolo attitulata prima fuit ex erectis in Gallia tanto Borromeæ gentis, Augustiuè Senatus ornamento, id quod vbi Me-

Vernantem ætatem, vultusque speciem deformabat oculus corruptus ab humore è capite diffluente, & obcæcatus. At Patres rati habendam in pretio virtutem animi formoso etiam in corpore non aduenientem, inferendum censuere in sociorum album, & Cœnobitica induere lagena anno 1613. Mores ad sanctimoniam probatos, illibatam maximè puritatem, sui despicientiam, obedientiam exactam, afflictationem corporis, orationis, & contemplationis ardorem, & cum infirmitatum patienti perpessione illustrem quoque miraculis rumulum noster D. Petrus à S. Hilario diserto perstringit opusculo excuso Parisijs anno 1622. apud Ioannem de Heuque-Ville in 8. sub nomine D. de Tournemeulle; Auctor testis de visu, & veritati litator elucubratiunculam hanc nostram compendiariam potiùs quàm effusam à prolixiori scriptione rerum à Carolo gestarum absoluit. Quæ laus ad Genesim etiam Collegiorum Congregationis raptim saltem attingendam peculiarem hic commendationem deposcit, celebris est Religio in D. Bernardum, & post susceptum Reflorescentis eius militiæ authoramentum prouinciam assumpsisse vertendi in Claustrum Reformationis Castrum Fontanense auitam eius domum, ac consecrandi in sacellum penetrale ipsum, vbi suauissimus Ecclesiæ Doctor editus fuerat in lucem ab Adeleida Matre. Solo liberali Parentum manu comparato, & conceptæ mentis pia euulgata præstantia, Rex Christianissimus cultus ergo in D. O. M. & D. Bernardum, ad Fuliensis item incrementum germinis; ad omnium Galliæ Prouinciarum, Burgundiæ in primis gloriosæ eius Patriæ decus, vnàque ad pacem domi, forisque impetrandam, æternumque monimentum quemadmodum ab eo sibi faustitatem spondebat, quo auspicante infecundis genitoribus soboles desideratissima datus fuerat, initiandæ domus se Auctorem dixit, & omnibus munificentiæ numeris moliendam vnam ex Regijs fundationibus declarauit patentibus literis, quæ ex vulgari sermone latinè interpretatæ sonant:

Ludouicus Dei gratia Franciæ, & Nauarræ Rex præsentibus, & futuris salutem.

Cum dilectissimi Oratores Religiosi Congreg. B. Mariæ Fuliensis in ipsis initi à nobis Regni primordijs adierint possessionem Castri Fontanensis secus nostram Diuionis Vrbem, seu Paternarum ædium D. Bernardi, sub cuius vexillo Altissimo famulantur, Nos huiuscemodi

acqui-

acquiſitionem per eoſdem Monachos factam approbamus, eamque Regia auctoritate perpetuo ipſis iure impertimur. Cumque ipſummet cubiculum, in quo idem S. Bernardus in lucem venit conuerſum fuerit in ſacellum accolis frequentiſsimum, celeberrimumque miraculis, ob merita famuli ſui, ab eo patrata, qui facit mirabilia magna ſolus, Nos feruentibus exciti votis opus aggrediendi aliquod, quo Deo annuente, eiuſdem Sancti fauorem nobis propitiemus, eoque toto vitæ decurſu protecti fortunentur vota, quæ ad publicam felicitatem concepimus, Regnumque pace diuturna, pietate, atque iuſtitia componere detur. Sed & memoria recolentes quantum proſperitatis Gallijs acceſſerit, ex quo Clodouæus Prædeceſſor noſter monitis Clotildæ Burgundæ eius Conſortis ſalutaris lauacri aquis ſe tinxit, & Reges inter omnium primus audijt Chriſtianus, gaudemus ter nobilem, quam molimur, Baſilicam intra ipſius limites claudi ad illius decora promouenda, æternumque argumentum grati animi in gentem beneficio prorſus ſingulari de noſtra corona in paucis benemeritam. Volentes inſuper augere, & maioribus in dies beneficijs cumulare Religioſiſsimum PP. Fulienſium Cœtum noſtris in Regnis exortum, à S. Apoſtolica Sede approbatum, & ampliſsimis priuilegijs, ac indultis munitum: Quemquam præterea ne lateat eoſdem auctos potiſsimùm liberalitate Henrici Magni inuictiſsimæ, & celeberrimæ Memoriæ Regis, Patris Noſtri, & Domini colendiſsimi, cuius anima ſit in gloria; qui cum excitaſſet ad impetrandam prolem, Pariſienſem eorundem Coloniam ipſimet D. Bernardo nuncupatam, in vico S. Honorati non modo noſter, ſed & Regina dilectiſsima noſtra Socia, & Contoralis natalitius dies infra annum illuxit, Nos hac potiſsimùm de cauſa, occaſionem eundem Sanctum in ſuo natali ſolo colendi, vel vti cœlitus immiſſam quàm libentiſsimè amplectimur.

His de cauſis ad eius laudem, & gloriam, qui mirabilis in Sanctis ſuis, cum vnamquamque orbis terrarum plagam, Prouincias præ cæteris Catholicæ communionis militantis eiuſdem Eccleſiæ firmamentum luculento aliquo Sanctitatis ſidere decorauit, Regnum noſtrum adornare, & irradiare voluit luculentis virtutibus celeberrimi adeo Confeſſoris, & Eccleſiæ Doctoris, qui Populorum reformator, ſchiſmatum, & diſsidiorum conciliator extitit, Regularis præterea ſobolis Patriarcha, miraculorum patrator, Virginis Deiparæ deuotiſsimus,

&

si quis alius, laudatam domum inter venerabiliores nostri Regni censemus, dignam prorsus, quæ cohonestata solemni Templo, & cultoribus, beneficiorum in orbem vniuersum fons scatens sit, & à Religiosis eiusdem Institutionis inhabitetur. Itaque præsentibus nostra manu signatis titulum, & præconia conditoris Ecclesiæ, & Monasterij Fontanensi in celebrato castro ædificandorum nobis ipsis assumimus, amplitudinis nostræ beneficia in ipsum congesturi, quotiescunque opportuna sese occasio dederit. In præsentiarum fundationem eam Regiam dicimus, & consortem priuilegiorum, & immunitatum, indultorumque, quibus gaudent Monasteria Regni nostri, quæcunque illa sint, præeminenti huiuscemodi nuncupatione decorata. Monachis, qui quandiù ædificium Regulari obseruantiæ aptum ad fastigium perducatur, diuinis ibidem vacabunt officijs mille lyras donabimus, & obrogabimus, donamus, & obrogamus exigendas annuatim à regijs Burgundiæ vectigalibus, ex quibus itidem aliæ termile infrà quidem voluentis annis spatium, sed nonnisi semel tantum enumerabuntur, & has impendendas præcipuè ad manum extremam sacello eiusdem Sancti apponendam. Cessabit autem dos præfata lyrarum mille in annos singulos, simul atque vacante aliquo beneficio Ecclesiastico ex ijs, quæ Regiæ nominationi subsunt, de illo prouiderimus, prout promisimus, & iterato promittimus, familiam diuinis ibi obsequijs congruo numero alendam, quæ cum opere impleuerimus, Religiosi huius Claustri inquilini suis orationibus salutem Nobis, & Regno nostro felicitatem à bonorum omnium largitore Deo implorabunt. Vtque Prouinciæ, Vici, Oppida, Communia, prodigijs huius S. Patris illustrata nostra in primis Burgundia Prouincia, & Ciuitas Diuionensis, præclari huius Ecclesiæ luminis dignata natalibus, Regni Præsules, & Optimates, alijque, qui huiusmodi nacta opportuninate suam velint largifluam pietatem in Dei famulum exercere, eiusque patrocinium effusa liberalitate demereri, piam mentem valeant adimplere, Nos nemini obicem ponimus, imò, sancta æmulatione, ac largitionum copia ædificium vrgere monemus; & hortamur. Datum apud S. Germanum del'Haya mense Iunij. Anno gratiæ 1618. Regni nostri nono.

Pro Rege.
Poitiers.

Con-

Concitata deuotione pectora ad solum electissimæ Diui Bernardi natiuitatis Regulari ædificio, ac solemni Templo condecorandum, quemadmodum diplomate notum voluerat Ludouicus Rex, haud secus compleuit opere. Fundamentis aptatus lapis cæterorum caput cum inscriptione

Christo Iesu annuente,
Meritis S. Bernardi,
Inclitus Rex
Viuat, vincat, regnet,
Pius, Potens, Felix.

Ludouici XIII. Francorum, & Nauarræ Regis Christianissimi mandato, & nomine, Serenissimaque eius Coniugis Annæ Austriacæ, Ædis sacræ D. O. M. in honorem S. Bernardi (cuius felici ortu, signisque patentibus, hunc sibi diuina clementia collem sanctificauit) construēdæ D D. Rogerius de Bellegarde totius Burgundiæ à Rege Moderator meritissimus, Galliarum Hipparchus, &c. Hunc capitalem lapidem deuotissimus posuit, die sexta Ianuarij, anno salutis M. DC. XIX.

Reliqui lapides per ordinem columnis suppositi omnes cum pietatis commendatione Regi, Regnoque prospera cuncta auspicantes leguntur penes nostrum Ioannem à S. Malachia in libello de ipsis edito, à quo Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi sub die 20. Augusti. Eisdem Lectorem dimitto. Claudit quippe descriptionem Carolus à S. Bernardo pensi mortalibus cunctis impositi ætatis in flore persolutor, & dum conspicit excrescere sanctuarium, sua quidem pietate ideatum, Regio autem sumptu constructum, euocatus ad Basilicam Gloriæ. Denascitur Lutetiæ pridiè Idus Martij anni 1621. Resignasse verò in manibus Conditoris Spiritum excipi dignum sidereo in Regno, cuius amplitudinem aulæ coinquinatum nihil ingreditur, fama dixit, ex ore potissimùm auditoris conscientiæ asserentis in generali expiatione noxarum animam se demiratum nulla læthali culpa fœdatam.

1621. Montem Soractem condecorat pio decessu *Io. Baptista à S. Bernardo* ad superos euocatus anno 1621. mense Septembri. Abest Soracte duodecimo ab vrbe lapide, Caput attollit fulmineis nubium telis obnoxium, in latera verò protenditur syluosis saltubus circumfusa.

fusa. Qui auris lenioribus æstiuo tempore gratulatur, ad lyricorum Coriphæi querulum plectrum rigidiorem Cœli inclementiam in hyeme accusat:

Vides vt alta stet niue candidum
Soracte: nec iam sustineant onus
Syluæ laborantes: geluque
Flumina constiterint acuto.

Quandiù falsa Gentilium Religio debitum vero Numini cultum saxeis impendit Idolis, Mons fuit Apollini sacer, & præstigiosa ob portenta, Feroniæque lucos celeberrimus. Ex quo autem veræ fidei meridianã lucem reparator Dei filius in orbem intulit, superstitione eliminata, ad excolendã sanctitatẽ opportunus recessus actutum fuit. Sanè postquam excepisset S. Syluestrum, aliosque Assertores Christi fallentes fuga Imperatorum insidiantium iras, transijt in domicilium mittentium mundo nuntium; pepericque Cœlo cum ornatissimos Anachoretas, tum absolutissimos Cœnobitas, alios nempe singulare obsequium distinctis in cellulis Deo reddentes, alios verò ad claustralem obseruantiæ normam compositos, vnàque conuersantes. Eorum vnus S. Nonnosus fuit, vir, quà virtutum, quà miraculorum radijs ipso Soractis fastigio longè sublimioribus Mundo coruscus. Florebat Nonnosus Præpositus Monasterij propè Ecclesiam S. Syluestri in rupium vertice exædificati sexta post Deum Hominem ætate, à qua ad annum vsque octauum, & octuagesimum supra sesquimillesimum, quot amabò incolæ, & quàm varij Religiosi moris adiere Soractis sedem, dimiseruntque? Cum delecta sociorum manu biennio illam tenuit Carolus Mannus, Caroli Martelli Francorum Regis Filius, Pipini Frater, restituitque Ecclesiam S. Syluestri, à Longobardis excisam. Carolo Manno Cassinum profecto fuit Benedictinæ, quæ diutiùs præ cæteris, imò ipsum ante S. Nonnosum illam occupauerat. Fuit Cisterciensis Institutionis. Transijt ad Paulum Iustinianum, Congregationis Montis-Coronæ auctorem, ad Sodalitatem Onophrianam, B. Petri de Pisis dictam, ad Minores de Obseruantia ex familia Araçelitana amandatos. Sed Araçelitanos sex, totam scilicet familiam percussam fulmine sustulit vna dies. Onophriani vasis colligendis impigri elusere discrimen. Paulus Iustinianus intra annum naturæ cessit. Benedictini modò sodalium Coloniam, illuc eduxere, modò

reuo-

reuocarunt, modò Abbatiæ S. Pauli de Vrbe subiectam texere per Ascetam, cui incumberet cum Ecclesiæ cultu solicitudo Eremitarum exlegum, ac supplentium Claustralium incolarum defectum. Habuere & Cistercienses, sed ynitam Cœnobio trium fontium, quò proficerent redditibus, nec incommoda sustinerent mansionis. At tandem aliquando commorantium trepiditati tantæ, frequentiæ tantæ immutatæ sedis vt occurreret Petrus Card. Aldobrandinus, Abbas Commendatarius Soractis domicilium restaurato S. Bernardi cœtui commisit, qui S. Syluestri Ecclesiam cum etiam regat, paulò ab illa inferius opportuniorem domum, Templumque sub inuocatione S. Mariæ Gratiarum suis posuit, tam allectus sanctitate stationis, quàm ad fulminum concussionem impauidus.

Sed actum iam satis de loco dormitionis. Attingenda nunc præconia ornatissimi viri in osculo Domini ibidem occumbentis. Ordini mancipatus in Romana S. Pudentianæ domo, cum obseruantia sequenda Claustrale etiam agnomen *Io. Baptista à S. Bernardo* assumpsit. Cæterùm appellabatur *Ioannes Baptista Rodulfus*, qua nobili procreatus origine primam aspexerat lucem in pago Casolano Diœcesis Foro-Cornelij in Æmilia. A Regularis conuersationis æuo breuior quidem ei laus, vt qui vndecimo eius anno nondum completo excesserit. Sed virtutum compendijs vitæ vsuram pensauit, indeque amplissima ei commendatio. Fragrantior pudicitia, cuius suaueolentiam iuxta excolunt vernans ætas, ac elegantia formæ: & huius castimoniæ ille spirabat odorem. Eximia à Sęculo fuga; si consequatur parentum lucta, & victoria: nec aliam ille adornauit. Paupertatis, & austeritatis amplexationi quid præcellentius inest, quando à posthabitis diuitiarum copia, delitiarumque affluentia efferatur? Sed ipsissimæ sunt, quibus sese Ioannes Baptista deuouit. Ardens profectò solitudinis amor in Monacho vltraquam Cęnobitici moris Sacramento iam à turbis remoto, se vlterius elongante à Sodalium consuetudine Cęnobitarum libentiori secum consistentia in cubiculo: hanc verò ille colebat. Humilitatem in Asceta à prosapiæ claritate, ab animi dotibus, ingenijque acumine præcellenti excelsiorem nemo ibit inficias: ideoque sublimem admodum in Ioanne, in quem egregiæ adeo partes confluerent. De corporis afflictatione nihil dixero, edomabat quippe ignitos adolescentiæ stimulos, longioris indumento

 subu-

subuculæ ex setis contextæ, quemadmodum & plurima extra ordinem austeritate, pernoctatione, abstinentia. Siluero etiam diuinæ studium Psalmodiæ in eo, qui tanta animi alacritate, vocisque contentione in decantandis officijs vteretur, vt afflari liquida cordis voluptate comprobaret. Illud addidero insanabilis acerbitate morbi sicut tentatam patientiam, expolitam reliquam eius virtutem, ac adauctam. Inuasit faciem gangręna, ora, nasum, genas fœdè depascens. Hinc deformata vultus species, distillans corrupta sanies, scatentium grex vermiculorum, affluens pestilens odor. Hinc grauior adhuc appendix esse intuentibus fœtore, aspectu grauem; In segregatam reijci cellulam, arceri à communibus Patrum conuentibus, prohiberi ab interesse Choro, imò ab ipsa Ordinum susceptione sacrorum. Hinc tandem, quòd irritis remedijs, non meliùs Romæ haberet, translatio ad Soractis montem. Sed internarum copia consolationum, virtutisque sanctiùs exercendæ commodo rependebat ibi munificè Deus quidquid molestiæ à corporis clade hauriret. Itaque ille ærumnam magni facere, & ærumnæ detrimenta computare inter beneficia. Et reuerà in tolerantiæ arena recentior Iob constitutus patientissimi præconium comparare sibi potuit, vt comparauit. Nocturnum, diurnumque Odeum nequaquam obibat; sed interdiù, noctùque erat multo tempore innixus genibus ante simulacrum Virginis, quod etiam nunc visitur, eoque coram longam effundebat precem priuatæ officij recitationi superadditam. Sensim quidem deficiebat tabefacta caro. At ille plenè gratulabatur sua in emarcescente mortalitate ob oculos consummationem habere, in quam tandem humani corporis dissoluta machina desinit. Sciscitatus an perpessa infirmitas animo molesta inhæreret: Imò, inquit, iucunditate perfundit. Frangit corpus, erigit spiritum, laxatque sinum complectendis libentissimè palmis de carne à se ipsa triumphata facilè demetendis. In cubiculo à cæteris seorsim gaudebat se integrè nactum, quod in voto Religionis statu anxiè concupierat, solitudinem, & silentium. Diuina mysteria si conficere ad aram prohibebatur, audiebat Infirmarium summo quoque mane celebrantem, & diebus alternis sumebat viuificum Christi corporis ferculum. Tanto cum apparatu virtutum, patientiæ maximè, quæ opus perfectum habet, vltimo occurrit peregrinationis diei, annos natus triginta tres, siquidem editus 1588. 23. Iunij,

in

in Congregationem cooptatur quarto Id. Martij 1609. Deficit 1621. intra octauam datæ Mundo Virginis, Mundi Reparatricis. In vitæ confinio excubantibus indicauit gestu supernis se recreatum visionibus, & Simoni à S. Mauritio Priori nudè aperuit semel Deiparam, Christum autem semel, iterumque sibi apparuisse. Qua verò nocte agebat animam, die insequenti emissam, Soractis fastigium effulsit luce varijs iridis coloribus distincta. Qui quidem insolens splendor cubiculo decumbentis rectà imminens cum adiacentium incolis Oppidorum, peregrinos etiam Lauretum Via Romana pergentes ad Monasterium attraxit. Cumque probatæ virtutis Monachum in illo ipso articulo naturæ concedentem comperissent, in piam concessere mentem, occidere Mundo lucis filium, eumque Cœlo quantociùs oriturum pompam miræ adeo claritatis præcedere. Humo conditus est apud veterem S. Mariæ Gratiarum Ecclesiam in communi quidem ossuario, sed à comparata præcellentioris fama probitatis in loco à reliquis separato. Videsis Antonium cognomento delli effetti in memorijs S. Nonnosi Abbatis in Monte Soracte, locorum Soracti circum adiacentium, nec non & eorundem pertinentiarum, quemadmodum & censum professorum in Monasterio S. Pudentianæ, vbi reperies.

Anno à Natiuitate Domini 1610. die 22. mensis Aprilis Frater Ioannes Baptista à S. Bernardo Clericus, cognominatus in Sæculo Rodulfus, ex Pago Casolano, Diœcesis Forocornelienfis, aliàs Imolensis suam emisit professionem in S. Pudentiana de Vrbe in præsentia D. Sancij à S. Catharina Superioris Generalis nostra Congregationis, obdormiuit in Domino 1621. die .. mensis Septembris in Monte Soracte, & nocte illa, qua præcessit diem obitus sui, lux ex Iride diuersorum colorum in cacumine Montis supra cellam, in qua æger decumbebat apparente, fulgebat, ita vt dies videretur, quemadmodum incolæ Oppidorum iuxta Montem adiacentes testantur, & PP. dicti Monasterij, præsertim D. Simon à S. Mauritio Prior, affirmans illi apparuisse bis Christum Dominum Redemptorem Nostrum, & semel B. Virginem Mariam: Fuit iste humilis, obediens, & in graui infirmitate, qua nares eius, & fauces tabe rodebantur, valdè patiens. Natus anno 1588. die 23. Iunij, ac ætatis suæ 21. completo die duodecimo Martij 1609. ingressus est Religionem, in qua vixit 12 annos, & men-

menses sex cum mortuus sit anno 1621. die vt creditur, eo quod ignoratur dies certus obitus sui, non scriptus in libro professionum, decima quinta mensis Septembris, ætatis suæ 33. completo, quo Dominus noster Iesus Christus mortuus est pro nostra salute, sepultus est in antiqua Ecclesia B. Mariæ Gratiarum in communi fratrum sepultura, ibique in angulo eius ossa requiescunt, donec veniat immutatio illorum.

1622. *Hilarius à S. Ioanne Baptista, Ratta*, è comitatu *Scalengharum*, Pedemontij Oppido obscuritatem generis vnde exijt, virtutum nitore illustrauit. Inter professionis prima stipendia prolusit totius vitæ curriculo magis deinceps suspiciendo, impleuitque à Philosopho gentili admodum Christianè dictum: *Fugiendum ergo, & in se redeundum, imò etiam à se recedendum*. Fugijt nimirum, cum abrenuntiauit Sęculo; In se redijt, cum vim mentis collegit, & ad animi expolitionem vnicè contraxit, insuper & à se ipso recessit totus in verè Monachum abiens abnegatione sui cum amplexatione crucis. Per reliquos inferiores gradus ad primam deinde sedem assumptus anno 1620. præluxit restaurationi æquè superior meritis, ac eminentior dignitate. Antistitis autem regimen discretione, dexteritate attemperatum, vt culpas paucis notas persanaret obtegendo vulnera, consulendo famæ, in publicas autem cum nihil de seueritate remitteret, propenderet semper in lenitatem, corripi gaudens ad frugem transgressores ad solam noxæ grauitatem obiectam. Dormiebat quis non cucullatus. Cellam ex inopinato ingressus, violatam conspexit in somno capiendo modestiæ legem. Excitauit quiescentem, increpauitque seueriter. Sufficiat palmare adeo erratum commisisse semel. Modò vidisse nolo. Si feceris, secundò, oculos habebo vindices. At moderata licet correctio, efficacissima tamen, quippe confessus postmodum ille, violento veluti percussum fulmine, tota iacuisse nocte. Mane facto festinauit ad eius pedes, & toto prostrato corpore poposcisse veniam, nec vltra violasse sancitum. Tractandis animabus ęquè apta manus. Facilima etiam animarum informationis ars versatissimo in SS. Patrum vigilijs, aliarumque institutionum spiritualium opellis. Si quis intimi status panderet sinum, is vel scrupulis lancinatus, vel Dęmonis astutus circumuentus consilium posceret: aperto codice propinabat statim legendum locum vbi virtutis oppositæ con-

contineretur disciplina, & documentis ad retundendum hostem affatim imbutum dimittebat. Humilitas quoque eximia. Supremo Magistratu sublimem attollebant magis inhærere impensiùs muneris ponderi, dissimulare studiosiùs dignitatis lucem. Velle cæteris censeri æqualem, manumque dare inter mundantes vel Templi, vel Cœnobij pauimenta. Interesse in fulonica, suaque ipse purgare lintea. Inseruire mensis cum Monachis præceptum sit, Superioribus non iubent statuta, sed commendant. At illi cum id obsequij suo præstare tempore aliquando è memoria excidisset, diluit mox obliuionem, officio insequenti hebdomada repetito, & ad vnam, alteramque continuato. Asperitas in sui tractatione proculdubiò summa, quando virum sustulit anno ætatis suæ quadragesimo, seu cùm vires florescunt.

Nec minus alijs numeris præesse, & prodesse intimè cupidus Reformationis dilationi egregiam nauauit operam. Illo suasore, & approbatore constabilimur Vercellis Ad B. Mariam, & S. Victorem, Confratriæ disciplinantium oratorium, & accipimus in dotem Prioratum titulo S. Bernardi propè eandem Ciuitatem, expeditis breuibus literis Greg. XV. ad preces Iacobi Goriæ supra famæ vires commendatissimi eiusdem sedis Episcopi.

Franciscus à Ponte Patritius Astensis, nobilitate generis, opum affluxu, eximijs in Aula Sabaudiæ gestis muneribus spectabilis Eques aliud contubernium posuit intra ipsam Vrbem Astensem sub inuocatione B. Mariæ Consolatricis, quam nuncupationem adhuc in præsentiarum retinet, licet Excellentissimus Marchio Ghiro Franciscus Villa, bellica celebris laude, veteri exciso, aliud magnificentius Templum erexerit Diuo Theobaldo Monte-Regali in lucem edito, Albæ verò Pompeiæ quiescenti, vbi miraculis, & vitæ sanctimonia celebris obdormiuit in Domino.

Accessit item in Pedemontio Monasterium B. Mariæ de Miraflores in Augustæ Taurinorum campestribus, tertio ferè ab Vrbe milliario, fundatore Victore Amedeo I. Sabaudiæ Duce, qui Regalibus suis otijs Villam ædificauit, & huius professionis Ascetis vnicè à se dilectis claustrum adiecit. Rus ipsum Palatij mole, vijs quaquauersum arboribus consitis, aquarum decursibus, fontibus ex pario marmore, saltibus, venationibus, piscinis conspicuum, Cœli clementia Tempe nuncupandum, fructuum verò suauitate alterum vel Alcinoi pomerium,

rium, vel Panormi Concham, aut si huiusccemodi quodpiam celebrius Pomonæ delitium eidem ex æquo conferendum, placuit à copiosa florum varietate Miraflores dicere. Monasterio, Visitationis S. Mariæ, cuius deuotissimus erat, & S. Barnabæ annua veneratione ibidem celebris, nomen dedit. Rus ipsum splendidissimè cum perfecisset, easdem magnificentiæ notas in sacro hoc appendice, Dux pijssimus parabat explere, cum acerbo fato desideratus, posteris reliquit hilarem, quo fruerentur secessum, & Religiosæ domus initium, quod pro innata in Dei Genitricem pietate, & beneuolentia in hanc Reformationem absoluerent.

Sedis autem apud Ecclesiam Beatæ Mariæ de Testona, Oppido olim euerso, è cuius ruderibus Ducalis nunc Montis-Calerij Ciuitas consurgit, alter promotor meritò appellandus est egregia sollicitudine, qua procurauit nostros homines constabiliri in statione sub prædecessore inchoata, ac censu ad alendos incolas impinguari. Domus consurgit ad vitiferorum radices collium, vbi vasta planities ad Padum vsque protensa explicare se incipit. Adsidet viæ publicæ Cherium, Astam, & Insubriam ducenti. Quo cingitur muri ambitus, non modicum concludit agri spatium vernanti cum Flora, Pomonæ fructibus, & vmbraculis Topiarijs ab æstu protegentibus amenè, vtiliterque consitum, adeoque iucundum Monachis delitium, imò & Regalibus ipsis Sabaudiæ Celsitudinibus, quandocunque è Palatio, quod Christina à Francia proximo Montis-Calerij vertici à fundamentis imposuit, huc secedere delectantur. Cæterum Catharinam Parpaliam Vagnonam coniunctis studijs cum Hieronymo Vagnono Castriveteris Comite viro suo, & Monasterij fundatore Ecclesiam adornasse, fidem faciunt perpetuam caracteres appositi sub eorumdem effigie ad latera forium Templi introrsum. Ad dexteram legitur.

Francisco Hieronymo Vagnono
Domino Castri-veteris
Ex DD. Truffarelli, & Cellarum Comitibus,
Quòd Basilicam Deiparæ sacram
Pium Testonæ Oppidi monumentum instaurauerit;
Quòd Cœnobium à fundamentis extruxerit,
Et perpetua liberaliter annona munierit,
Monachi Cistercienses

Inter

Inter cæteras animi grates. PP. 1643.

Ad læuam verò.

Catharina Parpalia, Vagnona,
Ex DD. Rouigliaſci,
Et Cellarum Comitibus
Maiorem Aram Virgini, ac Matri,
Et in Odeo pſallentibus ſubſellia
Condidit.
Ne conderetur beneficium,
Monachi Ciſtercienſes multifariam memores
Bene merenti condiderunt. 1643.

Conſimili ſtudiorum contentione incremento per Gallias adlaborans alteram fundationem anno reſtauratę ſalutis 1619. à prædeceſſore excogitatam initiauit, ac promouit Lugduni; Alteram verò in Diœceſi Lemouicenſi à ſe conceptam ſucceſſori adeundam reliquit anno 1623. eius conſcenſus ad Generalis Exedram primo. Conſedere in frequentiſſima Vrbe Lugduno, celeberrimo Galliarum Emporio, ad rem Cœtus exereſcentis faciebat plurimum. Ergo ſub auſpicijs Caroli de Noua-Villa, & Halincourt in Prouincia Toparchæ comparatis cum Regis Chriſtianiſſimi placito, Simonis etiam de Marquemont Archiepiſcopi Cardinalis facultate, piorum eleemoſinis manſione vtcumque locata, ipſa poſtmodum Ciuitas fundatricis ſibi nomen aſſumpſit, cuius partes poſt ædes luculenter excitatas, recentibus in dies beneficijs pergit æquare. Ita monumentum pario in marmore perennatum, & in proſpectu Templi ad legendum expoſitum.

Regnante Ludouico XIV. Gubernatore Nicolao de Neuuille Villaregio, Mareſcallo Duci, ac pari Franciæ, Archiepiſcopo, ac pro Rege Camillo de Neuuille Fulienſium Monaſterij patrocinium, & curam, vt Patroni, & Fundatores magnifici publico Inſtrumento ſuſceperunt. Præfectus mercatorum D. Franciſcus de Baillon. D. Ludouicus Dugas, D. Hugo André, D. Marcus Antonius Mazenadet, D. Carolus Rougier huius Ciuitatis Lugdunenſis Conſules Anno ſalutis, & pacis M. DC. L. IX.

Porrò Eccleſia S. Carolo attitulata prima fuit ex erectis in Gallia tanto Borromeæ gentis, Auguſtiuè Senatus ornamento, id quod vbi Me-

Mediolanensis Ecclesia rescivit cum alijs sacris lipsanis stolam etiam dono misit, qua Præsul Vaticanam supra purpuram sanctitate nobilior vtebatur.

Domicilium autem in Diœcesi Lemouicensi adiectum, erat Abbatia S. Martino Turonensium Antistiti inscripta, & molita pro Benedictina viuendi norma ab Helduino Episcopo Lemouicensi, Fratre Ioffredi Abbatis S. Martialis, & Guidonis Vicecomitis anno 1012. in Manso, quod olim intererat S. Eligij Parentibus. Cum autem disiecta ibidem ascetica disciplina strictioris obseruantiæ alumnos restauratores postularet, Institutionem Cistercio-Fuliensem deposcere censebatur. Hilarius Generalis Præpositus annuit Ludouico Marchando Lemouicensi Canonico, & Abbati Commendatario educeretur illuc Colonia nostratum, quam licet, vita precoci fato abrupta, non immiserit ipse, immittendam reliquit successori anno 1623.

Votis amplificandæ Congregationis par erat in Hilario ardor excolendæ disciplinæ. Ea propter, Visitatione indicta Familiarum profectionem instituit ad illius progressiones singulis in Domibus perurgendas. Roma discessit, præmisitque morum censuræ demissionis, ac pœnitentiæ specimen perquam eximium, nam, reiecto omni equitatus commodo, itinera absoluebat plantis excalceatis, & continuò ieiunus vsque ad vesperam. Lustranda contubernia complectebantur inuisotem austeritatis omnibus demirandæ, à paucis assequendæ. Auscultabant in Patrum consessibus accendentem inflammata dictione animos ad accipiendum brauium, prosequendumque amplexatæ professionis cursum non sine assequutione coronæ. Audiebant diuerberantem acriter in cubiculo corpus, & sui maceratione implorantem muneri supernum robur. Cernebant planè exhibere se Monachum, quò aptum exhiberet Censorem, nec in declinationes à Regula animaduertere redargutionibus magis, quàm exemplo. His immorantem acuta febri mors intercepit in Oppido Florentiolæ Parmensis, raptum citiùs ab inspectione sodalitatis ad visionem Numinis, vnde ipsi amplissimum præmium. Patres, quem Cœlo receptum credidere, singularis tumuli cohonestarunt honore superimpositis lapide, & inscriptione suo loco iam impressa, à quo insueto in nostra societate sepulcri decore magnum Historiæ momentum impendendi eidem quidquid & ipsa valet conferre perennitatis, ac laudis.

1623.

1623. Statim ac Fuliensis Abbatia ad sanctiora religiosissimi Cisterciensis Ordinis studia redire cœpit, ineundæ eius disciplinæ consilium egregius adolescens maturauit. Fuit is *Guillelmus à S. Alexio*, cui in Sæculo cognomen *Gallettus*, è *Maclouio* Britanniæ minoris Ciuitate, filius Petri Galletti Institoris, & magnarum opum, lautorumque in toto Oriente, & Canarijs Insulis negotiorum fama percelebris. Quà indole præclara, quà præcellenti ingenio spectabilem sui spem faciebat. Ioannes Barrerius magnum cum eo ornamentum Congregationi adnasciturum prædiuinans, adoptatum in socium, Reformationis habitu omnium primum donauit pridie Nonas Iunij anni octaui, & septuagesimi supra sesquimillesimum. Expectationem haud lusit euentus. Incrementis consuluit sola accessione ad prima facienda stipendia. Admirationi profectò fuit Iuuenem sexdecennem posthabere Claustri incommodis, & Monasticæ paupertati secessum à Mundo, & inuidiosa fortunæ bona, felici genitoris opera ad familiæ splendorem comparata. Effecit exemplum inuolarent & alij ad enascentem perfectionis stationem. Quantùm verò contulerit deinceps propagandæ virtuti, iuxta ac amplificandæ Sodalitati affirmant Institutionis monumenta. Quotquot illa consignarunt scriptis, breuiorem licet adhibuerint stylum, afferunt tamen exæquatam à paucis eminentem in Guillelmo cum adhortamentorum ardore exempli præstantiam. Humanas si demas literas, nullum præterea doctrinarum præsidium è scholarum puluere hauserat. Sed dabat os, & sapientiam, quo intus incalescebat, Spiritus. Igitur cum agitaturus pietatis studia Tolosam, aliasque ad vrbes procederet, fallebat nunquam operam, sed victrice semper eloquentia animarum exuuias è triumphato Sæculo importabat in Claustra. Excidere à votis, & prædam illudere prædatori rarò obuenit. Abductioni scilicet à Mundi illecebris addebat subiecta oculis cæterorum, sui potissimùm virtutum documenta, quibus confirmandæ bonæ menti, nihil efficacius posset accedere. Conspiciebant humilitatis exercitijs cudere fulmina in elationem animi; obsequij præbitione exercere in sodales charitatem; obedientiæ promptitudine exhibere Antistitis officium, & deuotionis æmulatione probare eximiam in Diuos pietatem, sed præsertim in Virginem Deiparentem, Congregationis Patronam. Cernebant non velitationes, & libamenta quædam pugnarum edere in

Dæmonem, ſed conferre manus, pugnare cominus, de rerum ſumma fortiter dimicare. Videbant & flagrorum, ſetarum, vigiliarum, ieiuniorumque conſuetudine edomitam rebellem ſenſuum prauitatem, hoſtem, quia intimum, ipſo Satana deteriorem. Demirabantur hæc ſuper nudam ſimplicitatem ablegantem ſuo candore doloſam mortalium aſtutiam. Suſpiciebant intactam caſtimoniam, vernantia in Cœlo Virginitatis lilia ſua integritate æmulantem. Id quod oculos rapiebat magis, erat addictior orationi animus, cui nihil intereſſet, ſæuiret ne hyemis rigor, deficerentque corporis vires, quando illius ſpatia longiùs produceret, & ſolidas noctes in iucunda oppidò exercitatione protraheret. Sanè poſt preces à primis ſæculis ad auroræ vſque regreſſum continuatas, perſtabat adhuc in orando, genibus ante crucem demiſſis, totoque corpore à frigore rigente, eratque operæ pretium deferretur frequentiùs Monachorum brachijs ad Infirmitorium, multo calefaciendus igne, quo obrigentibus membris aliquis reſtitueretur vigor.

Sed forſan leuiora hæc in Guillelmo momenta. Erigere quercum annoſa incuruatione deflexam, ideſt antiquos Monachos in Regulæ neglectu inueteratos ad conſonos profeſſioni mores iterum reuocare: hoc opus, hic labor erat. Luctandum profectò cum illis Barrerioque, Guillelmoque ſtrenuè fuit. Eximiæ fulgor virtutis aliorum rapiebat animos, aliorum hebetabat lumina. Mirabantur alij, plaudebantque, ac tanti viri vſu, & diſciplina eadem induebant & ipſi abſolutiſſima Cœnobitarum lineamenta. Oderunt alij, & adlatrabant. Adeſſe adoleſcentem malè cautum, qui Antiſtiti deliro ſe nouatorem iunxiſſet. Mitiores conſuetudines, hoc nomine ſancitorum Diui Benedicti contemptum vſurpabant, non Regulæ arctitatem vouiſſe. Longæuis vſibus ineſſe vim legis. Illos pro virili tuendos. Ad ſuas aſperitates alia formarent Cœnobia Hypocritæ, dummodo non Fulium. Inconſulta zelantium adinuenta alibi radices figerent, inde exularent. Auſterior erat diſciplina, quàm ferre poſſent & ipſi Reformationis candidati. Rerum profectò ſacrarum ſummus Antiſtes nimiam auſteritatem de funerum frequentia cauſatus, ne officeret nimis, moderatiorem in communi pro delicatioribus iuſſerat. Verùm in Guillelmo à præcipuo contentionis ardore robur inuictum, & cum extremæ pœnitentiæ feruentiſſimis deſiderijs vitæ genus vſque ad

con-

consummationem constantissimè tenuit, quiete semper super nudis asseribus capta, ieiunijs solis herbis, pane, & aqua refectis, pedum nuditate nunquam intermissa, nec modicæ tunicæ assuto vnquam caputio, aut superinduta cuculla. Ornatissimum tandem conuersationis cursum pari ætatis clausula expleuit 17. Ianuarij 1623. in ipsa Fuliensi Abbatia. Cum illa absoluenda supremi morbi vi fuit, non lectuli, non corporis iam capi angustijs visus. Conabatur assurgere è strato quasi iturus in occursum iusti Iudicis, & amantissimi Domini. Quando extollebat brachia, quando demissa ante pectus in crucem iungebat, seu optatum amplexurus bonum, seu amplexatum non vltra à se dimissurus. Nouissimos pietatis sensus, amoris deliquia nemo enarrauerit satis. Qui demum in Sacramentorum extremi susceptione efflauit animam, raptus ad palmam victricis cum morte agonis, dum ad ipsum agonem fortiter sustinendum oleo inungeretur sacro.

1624. *Franciscus à S. Maria Magdalena*, honestis parentibus in *Aquitania* ortus, ætate maturus, & sacris initiatus Congregationi adhæsit seculi nostro anterioris anno vndenonagesimo. Plurimi faciebat abstinentiam, præsentissimum illam apellans pharmacum tuendæ sanitati, nedum animæ, sed & corporis. Cella vnicè delectabatur, & Cellæ delicijs commentationibus sacris, quas inter Bibliorum codices assiduè percurrebat, & aperto semper, ob reuerentiam, capite, aliquando etiam genibus in nudo solo positis. Humanis vacuus passionibus Philosophum Christianum ex integro referebat, nunquam ira commotus, nec prosperis iucundior, nec aduersis tristior, semper idem. Quæ præ cæteris laudibus primas in eo merebatur erat deuotio. Maiorem noctis, ac diei partem vorabat sibi insatiata semper cum Deo agendi cupiditas. Si piarum lucubrationum lectioni vacaret, nec à regiminis solicitudine ad quidpiam operis externi euocaretur, mirum erat si non mente, & lingua oraret. Sanè precandi assiduitate fatigabatur nunquam. Præueniebat Psalmodiam Matutinam multa contemplatione intra cubiculum. Absolutis vigilijs nocturnis expandebat in modum crucis brachia, eaque forma perseuerabat in Choro vsque ad Primæ signum in ipso solis ortu pulsandum, seu spatio duarum ad minus horarum. Quod deinde elabebatur temporis intra Primæ, & Tertiæ decantationem, totum impendebat in præpara-

tione ad Missam, in litatione ad aram, gratiarumq; actione post ipsum Sacrum peractum.

Ad hæc breuis quidem erat staturæ, sed magnæ mentis. Pollebat grauitate, & prudentia, fuitque operæ pretium ab ipsa statim solemnium emissione votorum ascenderet superius, & rem communem, quà Prior, quà Prouincialis ad annos quinque supra viginti administraret. Maioribus præfecturis post minores honestatus, singulares nedum in familias, sed integras in Prouincias inducebat numeros omnes Monasticæ Institutionis, promouebatque inductos. Quale ipso Cœnobiorum Rectorem se præbente, disciplinæ studium? Quænam in moribus sanctitas? Quanta in Dei obsequio contentio, in pauperes, in infirmos, in hospites charitas? Regularem districtionem mira suauitate contemperans & reuerentiam sibi conciliabat, & amorem, ambigebantque Cœnobitæ Patrem ne, an Antistitem colerent. Tria quàm maximè persuasa illis volebat: studerent prudentiæ pro directione spirituum, modestiæ ad ædificationem mortalium, taciturnitati ad solitudinis decus.

Addebat, parcitatem verborum, haud secus ac ciborum raro obfuisse. Ea propter addictior ipse silentio, & quæ interdum edebat verba, multa significabant paucis. Cum verò Prouincialis fungebatur officio, circuibat per Cœnobia pedes, nec statis duntaxat lustrationi vicibus, sed crebriùs, & multoties ex inexpectatò. Cęlitus quoque rescijsse quid in Monasterijs ageretur creditum est, nam multoties adueniebat in tempore, cum grauiores, subitique casus illum magis præsentem deposcerent. Sin autem accedens domibus pulsationem ad diuinam laudem audiret, posthabita itineris defatigatione, à ianuæ limine rectà petebat Chorum, vt stuperent Monachi interesse officio, quem adesse nescirent, & Censorem inopinum appellarent. Tandem Institutioni Sanctimonialium Fuliensium Tolosæ delectus, in eo munere spiritum posuit affectæ iam ætatis senex die altera Martij anno 1624. Contigere verò extrema omnium mœrore, omnium luctu, simul namque iacturam suam effusè deflebant, simul Angelum è Cœlo lapsum, Cœloque restitutum à præclara institutione optimæ Virgines commendabant. Celebrata quoque parentalia cum Tolosæ Vrbis Ordinum omnium affluentia, tanti habebatur à cunctis, & perennitati consignata eius memoria à frequentiùs laudato piorum nostræ Congregationis Elencho. 1624.

1624. *Guillelmus à S. Genuefa*, auito agnomine *Compans*, *Parisijs* natus, & in Abbatia Fuliensi anno 1585. Deo, ac Diuo Bernardo rita professione deuotus. *Vir fuit egregius verbi Dei concionator. In multis Prouincijs claruit, maximè in Normandia alter Apostolus, & Sanctus à populo habitus est, potens opere, & sermone, vt sæpè relictis Templis, in ipsis compitis, Cæmeterijs, & Campis extructo aliquo suggestu peralto, vel in aliqua arbore conscendens, apud confluentem maximam multitudinem concionaretur. Qui etsi plurimas Christo lucratus sit animas, pro sua rara humilitate, post concionem habitam, timens ne indignè verbum Dei seminasset, apud se conquestus lachrymabatur. Obijt Parisijs die 9. Septembris 1624.* Ex Carolo à S. Maria.

1627. *Ioannes à S. Dionysio*, gentili nuncupatione *ab Insula*, *Parisiensis*, Asceta olim, & Cantor in celeberrimo S. Dionysij Monasterio amplioris perfectionis concepto voto, ad obseruantiam in sartatecta Cistercio-Fuliensi exactiorem conuolauit pridie Cal. Aprilis anni 1603. visus post nomen eidem adauctum & sibi, & Mundo verè obijsse. Genitores, omnesque carnis propinquitate coniunctos, nec alloquutus deinceps est, nec aspicere placuit. Corpus nunquam intermisso pœnitentiarum bello attriuit. Honores contempsit Sæculi, curas nesciit. A prompta obedientia appellabatur cadauer Assisiatis: apprimè nimirum conueniebat illi caracter veri obtemperantis expressus à Seraphico Sancto Francisco Tom. 3. Opusculorum, Ex. 1. vbi inquit: *Tolle corpus exanime, & vbi placuerit pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum: quod si statuatur in Cathedra, non alta, sed ima respiciet; si collocetur in purpura, duplò pallescet. Hic verus obediens est, qui cur moueatur non dijudicat, vbi locetur non curat, vt trasmutetur non instat, euectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus se reputat indignum.* Ita planè Ioannes à S. Dionysio. Ad Superioris solummodò mouebatur nutum, paratus semper id agere operis, quod ille iniunxisset, omittere quod ille imperasset. Claustri munera si aduersabatur humilitatis studio, capessebat modestiæ decore, obedientiæ promptitudine. Designatus informationi Tyronum maximi momenti officium diù exercuit, omnium aptissimus exceptioni primum ponentium pedem in arena, vbi veterem hominem cum noxijs

suis

suis voluptatibus consepelirent. Cum dolorum acerbitates affixum lectulo corpus, passim autem affixum erat, conflictarent: quid, aiebat, morborum angores, nisi prænuntij mortis, & viciniores gradus vitæ infirmitatis nesciæ? Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam suæ dissolutioni anhelantem. Sanitati autem restitutus, reddebat se actutum obseruantiæ communi, & si improbari resciret nuntium tam citò missum commodis valetudinarij: Pulsauit, dicebat, ad ianuam diuturna ægritudine mors. Instat hora. Si Monachi numeros non modò impleo: ecquando? Assueuerat pariter loqui pauca, eaque nonnisi voce submissa, & ferè semper axiomata repetere extremæ diei recordationi excitandæ composita. Cætera inter hæc feruntur. Monachi vita iugis est prestolatio mortis. Ideò asperrimè viuit, quò confidentius occumbat. Vitam sibi malè consonam ducit, si non viuit semper vt moriturus. Citò adueniat, dummodò adueniat beata, mors. A morte vita. A momento æternitas. Quod Sagittario signum, idipsum mortali mors. Peritus Sagittarius in signum benè collimat. Aberrat, si secus agat. Mortalis sapiens finem suum attentè recogitat. Malè consequitur, si non assiduè meditatur. Veh pessimo peccatorum decessui. Statutum est omnibus hominibus semel tantùm implere vltimum fatum. Quod semel tantùm potest contingere, illud semper cauendum. Sed & horis absolutis à laude Dei, supernarumque rerum contemplatione, minus semper arridebat cum Sodalibus alloquutio, ingrata nunquam cum mortuis conuersatio, pijs nempe Patrum vigilijs, à quibus sanctiorem condisceret & cursum, & clausulam suæ peregrinationis. Monitus aliquando consuleret valetudini minus firmæ abstinendo à nimia lectione, respondebat: malle ægrotare, quàm ignorare. Ægritudine conteri corpus, ignorantiâ languescere spiritum. Huiuscemodi vitam, continua mortis memoria vitę nuncupatione profectò dignissimam, ad annos non amplius quatuor & viginti protraxit, totidem nimirum recensuit à susceptione habitus, ad depositionem corporis; & suas expleuit ętates Lutetię Parisiorum Cal. Iulij anni 1627.

1629. *Sancius à S. Catharina, Aquitanus*, ex Oppido *Aurigniacensi*, Diœcesis Conuenarum, cuius laudes cum Generalium syllabus mini mè exęquet, expleri inter piorum fastos nunc deposcunt. Dicto professionis publico sacramento, emensa facultatum arena, demirari cœpit multę expectationis alumnus. Religionis contentio, animus in

in prece, & studio perdius, ac pernox, prudentię numeri, illibata consuetudo nihil in Sancio spondebant nisi pręclarum. Et spectanda re-uerà sunt quę gessit in Insula Generalitia post inferiora officia multoties illi delata. Promeruerit ne repetita ad electionem suffragia extensione magis societatis, an verò religiositate Propositi iuremeritò ambigas. Certè cum Reipublicæ dilatandæ sollicitudinem comprobent progressiones Coloniarum, Institutionis ardorem cultior vbique disciplina commonstrat. Anno 1608. qui fuit secundus primæ eius assumptionis ad regimen deligimur ad asserendam Benedictinam viuendi methodum in antiqua Abbatia S. Maximini in agro Miciacensi, fueruntque subrogationis promotores Cardinalis Rupefucaldus, & Aureliæ Episcopus, Gabriel de Aubespine. Cum verò secundò & tertiò temperaret oportuit habenas, patuere in recentia domicilia Plessiacensis S. Stephani domus, cui anno 1614. Illustris Matrona Domina de Guaincau stabilem annonam copiosè attribuit; in suburbio autem Aquilæ, quæ Ciuitas est Aprutij caput, Collegium adsitum Templo B. Virginis de Refugio, fauore Gondisalui de Rueda Episcopi, & diplomate Pauli V. Anno postmodum 1616. Bernardus Potier, & Carlotta de Veteri-ponte contorales pietate eximij, largitione nummi ad ædificium, & perpetuum censum nos voluere apud Blerancourtium vicum Diœcesis Nouiomensis, & Dominus de Ventadorea euocauit ad S. Martialem Tutelensem, erogatis item sua liberalitate redditibus, auctis subinde anno prouentu Prioratus de Meissac. Sed & aperuimus ædes S. Mariæ de Pace secus Florentiā munificentia Christinæ Lotharingicæ, Magnæ Etruriæ Ducissæ, ac S. Petri Rothomagensis auspicijs Marescalli d'Ancre, quem mors prohibuit eidem impendere opportunas ad victum facultates. Eodem anno 1626. Ludouicus XIII. remque, nomenque assumpsit Conditoris S. Bernardi Pictauiensis, vbi nostrates conuasantes ex Abbatia de Noailles se receperant, inuitante Vrbis Antistite Henrico Ludouico Chasteigner de la Rochepoſay. Domus consurgit magnificè ampla septis, diues opibus cum Regiæ manus splendidis donationibus, locupletata exindè accessionibus Prioratuum S. Crucis, & S. Petri de Mauzai in Diœcesi Rupellensi, illum adeptum opera Comitis S. Georgij ex stipite de la Rochepoſay, hunc autem resignatione Domini de Inmeaux, nec non & alio Prioratu dicto de Coulon in Diœcesi Xantensi. Nec rerum

rum summam moderari Sancius desijt anno 1619. nisi clausa Generalatus periodo aliarum emissione familiarum, nimirum Ambianensis, vbi sumptibus Ducis de Chaune excitatum Claustrum, molitumque sanctuarium D. Bernardo nuncupatum, & Turonensis, vbi Regijs impensis erecta Monachorum conclauia cum Basilica inaugurata S. Martino.

Præ familiarum autem incrementis effusiora vbique impendebat studia fulciendæ obseruantiæ legum. Vtinam multos Sancios enumeraret cętus! Profectò Reformata Congregatio à suo nunquam decore excideret ob deformatam disciplinam sancitorum neglectu. In Patrum consessibus, in alloquijs domesticis vna illius declamatio erat: Princeps in Religione momentum à Superiorum pendere delectu. Præfectorum caracteres esse vitæ meritum ante suffragia, & numeros boni, ac fidelis operarij post renuntiationem. Religiosos rem esse sacram, sanctamque. Summa gubernandos cura, nec directionem indistinctè committendam, aut primo, qui genio arrideat, sed tantùm efformatis ad S. Benedicti amussim, seu ad regendos in spiritu, duplici, quam ille præscribit, doctrina præstantes. Nunquam designandos curis distentos varijs, infirmos, aut quamuis pollentes incolumitate, nequeuntes tamen, vel refugientes inhærere statutis, non enim bono Reipublicæ illorum electio caderet, humana semper fragilitate prona magis ad sequendam potiùs liberiorem, quàm strictiorem consuetudinis normam. Interesse Præsidentibus præbere exemplo commendatam verbis Regularitatem. Secus agentes ire ex aduerso S. Regulæ, Diuinorum Codicum, Sacrorum Conciliorum, Catholicorum Patrum, imò nec quidem concedere in communem sententiam Ethnicorum Scriptorum. Inuisentibus Censoria cum potestate Claustrales familias animaduertendum magis in Rectores, quàm in subditos. Languores nimirum corporis dimanare à capite, nec Monachos exorbitare à Regula, à qua Abbates nequaquam aberrent. Meliùs euadere visitationes si assumant in socios viros cum grauitate indolis, ætatis etiam maturitate spectabiles. Cupiendum potiùs in obedientia manere, quàm præesse. Non enim præire facilè perinde esse, ac duci, dimittere munera, ac eorundem culmen cum laude tenere. Euectos ad dignitates faciliùs prolabi in deteriorem vitæ rationem, quàm ad castigatiorem assurgant. Ea propter cum

aberat

aberat in Epistolis, cum verò, lustrando domos, præsens erat exstimulabat continuò Superiores operam commodarent perquàm impigram iniuncto officio, & generosa præitione antecederent semper currentes ad palmam propositi absolutioris. Nec in ius dicentibus è primo loco alias exigebat partes, nisi expressas in sui ratione gubernij. Veluti prodigiò sodalibus erant in corpore maceratione exhausto, vigor spiritus, assidua in Choro, & in conuentibus Patrum præsentia, rerum asperiorum amplexatiò libentior, inhæsio doctis vigilijs, raptus in Deum studio orationis, elongatio à carnis illecebris mortificationis cultu, & cum solitudine in suo penetrali prospicientia vigilantissima in Cœtum vniuersum. Interea totus erat & in spirituali degentium in Sęculo informatione animarum, ad quam velificabat feliciter egregiâ supra doctrinam, & indolem præcedente animi optimè locati specie, profunda scilicet humilitate, mira modestia, oculorum demissione, cum pœnitentiæ lineamentis expressis in vultus macie, & corpore ab austeritate exsiccato. Nemo illum adibat, qui ex alloquio non melior abiret. Aderat cunctis aure, arcana excipiendo conscientiarum; ore, salutaria instillando monita; manu pijssimè elucubrando. Consuluit Religiosorum, Sęculariumque interiori recessui editis sacræ solitudinis, & exercitiorum spiritualium opusculis aureis. Cauit in elationem animi solidiorem quamcunque virtutem euertentem, euulgatis quinquaginta humilitatis gradibus, quibus vnusquisque à sui despicientiæ imo ad perfectionis verè sublimis fastigium valeat conscendere. Animarum cum Deo vnionem edocuit euulgata Praxi manendi semper in Dei præsentia, itemque excuso alio libello cum titulo flammæ diuini amoris excitante pectora ad summi boni ardentiora vota. Hinc in Aulis Pontificia, & Christianissima conciliata Sancio plurima existimatio, nec Romæ, seu in Gallia redoluisse quempiam sanctitatis odorem, cui Cœnobiarcha Fuliensis multæ venerationi non foret. Hinc demirata vbique disciplinæ expolitio, ad demerenda stipendia nobiliora quotidie capita accedere, Renatum Potier Antistitem Bellouacensem, Comitem & Parem Franciæ, mortem inuidentem ne foret huius viæ vnus fefellisse pręclarè; adstantibus coram apertè pronuntians: velle se votorum nuncupatione Fuliensem cum viuere, tum occumbere, & accito Ioanne Golutio Prouinciali, Professionis iureiurandum, illo acceptante emisisse, sub beneplacito tamen

Pontificis summi; quemadmodum tradit Antiquitatum Bellouacensium modernus compilator Louuetius Tom. 2. pag. 777. Hinc Petrum de Berul, celeberrimum planè nomen, antequam Romana donaretur Purpura Patrum Congregationis Oratorij Pręfectum Generalem, re cum Sancio maturata, piorum communicationem operum, perpetuumque spirituale fœdus initum voluisse inter sui Propositi, & Fuliensis viuendi normę sectatores.

Sed de meritorum Sancij exuberanti pręstantia omnium planè splendidior fuerit laus, cœlestium copia fauorum eius commendationem excrescere. Nam cum Angelo tutelari suo nimiùm quàm facilè communicaret, & familiari, frequentique præsentia dignaretur. Mitto visibiles cum Dæmone luctas, hostemque tartareum, superni ope adiutorij, deuictum semper. Prophetico pollentem afflatu viri grauissimi haud quidem ex vano cognouere, præcognitis, & prædictis adstruente fidem rerum euentu. Par discretio Spirituum, cui, lumine dimanante ex alto, in promptu erat mortales dignoscere ex solo aspectu, & ad internarum cogitationum secreta vsque peruadere. Maria ab Incarnatione inter Moniales strictioris Carmeli compertæ probitatis Virgo, imò à Galliæ Scriptoribus cumulata nuncupatione Beatæ, ac Sanctæ appellare illum solebat animarum directorem eximium, hominem Deo charum, ac summè dilectum, quo etiam reuelante didicisse ferebat ex Diui Bernardi asseclis neminem Parenti inclito propius Sancio tunc accedere, exacta imitatione sanctissimæ consuetudinis, quæ obiter penes Auctorem Vitæ D. Eustachij à S. Paulo capite quartodecimo, pagina 141. Tandem cum æternæ gloriæ authorari debuit præmio tanta virtus, tentata vi morbi longæua canities. Febris alternà lucta affligens, instauransque salutem ad interitum ineluctabilem tandem efferbuit, sustulitque Ascetam omnibus desideratissimum in Monasterio S. Bernardi de Vrbe 12. Octobris 1629. quo viuente sicut ad spiritualium progressus compendiorum Franciscus Cardinalis Barberinus, commisso conscientiæ regimine, vsus fuerat, ita ad pietatem accendi quoque post fata volens, ad supremo decumbentem pictorem misit, & procurata è spiranti vultu lineamentorum tabula, illam præ oculis in suo conclaui consueuit habere.

1630. Hoc anno funus contigit spectatissimi viri, qui ætate sexagena-

genarius, Religione autem Nouitius, cursum mortalitatis cum celebri virtutis laude Tolosæ peregit. Nobili ex cognatione Vercellis natus, dicebatur *Vespasianus Agatia*, sed quoniam cum Mundo, mundanas etiam nuncupationes abdicauit, adhæsit illi nomenclatio à duobus Ecclesiæ luminibus, estque appellatus *Gregorius à S. Eusebio*. Ab ephębo modestior, venustabat ætatis florem egregia specie maturitatis. Ingenio diues ab eloquétiæ,& facultatum lyceis abijt cum laude, ciuilium autem palęstram studiorum absoluit cum laurea. Indolis illibatæ, nec verbis, nec gestu quidpiam vnquam remisit de candidioris seueritate honestatis. Vrbanitate, comitate instructus, omnium sibi studia facilè deuinciebat. Benignus placidus nesciebat, seu poscenti negare officium, seu iniuriam offensori rependere. Prudentia pręcellens graues obibat prouincias, & Aularum Sabaudæ, & Romanæ iudicio, accenseri poterat viris suo æuo mentis ad negotia aptioris. Infulis pastoralibus semel, iterumque ab Allobrogum Duce destinatus totus in eo fuit, vt Regia Celsitudo nouo delectu in alios propenderet. Renuntiatus autem Abbas Beatæ Mariæ de Abundantia in Ducatu Chablasij, quod declinare nequijt pedum, assumpsit, sed Abbas Sęcularis, & Ecclesiastici moris. Habitus illi, domus, supellex, mensa, Comitatus, omnia congruam intra modestiam. Cum D. Francisco Salesio illam colebat frequentiam, illam indolis conspirationem, vt à consuetudine, ac imitatione Venerandi Antistitis frater audiret. Paræcias ferè omnes reperit vetustate exanimes, refecitque suo nummo splendidiùs. Marescij autem Ecclesiam propè à fundo restituit. Subditorum etiam mores agrestes prorsus; & dogmatum fidei profunda inscitia inuolutos, instaurari catholicis institutionibus procurauit. Potior hærebat cura subleuandæ disciplinæ in Monasterio prostratæ. Et iuremeritò quidem. Enimuerò, vt incliti Cœnobij incunabula, progressiones, Abbatum seriem, Incolarum vices opportunè exponantur, Abundantiæ positæ in Vallis imo alti circumstant montes, diuturnæ incumbunt niues, nulla arridet veris temperies, apparet, sed citiùs aufugit æstas, autumnum occupat hyemis. Procul vinferi colles, procul inde Pomonæ deliciæ. Verumtamen varia affluit rerum vis, marmoreæ, pretiosæque ad ædificia venæ, opima ad annonam messis, pingue sarmentorum greges, vberrima gregibus pascua, delicatiora lacticinia, lautæ piscationes, exquisitiorum volucrum copia, vnde

conualli Abundantiæ resque, nomenque, & à Conuallis nuncupatione cognomentum Cœnobij assumptum. Crepundia debuit Monasticæ S. Columbani institutioni, notiora autem incrementa Canonicæ S. Augustini disciplinæ. Et Sanctus quidem Columbanus post obiectam, exprobratamque Theodorico Burgundiæ Regi libidinem, diuertit ad expoliendos feliciùs Veragrorum, Ducatus Cablasij latus nunc sunt, mores, molitoque contubernio, voluit suæ scholæ alumnos, ita mansione in Eremo à turbis secedere, vt etiam spargerentur ad declamandum Euangelium, formarentque confinia ad Christiani amussim officij. Sed rerum ab ijsdem gestarum momenta, Abbatum syllabus, ædium, diuitiarumque splendor, posterorum latent memoriam. Saracenorum inundatio, qua anno 940. persusę Prouincię, Regnaque, omnia sus, deque miscendo obruit septa ruinis, inquilinos clade, monumenta incendio, obliuione cuncta. Secus de Regulari S. Augustini Cœtu, quem celeberrimi reparatorem Asceterij, vastam quoque animarum procurationem exercuisse, illud nostra etiam hac tempestate vestigium, interesse Abbati renuntiare plebanos, qui sacra regant, administrentque in Pagis Capellę, Casselij, Vaccheresij, Cheuenę, Laringij, Festernę, Publierij, Marescij, Nouęcellę, Euiani, S. Gingonij, & Abundantię. Post eorundem siquidem aduentum ad desertum olim locum, non mediocris sanè frequentia, nec illa soli, sed Religionis duntaxat commoditate inuitata, cum enim vicatim degere nequirent familię, mapalia hac, illacque solitariè erigere cœperunt, quę vsque in pręsentiarum inhabitant. Sed & volitante sanctitatis rumore Burgundięque, Sabaudięque Duces, Optimates, Pręsules sibi mirificè adiunxisse dilucidè commonstrarunt beneficentię argumenta. Adaucti quippe à Ludouico Festerna, noua Basilicę substructione; à Guidone Agaunensi Antistite, temporali Vallis Abundantię Dominio; ab Anselmo de Ceruent, diuite Grangia; ab Amedeo Comite Gebennensi, Prioratu de Pelioniaco; à Monachis Intermontij, & de Gulie dependentijs suarum Abbatiarum; à Galthero Domino Salinarum, latifundijs in Burgundia; à Thyetberto de Montemoreto, loco Grandis-Vallis in Burgundia, quò è suis deduxere coloniam; à Domino Turemberto, Pago Marescij; à Landrico, & Nantelino Episcopis Lausanensibus, Ecclesijs de Afters, Nouęcellę. & Marescij; à Thoma Sabaudię Comite, Emphyteuticis Vacheresij bonis; ab Aimone Fauci-

niaci

niaci Regulo, decimis de Marningio; à Burgundię Duce, sale capiendo in Oppido Salinarum.

Post Arluinum, alterumque domus moderatores, sed Priores solummodò appellatos, qui prȩfuere Abbates recensiti ab inaugurationis anno sunt. 1130. Rodulfus de Voseriaco primus donatus Infula. 1172. Pontius. 1175. Petrus primus. 1181. Giroldus. 1184. Ioannes, qui relicto pedo transijt ad Cartusianos. 1185. Guillelmus de Viù. 1222. Albertus. 1232. Petrus secundus. 1234. Ioannes secundus. 1258. Petrus tertius. 1260. Vvifredus. 1270. Remundus. 1302. Geroldus. 1328. Ioannes tertius. 1352. Ioffredus. 1357. Petrus quartus Lulier. 1382. Ioannes quartus de Felingio. 1394. Ioannes de Passu. 1412. Guillelmus secundus de Lugrino. 1439. Franciscus de Cresco, qui interfuit Concilio Basileensi. 1460. Amblardus de Viriaco, Canonicus, & Cantor Gebennensis primus Abbas Commendatarius. 1472. Guillelmus tertius de Greyers. 1484. Franciscus à Sabaudia. 1491. Guigo de Arlo. 1510. Marcus Vigerius Sauonensis, Episcopus Senogallię. 1517. Ioannes Franciscus Valperga. 1532. Hieronymus Valperga, postea a. 1550. Archiepiscopus Tarantasię. 1574. Hieronymus secundus Prouana. 1590. Vespasianus Agatia. 1626. Mauritius Cardinalis, Princeps à Sabaudia. 1654. Melchior Dunam. 1643. Bartholomȩus Soldatus. 1652. Io. Baptista Amoretus. 1687. Ioannes Franciscus de Sancto Thoma, prȩterquam sua indole, ac virtute optimis æquandus, frater etiam germanus Excellentissimi Domini Caroli Victoris Ioseph de S. Thoma ab integritate, à prudentia, rerumque peritia celeberrimi, Regię Celsitudinis Victoris Amedei II. Sabaudię Ducis, Cypri Regis Primi à secretis, Primique Status Administri, & cum Principis gratia, Aulę, populorumque plausu, & beneuolentia florentissimi.

Sed repetit stylum Agatia; cui Sodalitas cum antiqui Coenobij, tum & accessionem debet optimi Ascetę. Vellicabat nempe animum Commendatarij semper commendandi iacere disciplinam in ędibus sanctitate olim eximijs. Flagrantia ęquè vota D. Francisco Salesio, cuius commendatitijs ad Clementem VIII. Epistolis impetrata Romana approbatio, & amotis sex Monachis Canonicis, omnibus propemodum senio, ac disciplinę Religiosę, Salesij vtor verbis, *crassissima ignorantia non laborantibus modò, sed penè confectis*, renoua-

nouata iam tertiò obseruantię inuenta in Abundantię Cœnobio, inducta illuc Reformatione Diui Bernardi, cuius professores accepti à popularibus ac si viri è Cœlo delapsi, festiuo obuiam occursu, pulsatoque ęre Campano, nonnullis etiam demittentibus genua. Nec ingentem fraudarunt expectationem Patres. Rediere vnà cum illis Claustro Claustralis vitę caracteres absolutiores, Odeo diurna, nocturnaque Psalmodia, Aris concinnitas, Templo mundities, celebritas; Paręcię desiderata vigiliarum opportunitas, seu deponendis conscientijs eruditę, promptęque aures; profligandis vitijs, Ecclesiastes Euangelicę notę; instituendę pubi, fidei rudimentorum magistri luctantibus in vitæ agone, qui supremum articulum iuuaturi, per montium iuga, perque vallium cliuos, nocte etiam intempesta sacra deferrent. Quanta in existimatione zelantissimus Gebennensium Pastor haberet, hęc inaudiendo, Ascetas supra sanctioris numeros conuersationis, animarum compendijs incumbentes demonstrauit, cum Ioanni à S. Pastore familię Pręfecto scripsit, nullam iam pro delectu suorum ad condonandas noxas, habendasque conciones peteret approbationem. Immitteret in messem Domini quos liberet, haberetque omnes pro admissis, & approbatis, Episcopali etiam momento. Ita sanè facultas à S. Antistite proprio caractere exarata, quam ipse, Abundantię domum censoria auctoritate inuisens, ornandam coronide, exponendamque in sacrario duxi, mandauique, & ita sonat.

Franciscus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus, & Princeps Gebennensis. Dilecto nobis in Christo Reu. Adm. Fratri D. Ioanni à S. Pastore Priori Monasterij B. Mariæ de Abundantia huius nostræ Diœcesis, Ordinis verò Fuliensis salutem.

Quia cum magno delectu fratres vestros ad prædicationis Euangelicæ, & Sacramentorum administrationis munus soletis admittere. Propterea nos tibi, & successoribus tuis facultatem facimus Prædicatores, & Confessarios à vobis approbatos, & recognitos ad opus, & onus huiusmodi officiorum in hac nostra Diœcesi, seruatis seruandis, adhibere. Rati nihil à vobis perperam in re tanta factum iri. Itaque quos approbaueritis approbamus, quos ita, vt supra dictum est, in messem nobis commissam immiseritis, immittimus, & à nobis immissos censebimus. Ita tamen vt nobis liceat opus huiusmodi vbi nobis ita visum fuerit, his non obstantibus, interdicere. Quod nihilominus nunquam

quam nos facturos confidimus. Datum Anneſſy 18. Maij 1612.
Franciſcus Epiſcopus Gebennenſis.

Itemque iiſdem Ordinis veſtri Confeſſarijs à vobis approbatis, facultatem abſoluendi à caſibus nobis reſeruatis; concedendi ſicut expedire videbitur, poteſtatem vobis facimus, & damus vt ſupra.
Franciſcus Epiſcopus Gebennenſis.

Quantùm etiam oblectaretur Fraciſcus ſplendidiùs, nitidiùſque tractari à Fulienſibus ſacra; liquet ex reparatorum conſecratione Altarium, cuius inter Archiuij ſchedulas hęc aſſeruatur memoria.

Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus DD. Franciſcus de Sales Epiſcopus, & Princeps Geneuenſis, rogatus à D. Ioanne à S. Stephano huius Monaſterij Priore, & reliquis eiuſdem Monaſterij Fratribus, vt tria Altaria ab ipſis in Eccleſia noſtra reparata conſecrare dignaretur: Pijs ipſorum deſiderijs volens benignè ſatisfacere, ea altaria conſecrauit die 23. menſis Auguſti anno 1624. Primum quidem quod eſt ſacriſtia noſtra vicinum in honorem SS. Ioannis Baptiſtæ, & P. noſtri Bernardi Abbatis. Secundum proximè ſequens in honorem SS. Stephani Protomartyris, & Gregorij Magni. Tertium verò in honorem SS. Mauritij Thebeæ legionis Ducis, & Antonij Abbatis, conceſsitque quadraginta dies indulgentiæ cunctis Chriſtifidelibus, qui ea deuotè viſitauerint in die anniuerſaria conſecrationis.

Ad perpetuam rei memoriam dictus D. Ioannes à S. Stephano hunc actum ab omnibus ſubſcribi mandauit die 30. menſis Decembris anno ſupradicto 1624.

F. Ioannes à S. Stephano ſupradictus fui præſens ad conſecrationem. F. Georgius à S. Benedicto fui & ego præſens. F. Petrus à S. Roccho ad conſecrationem præſens fui. F. Ioannes Iacobus à S. Bernardo fui præſens. F. Hieronymus à S. Roberto interfui conſecrationi. F. Ioannes Baptiſta à S. Stephano fui præſens. F. Ioannes à S. Luca fui & ego præſens.

Sed & quàm effuſa in Fulienſe propoſitum beneuolentia pijſſimus Agatia eò Reformationem euocauerit, quantaque munificentia conſtabilierit comprobauit multis, quippe qui pręter largam prouentuum, ædiumque attributionem familiæ de Abundantia factam, aliam Clauſtri ſtructuram à fundamentis educebat, cum obijt, penes Mareſcium, eamque ſaluberrima Cœli temperie, grato lacus Lemani, Ciuitatis,

&

& totius Lausanensis regionis, Euiani, ac Tononi prospectu, Pomarij laxitate, vinearumque circumspectione desideratissimam. Consuetudo autem inter nostrates eò creuit, vt ex promotore Candidatum tandem Congregationis effecerit. Annis prægraui quippe sexagenario, addebat animos vrgens à tergo senectus. Hærebat votis vel vnam reliquam ætatis horam agere inter gestatores ponderis diei, & æstus. Itaque concepto ardore operæ, qui diuturnum aliorum laborem feruore æquaret, dedit obseruantiæ nomen, iecitque conuersationis fundamenta, eò solidiora, quò ponendis senior accesserat. Cognationis splendorem, Aulæ Sabaudæ gratiam, amicorum turbas, longè ablegauit profectione in Aquitaniam. Quod Nouitiatuum sanctiorem opraret, adijt Fuliense. Inuitatus ad primam sedem post Monasterij Præfectum, nimirum Abbas & ipse, tenendi semper locum nouissimum impetrauit, cogitauitque humilitatis imum, è quo Religiosæ vitæ ideatum fastigium æquè firmum consurgeret, ac excelsum. Constituit & mereri inter Tyrones, quandiù degeret in humanis, apprehensor profectò brauij. Sanè cum virtutis metam illo securiùs teneat nemo, qui longè semper abesse veretur, victorem etiam à puluere pedem is refert, qui in cursus vi non processisse multum, imò stadium vix incepisse se putet. Voluisset probationi, nimirum Institutionis pubertati vernantem dedicasse adolescentiam. Metiebatur propterea necessitatem contentionis à breuitate æui. Sibi totus vacabat animus. Dispendia ætatis in Mundo exactæ austerior pœnitentia resarciebat, profundior item sui despicientia, aspera afflictatio, obedientia exactior. Post quinquennium inter rudimenta consumptum Tolosam se contulit, volens, cum Abbatiæ dimissione, curas à se quascunque dimittere. Sed mortis ibi inditium adfuit, & lictor grauis infirmitas. Tunc aures Confessarij, & Dominicum corpus expetijt. Postquam verò quæ conscientiam læderent sacro expiatori aperuisset, coram Eucharistico epulo, in viaticum mox assumendo, pronuntiauit iureiurandum Reformationis. Pauca deinde verba, eaque erecta in gaudiorum Paradisi spem, de Matris Dei patrocinio in mortis articulo, verecundum in primis redolentia pudorem, ac humilitatem. Dixit: nunquam permisisse corpus suum nudum videri, seu tangi à quoquam. Rogare ne spoliaretur, etiam pro lotione. Lauarentur solummodo cadaueris manus, & pedes. Voluisset

etiam

etiam condi Tolosæ propè cineres D. Petri à S. Paulo probatæ virtutis Monachi, suique intimi, sed Patres vrna plumbea inclusum Fulium deportauere, reponendum in sarcophago è lapide, cui sané insculpenda forent carmina à vate ex nostris de eo concinnata.

Exijt è viuis Aiazza pijssimus Abbas
Consilium Iuuenum, deliciæque senum.
Doctrinà lampas, pacis via, lingua salutis;
Spes inopum, fidei splendor, honoris honos.
Hospes in his tumulis paruis quid quæris ineptè?
Corpus, non animum condere terra potest.

1630. *Claudius à S. Ioanne Baptista, Burgundus* à Tertio Cal. Iulij Reformationis sectator, postquam pijssima consuetudine, ac varijs benè gestis prouincijs nonnulla ex iam ædificatis Galliæ, & Italiæ Cœnobijs multifariam condecorasset, nouis Colonijs emittendis delectus, Genuam amandatur, vbi parem nanciscitur cum spectatæ plausum probitati, tum & opportunam molitionibus munificentiam. Virtutum nitore capta primo hospitante familia, cui D. Antonius à S. Bernardo, Iauuensis, eius socius sanguine coniunctus erat, manauit etiam vulgò rumor Monachos Ligustico in littore dudum expositos, pede nudos, habitu asperos, moribus eximios, homines esse è Cœlo delapsos. Efferbuit continuò congenita in Ianuensium pectoribus Religio erga D. Bernardum, quem in sobole Cistercio-Fuliensi cernerent ad viuum expressum. Sanctus Abbas Rempublicam Ianuensem ita coluit, ac in paucis dilexit, vt illius memoriam alta apud se mente repositam, neç vnquam non duraturam polliceatur, dicens in Epistola 129. *In æternum non obliuiscar tui plebs deuota, honorabilis gens, Ciuitas illustris.* Tantum tanti viri encomium, & pollicitationem optima meruit Ciuitas cum prompto animo, quo eo suasore, Innocentio II. adhæsit, posthabito Anacleto solium Apostolicum sibi per nefas asserente, tum communibus etiam studijs, quibus Sigefredo è medio sublato, sanctissimum eundem Abbatem sibi in Antistitem cooptauit. *Tametsi enim* (inquit Vghellus) *Ianuensibus praesse D. Bernardus non fuisset assensus, exoratus tamen ab ijsdem Ciuibus Cisterciensium suorum transmittit Coloniam ibidem nobile Cisterciensis Ordinis Cœnobium fundaturam.* Hoc ipsum feliciter euenit apud S. Andream de Sestri sexto à Ianuensi Vrbe milliario, quod nobile

Cœnobium per plures annos protulit, aluitque viros doctos, & graues, quodque caput est insigni sanctimonia vitæ præstantes, in quibus S. Albertus enituit ab Innocentio IV. Summo Pontifice in numerum Sanctorum relatus, cuius dies festus in hac Ianuensi Diœcesi celebris habetur octaua Iulij. Cumque deinceps procul à Ciuitatibus, frequentiaque, vnique diuinarum rerum commentationi ferè deditum, genus illud vitæ apud vecordes exoleuisset, S. Andreæ insigne Monasterium commendari est cęptum, quorum commendatariorum incuria, primùm Cœnobium, deinde Ecclesiam ipsam funditus eiecit haud sine Ianuensis Populi nota immemoris animi, qui tam celebre inter ipsos, Sanctumque Bernardum monumentum, ac propè fœdus passus fuisset excidi. Ea propter auditis Patribus Claudio, ac Antonio restaurata prole benignè excepta, recentiori voluit pensare beneficentia antiquæ eius familiæ euersionem. Dux, & Senatus ponerent, vbi liberet, sedes benignissimè annuere. Nobilis quisque cum plebe subsidia certatim spondet. Raphael, & Bernardus Garbarini, fratres erogato nummo ad aureos mille, rus etiam in Albario, suburbana Ciuium Ianuensium tempe, tribuere ad Monasterium ibidem ædificandum, cuius structuræ, & postmodum regimini Claudius à S. Ioanne Baptista intentus, maiori semper cum optimi nominis celebritate abijt ad plures anno 1630.

Claudij effigiem à primis Vrbis capitibus expetita, ac sanctioribus in cubiculis appensa ad virtutis incitamentum, familiarumque præsidium. Vestis item frustula, manuum, pedumque vngulæ, capilli, libelli, & quidquid in eius conclaui repertum à plurimo ad tumulum concursu auidè direptum, ductumque funus non sine publica lacryma. Horum mihi auctor D. Bernardus à S. Benedicto, Bustantius, patrio in Monasterio nunc meritissimus Abbas, qui asseuerat omnia suis conspexisse obtutibus, cumque adolescens adhuc in Sęculo iam nuntium mittere rebus humanis penes se constituisset, absolutę eius consuetudinis admiratione nostræ obseruantiæ, reliquis posthabitis, adhæsisse.

Post nonnullos ab huius famuli Dei dormitione annos D. Ioannes Stephanus à S. Benedicto, Costa, Ianuensis complanatis septis humili, & angusto schemate ab eo substructis, cum splėdidiore Templo aliud etiam spectabilioris structuræ Monasterium ædificandum sategit, cui pri-

primo, supremoque imposito lapide meruit planè inscriptionem capitalibus ei literis in Claustro affixam.

D. O. M.
Piæ memoriæ
R. D. Io. Stephani à S. Benedicto
Quòd
Genuensium
Maximi amoris in Bernardum
Gratissimæ beneuolentiæ in Bernardi filios
Sola sub fiducia
Cœnobij huius fundamenta
Solus iecerit;
Quòd eorundem Ciuium
Egregia liberalitate, prodiga beneficentia
Idem Cœnobium
Solus erexerit, solus perfecerit;
Quòd
Solo eorundem sumptu
Adiectis Ecclesiæ sacris scalis
Ad scalas viam inter scopulos
Solus aperuerit, solus strauerit;
Prior, & Monachi
Ne tanta spes aliquando sua careat fide,
Et vt tantam industriam suo cum authore perennet,
Perennem hunc testem
Posuere.

Portò domus constructio ampla est, & formosa. Quaquauersum oblectationibus affluit. Tellus viridi tecta gramine, Oliuæ per rupium abrupta in syluas densatæ, malorum aureorum pometa, Vrbs collibus magnificentissimè imposita, longè protensa gratissimi aspectus theatrum circum componunt, aperto etiam quarto peristilij latere, quo inquilini per subiectam maris oram discurrant commodiùs. Spiritualibus præterea abundat delicijs erecta ante Ecclesiæ aditum Scala sancta, seu gradibus, quos fideles genibus ascendere consueuere, mentem recreando sacrosanctis reparationis nostræ mysterijs, quæ, Dei in carne patientis animam amaritudinibus, nostram verò, eius dolo-

dolorum acerbitate æternæ beatitudini partam, summa dulcedine recreant. Commendatissimum pietatis exercitium Ianuam recens inuectum collatis studiis promouerunt etiam exteri, quos inter P. Ioannes Baptista Decius Cler. Reg. Theatinorum ad S. Syrum sodalis opusculum excussit aureum, inscriptum. *Sollieuo dell'anima sopra tutti i gradi per salir la Scala santa nouamente introdotta in Albaro da Molto RR. PP. di S. Bernardo*. Prodijt ibidem prælo Benedicti Guaschi 1654. 12. Assurrexit præterea eleganti sua vastitate longè nobilior ædes cum anno 1665. sua spatia in aulas charitatis aperuit, idest pestilenti debacchante influxu patuit nobilibus sæua lue attactis in Nosocomium: nam opimas vnà dedit amoris in proximos hostias D. Martinum à S. Bernardo, Tornamiram, Cæsaraugustanum; Carolum à S. Ioseph, de Tranquillis, Perusinum; Augustinum à S. Ioanne Baptista, Sibillam, è Diœcesi Montis-Regalis; Marcum Antonium à S. Petro familiæ Rectorem, Clusinum, ex gente Arrigha; Ioannem Iacobum à S. Bernardo, Lauagium; Marcum Antonium à S. Roberto, cognomento Gattum; Augustinum à S. Nicolao, agnomine gentilitio Moranum; Michaelem Angelum à S. Andrea, Pretum, Ianuenses, omnes recolendæ memoriæ Patres, qui æmula pietate arrepto domestico commodo immolandi animas suas pro occumbentium salute ciuium, sortis etiam inuidiosæ duxere loco immori ministerio.

Nequaquam verò omittendum effusam Ianuensium charitatem satis, superque innotescere ex amplo hoc ædificio, cuius promotor D. Ioannes Stephanus initialem lapidem fundamentis aptauit, præter aureos tres, pecunia prorsus inanis. Cum autem fastigium confirmasset, inita ratione sumptuum, reperit nummum ex eleemosinis conflatum expensas excedere. Æstuat etiam nunc locupletis Reipublicæ pietas, ideoque haud spem abijcio futurum aliquando consonis abundet opibus. Id faxit Deus, qui dotem impinguantium Manes æternùm benedicat. Enimuerò pudet tet nobilem, & laxam domum majorem desiderare inhabitantium numerum, & nonnunquam, Priorali dignitate etiam suppressa, administrari veluti membrum à Cœnobio sub attitulatione D. Bernardi intra Vrbis mœnia excitato, quod veluti filium in incunabulis fouit, æuò nimirum sibi posterius, conditumque occasione haud reticenda.

Cum anno 1625. ad statim eruptum bellum exhorruisset Italia:

Ianuen-

Ianuensesque, tanquam periculo propiores, libertati suæ timerent, confugerunt ad Tutelarem Claræuallis Antistitem, illumque ex publico Senatus decreto Ianuensis populi Tutelarem renuntiarunt die 29. mensis Aprilis eiusdem anni, destinato ad Sanctum in Gallias Oratore Augustino Centurione nobilissimo Senatore, qui quatuor millium scutorum pondere eius sepulcro argenteam lampadem dono deferret, addito annuo censu, quo ante illius sacrum corpus continenter arderet. Templum præterea eius memoriæ in Vrbis meditullio grata Respublica posuit, non ab alijs procurandum, quàm à nostris hominibus ex Albario euocatis, id quod vbi notat auctor Italiæ sacræ Ferdinandus Vghellus, subdit: *Visus tamen est Ianuensis Senatus mirificè hoc tempore præteritum incommodum, extinctæ scilicet famosæ olim S. Andreæ Abbatiæ, resarcisse, cum Sancto Bernardo Nobile erectum Templum Monachis ex Ordine Cistercienſi attribuit, qui quanquam Claræuallenses non sint, Cistercienſe tamen sub emandato vestium cultu, profitentur institutum, ea sanctimonia, vitaque integritate, vt dignè videri possint, qui impetrent à Sancto, vt vnicè dilectæ Reipublicæ Ianuensis non obliuiscatur in æternum.*

1632. *Iacobus à S. Dionysio*. Ex nobili *Desbordes* prosapia apud Moissac prouinciæ Caducercensis Oppidum illustri ducta origine, præ se tulit ab ephæbo non Mundi adblandientis voluptatibus capi, non vellicari ambitu honorum, non diuitiarum cupiditate irretiri, sed generosum mittere rebus mortalibus nuntium, inuolare in Claustra, vitamque transigere in obsequio Christi sua cum Cruce amplexati. Nomine Congregationi dato, coronauit rudimenta in domicilio Fuliensi anno 1611. posita solemni emissione Propositi. Post stabilitatem votis assertam nonnullos dedit annos animi iuxta expolitioni sui, ac ingenij culturæ, floruitque conuersatione ad apices disciplinæ si quis alius efformata, ac demissione, paupertate, oratione, obedientia, charitate in paucis ornatissima. Celebrantur quammaximè eius apophtegmata in laniantes bonam proximi famam mordaci lingua. Patiendos, habebat frequenter in ore, & compatiendos. Sinendum obuolui in pessimo obloquutionum luto. Odio nequaquam insequendos, nec rependendam iniuriam obiectione rerum perperam ab ipsis gestarum. Imò cauendum ne acuantur vindicta. Molientes vltionem intimè angi, torqueri, ac proinde paratum maledicis damnum

propi-

propinare sibimetipsis. Huiuscemodi mordentis linguæ genios à Deo immitti in orbem terrarum veluti tempestates, ac fulmina. Futurum profectò districtum Iudicem detractionum. Dei tribunal vsurpandum à nemine. Quin potiùs prosequendos laudibus, curandamque resipiscentiam omni officiorum præbitione. Sat esse dignoscere ex loquela inuidos aliorum gloriæ. Haurienda à censura indolis perficiendę argumenta, & expungendum quidquid murmure pungunt. Iussus deinde transiret in animarum venatorem, sacri Ecclesiastes arduam spartam aggreditur. Conscendit insigniora Vrbium suggesta. Declamat cum fruge ad turbas, alios è fœdo voluptatum cœno ad puritatis cultum educit, alijs pacis sensus insinuat, & hostibus conciliat insectatis. Alios in adolescentiæ lubrico positos dirigit ad Regularium mansiones, reuocatos ex fluctuantis gurgitis æstu ad placidum tranquillitatis sinum. Detonat præcipuè in gliscentem per Gallias hæresum vim, & plurimis Ecclesiæ gremio per alias prouincias restitutis, obtemperat Episcopo Mimatensi, & errores inter Cemmenios populos contendit euertere. Sed vergebat profundum iam ad senium ætas. Asceticæ labor pœnitentiæ, ac Euangelici defatigatio muneris robur corporis pessundederant omne. Attigit itaque contentionum, & dierum periodum anno 1632. in Monte-Pessulano. Curarunt funus P. Capucini, qui sicut tantum hospitem auidè exceperant in contubernio, ita functum vita ad suorum Sodalium cineres collocarunt, virum planè Seraphici spiritus, dignumque habendi tumuli locum inter Patriarchæ Seraphici sectatores eximios. Post multos à dormitione annos in reserato conditorio repertum cadauer incorruptum, visumque integrum adhuc corpus comprobasse, vt vt potuit inhabitantem olim animam ex carnis domicilio nullam vitiorum carnis contraxisse tabem, & à corruptione impuritatis intactam.

1632. *Ioannes à S. Mauro* sexto Cal. Septembris anni 1617. Fuliensis professionis in ipsa Abbatia Fuliensi assertor, ex traditione Petri à S. Romualdo Thesauri Chronologici Parte tertia, pagina 915. natalitiam sedem nanciscitur Oppidum Diœcesis Augustæ Ausciorum ab indigenis appellatum *Miranda*. Gessit in Congregatione Assistentis munus, floruitque multa condecoratus virtute, patientia maximè, quippe qui diceret adornantes à Sęculo fugam, ad monastica contubernare stipendia, nedum nemini illaturos iniuriam, sed & accepturos

æqua-

æquanimiter ʃi nonnunquam moleſtijs impetantur. Aduenientia mala retundi ſi generosè ferantur, ſecus inualeſcere, & grauiora incumbere quando ægro ſuſtineantur animo; ſerenitatemque interturbent. Melioribus etiam artibus apprimè delectatus, illis intendere libenti profitebatur Minerua, quò eliminaret inſcitiam haud ſecus animo perniciosam, ac corpori cæcitatem. A mala autem ſanitatis fide præpeditus ne literarum ſtudijs pro voto inhæreret, conquerebatur cum Seneca: Hominem ad immortalium cognitionem nimiùm eſſe mortalem. Plurimi faciebat benemerentes de erudita Republica, tunc potiſſimùm cum vigilias ad perfectionis incrementa, & vitiorum exinanitionem elaboratas prælo ſupponerent. Pollebat in conſilijs prudentia, & æquitate; cumque nihil ageret, quod veluti ſua gutta maturitas non reſpergeret, liquidò innoteſcebat proceram eius corporis ſtaturam à Spiritus magnitudine exæquari. Conceſſit in fata meritis, ac virtute ſupra ætatem cumulatior.

1636. ***Bartholomæus à S. Fauſto***, Theologus in Moralitate eximius, & primæ inter notæ Scriptores. Patriamque, genuſque, calami monumenta, munerum decora Athenæum depromit, vbi Siculum Platienſem refert ex proſapia Pirrorum, & cum præcellentium Synopſi vigiliarum, Prouincialem Romanæ Prouinciæ, & Generalem Societatis Viſitatorem concelebrat. Præclara laudum appendix hic attexenda ætas eſt per omnem ducta probitatem, & vitæ periodus cum exiſtimatione ſanctitatis concluſa. Confert adſtipulandæ pietati legalibus, & ſpeculatiuis inſtructum facultatibus, meliores tamen intendiſſe neruos cōparandæ doctrinę, cui ab erudiendis moribus nomen. Enimuerò ad mortalium caſtigatiorem inſtitutionem propagatus in illo ardor à ſtudio ſuæ perficiendæ indolis primò concaluit. Scriptio quoque explodens laxiores ſententias, & tutiores ſolummodò adſtruens quam nobile extat veſtigium conſcientiæ ſedentis optimè in ſtricto Auctore. Nomen vbique ſolemne, vigiliarum repetitæ, & acceptiores ſemper editiones nullam viro humilimo elationem afflabat animi, quinimò famæ applauſu cum tanta ſui demiſſione pollebat, vt declinaturus honores egrederetur domo perquam raró, & congreſſus pro agitandis confeſſionum quæſtionibus deuitaret, ſuarum veritus inanitatem reſponſionum is, in cuius tamen opiniones, ſolidiori innixas fundamento nulla vnquam non concederet ſeſſio. Quæ graduum

dutum præeminentia facilè capit mortalium mentes Bartholomæo à S. Fausto visa propiùs horrori fuit, & humilitati, virtutum scilicet *Principi* ex corde litans, Deo fidem obligauerat suam splendidius Confessario officium procuraturum se nunquam. Cum verò obtemperandum fuit Vrbano VIII. res sacras è Petri solio temperanti, & Prouincialis in prouincia Romana conscendere gradum, aliosque subinde exercere iubente Patrum conscriptorum Senatu, studijs quà fouendæ disciplinæ, quà adaugendæ alumnis demeruit mirifice Ordinem. Aliæ quoque inerant consuetudinis suspiciendæ partes. Habebat in moris compescentiam carnis frequenti vsu cilicij, & abstinentiæ. Faciebat ad Aram summo mane clausis adhuc Ecclesiæ foribus, cum amotis testibus liberiorem aperiret lacrymis cursum, & deuotionem ad vota protraheret. Cultus in Deiparentem satis, superque notus. In Abbatia Vicensi diuturnus Pœnitentiarius dabat calamo consignanti scriptis doctas casuum resolutiones, occupaturas *postea typos*, noctis horas, diurnum autem tempus absolutum à Monasticis numeris impendebat, vel sessioni in Exedra pœnitentiæ sacramentalis, vel preci ante Virgineam Iconem miraculorum patratione ibidem coruscantem, vel circuitionibus Nouenarum. Consueta illic Nouenarum deuotio. Aliæ Maiores sunt, Minores aliæ. Maiores obeunt circumsedentes populi, longèque etiam seiuncti cum semel in anno conueniunt, & antequam introgressi Basilicam ad aures absoluentium noxas deponant, intersint celebrationi sacri, persoluantque vota, cum Rosarij Mariani recitatione, seu cantu Litaniarum, exteriorem Templi ambitum nouem vicibus emetiuntur. Minores peragunt introrsum reliqui accedentes singulatim, & duntaxat circa sacellum Imaginis miraculosæ illa ædificatum arte, vt vastæ molis medium occupet spatium, ac incessuris per gyrum areæ oualis multum accommodet. Has Bartholomæus vel Dei Matris sertum, vel contemplando præconia multoties congeminabat in die, & pijssimè quidem.

Sed parentalium celebritati seruatum adhuc vitæ absolutioris specimen præcellentius. Diem suum dixit religiosissimè in Neapolitana ad S. Caroli Maioris æde 20. Iulij anni 1636. Cum verò efferendus ad tumulum fuit, & portitores demortui corporis extra Monasterij limen posuere vestigium, conuolarunt ad feretrum auiculæ ignoti generis, dulcissimi cantus, pennisque mira colorum varietate respersis,

qui-

quibus ac si interesset cum sodalitate Monachorum persoluere defuncto iusta, ducto simul funere, simul ingressæ Ecclesiam celeri alarum explicatione Aræ maiori imminentem vmbellam, occuparunt, & concentus edidere Angelicos quamdiù expositum cadauer operiretur humo. Rei nouitas infimum quemque, summatemque virum, puellas item, matronasue Vrbis amplissimæ ad nostratum Templum attraxit. Rapiebantur omnes dulcore vocum, demirabantur pennates non antea inspectos, suspiciebant præstitum elato Ascetæ funebre obsequium. Alij manus, alij pedes æmula deosculari veneratione contendebant. Felicior habitus, cui contigit aliquam indumentorum laciniam reportare domum. A frequentia prohibiti biduo Patres condere vita functum, & cum arrepto noctis intempestæ commodo, contumulare valuerunt, siluere auiculæ, auolaruntque, nusquam præterea visæ.

1640. *Eustachius Asseline* in hanc vitam missus Lutetijs 27. Aprilis 1573. Parentes illi Eustachius Asseline, & Maria le Grand, Picardus vterque, & ex familijs, opibus, ac genere iuxta perhonestis. Genitori scilicet Domino de Champeaux plurima circumstabant fortunæ bona in proximo Vico de Formerie, Mater verò Patre edita nobili Equite, Gubernatore, & Magno Iudice Bellomontij ad Isatam, fauore Francisci Primi in Aula Regia optimè noto, tangebat consanguinitate illustres etiam in præsentiarum domos, de Vaudueil, de Condè, de Mouis, de la Brettonniere, de Houdan, & d'Acquesseau. Lustrico die renouatum in puero Parentis nomen. Liberaliter postmodum educatus, tardioris habebatur ingenij. Verùm, Pater, qui literis ab adolescentia operatus egregiè, inter causarum Patronos nemini deferebat primas, & suæ celebritatis in Parisiensi foro iam gratulabatur hæredem Ioannem ex natis alterum, nequaquam despondebat animum Eustachium, lento quamuis pede, assequuturum tamen & ipsum doctrinæ famam. Spem superauit euentus. Quinto nimirùm supra vigesimum ætatis anno laudem attigit Diuo Thomæ Aquinati, & Francisco Suarez communem, repentè videlicet explicasse ingenium diù veluti clausum, tunc enim initiandus gloriæ declamare ex suggestu incepit, docere ex Cathedra in Caleuitano Collegio, nonnullos prætèrea electissimæ prosapiæ habere domi adolescentulos Auditores, vnàque demirati hæbraicis excultus literis, atque Græcis,

latina disertus in eloquutione, excellens in facultatibus, & doctrinæ rumore longè auolare supra florentissimæ Vniuersitatis consocios. Et quales amabò, quantosue? Ex illis enim Philippus Cospeau Aturensium, Nantensium, & Lexouiensium successiuè Antistes, Paulus Boudot Audomaropolitano primùm, Atrebatensi exinde donatus pedo, Georgius Frogerius Pastor ad S. Nicolai Chardonnensis, Ludouicus Messier cum animarum ampla Lutetijs procuratione, Archiepiscopi Parisiensis Generalis Vicarius, Laurentius Bernard Præfectus Collegij Cluniacensis, & antiqui eiusdem Ordinis restaurator, Natalis Mars inter Benedictinos magni Monasterij denatus religiosissimè, & conditus tumulo ab imploraturis suffragium frequentato, nam consequutæ æternæ beatitudinis opinione clarus, Iuo Kerbic Rector Vniuersitatis, in eadem Doctor, tandemque Theologalis Trecoriensis. Præclara hæc inter capita Eustachius anno 1603. Scholæ spectatissimæ Antistes, & 1604. eiusdem renuntiatur Doctor, sortitus tertium non honoris, sed sapientiæ, illa in Licentia locum. Nec pijs interea spatijs defraudabat pietatem. Indoli non alia præponenda suauior. In summo applausu demirandæ modestiæ cunctis reuerentior erat, matri potissimùm, desiderato iam Patre, cui etiam venerationem conciliabat, & obedientiam vti ab vna, & altera sorore, totidem enim erant, ita & ab vnico germano Ioanne, nam ex tribus Claudius primo natus loco acerba decesserat in ætate. Aris initiatus Missæ celebrationem fecit primam, solemnemque in Templo ędis Sorbonicę, cui deuotionis, & honoris ergo inseruire in Diaconi ministerio voluit Philippus Gamachęus, Doctoratu, Magisterio, suppositis calcographię vigilijs famigerato suo nomine maior. Literis, & orationi vacationem assiduam contestatur Claudius de Rueil, scientiarum naturalis, & diuinę in eius Gymnasio per biennium auditor, indeque Aquę-Augustę, seu Boiatum, ac Andegauensium Hierophanta. Data enim Epistola ad Nicolaum Frogerium fatetur: toto illo tempore conspexisse Ioannem non alijs adblandientem animo laxamentis, quàm transitu à studio ad precem, à prece ad studium, bonitate naturę consequente semper vestigia Spiritus, & perquàm facillimè. A Sacerdotijs redditàuum lautitie splendidioribus, vltronea etiam oblatione reiecta, semper abstinuit: quippe in animo commodorum exuberantiam infra tenuem censum habenti nullus principabatur diuitiarum amor. Et exiguus pro-

profectò erat affulgens domi opum splendor; nam, si demas ædem Parisijs, & hortum apud Gentihacum, prouentuum reliquum sua vorauerat ingluuie fœderis contra Regem initi Mars quaquauersum desæuiens. Rectoratum Lycei, Doctoris honorem nimiùm qua sui animi demissione refugeret, nam inclita decora assumpsit duntaxat concitantibus, impellentibus aureo dignissimis æuo Andrea du Val, ac Philippo Gamachæo iam laudato. Euulgata editione libri de Ecclesiastica, & politica potestate, operę fructum probauit suæ. Enimuerò à Cardinali de Rets Archiepiscopo Parisiensi adhibitus, auctorem à noua abduxit doctrina, declarauitque castigatior subinde Scriptor se, suoque à calamo impressas, & imprimendas elucubrationes Romanæ censuræ velle subiectas, nec latum quidem vnguem recessurum vnquam à summa auctoritate Orbem attemperante è Petri sede. Charitas vti viduis, ac pupillis vindicem, ita spiritualem poscentibus directionem institutorem parabat optimum. Dei verbum plenis annuntiabat subsellijs, suntque adhuc in pretio explanationes symboli Apostolici ad populum habitæ dominico quoque die anni 1603. At verò dum iuuat Sæculum, amore capitur sæculum abdicandi, & eius concalescentia cogitare Fulienses, voto etiam se penes in Cartusianorum Ecclesia emisso, accensendi selecto Ordini nomen. Accensuit Parisijs, sed constanter primò reiectis grauiorum etiam virorum consilijs omnem admouentibus machinam ad labefactandam pietatem pectora tangentem ardentiùs, præferentibus proximorum compendia secessui in Claustra, accusantibus sospitatis fidem non satis bonam, exagerantibus Sorbonæ, illo recedente, iacturam, constanter etiam depulsa procuratione proposita absolutionis à iureiurando, Romana quidem ab auctoritate impetrandæ. Et ecce afflatui ab alto annuentem Eustachium è Sorbonæ lumine transire in Foliensium sidus, induere Monachum 14. Februarij 1605. & sanctiori cum vitæ norma sanctius cognomen assumere *Eustachij à Sancto Paulo*. Futuro Congregationis sectatori cum paucis ornatissimo contigit sortiri incunabula cum Reformationis prima eluxere crepundia, nimirùm 27. Aprilis 1573. Eustachius Asseline, & Maria le Grand Eustachium nostrum habuere Parisijs, & Barrerius, suscepto regulari indumento, eisdem dieque, mensque, annoque restituendæ Fulij disciplinæ operam incepit nauare suam. Cumque Cœtu, & institutione iam pro-

 paga-

pagatis, à Pontificia approbatione procuratum legibus Apostolicum munimen, accidit quoque Eustachium amplexandæ Religioni animum adiecisse Lutetijs, nec alibi, quàm Cartusianorum Templi ante principem Aram, vbi & Venerabilis Congregationis auctor iurauerat migrationem à Sęculari in Claustralem Abbatem. Itaque à carceribus, seu ab emissione in hanc lucem Eustachius iam designatus Fuliensis. Cumque, annuens vocationi intus auriganti, tesseram suscepit Propositi ingens planè beneficium effulsit Numinis nouam plantationem eximijs fauoribus excolentis. Præclara sanè decora in Congregationem ab ipso profecta. Inuexit in Religionem Ascetam vndequaque factum ad hominis interioris caracteres; honestauitque tyrocinium primò quidem inclito sui periculo in eiusdem puluere facto, & demum à recenter professorum triennali arena dimensa assumpta continuò præfectura. Quæ in alijs aditus est ad expolitiorem virtutem rudimentorum positio, in Eustachio comprobario fuit Monachi suis numeris iam absoluti, socijs exemplo, Magistro admirationi, digni proinde qui Magistrum ipsum in officio exciperet. A fœcunda, dilucidaque Minerua Claustralibus Lyceis nitidior inclaruit lux; *Summa nimirùm Philosophia quadripartita*, & *Summa Theologiæ tripartita*, prima quarum lineamenta cum professor in Collegio Calceitano concepisset, absoluit postmodum Lector pubis Religiosæ, ac sępè sępiùs recudendas typographiæ tunc primùm vltima cum linea exposuit. Delatorum munerum constitutus in vertice, priuatæ, ac publicæ virtutis luculentum iubar in totum cętum effudit. Porrò tenuit honorum culmen anno 1609. ex nouitio nouitiatum absoluentium Magister, & gerens Prioris vices in tota domo, 1612. Præfectus Claustri apud Cellas, 1614. Antistes celebris familiæ in Lutetiarum Vrbe, 1617. ex Gallia amandatus Romam, moderator Sancti Bernardi ad Thermas, 1620. Visitator generalis, tenuitque quinquennio inspectionem, 1625. Confessarius Fuliensis Sanctimonialium Gynęcei ad Dominam nostram de Charitate intra Parisiorum Vrbem, 1628. Fundator, & Rector Coloniæ Suessionensis, tandem anno 1629. renunciatus Abbatis Generalis Assistens, fuitque in præcipua dignitate ad duodennium. Hæc in gratiam Historiæ densa versantis in caligine, vbi rerum, temporùmque desiderata non interfulserit claritas. A diuini præterea contentione obsequij dimanauit rituum, & prisci Cister-

ſtercienſis Breuiarij expolitior ſecundis curis impreſſio. Porrò à rerum vſu, & captata Principum, Procerumque beneuolentia proceſſit ab Euſtachio familiarum vbi incrementum, vbi noua molitio. Apud Cellas in Comitatu Bleſſenſi erat Abbatia fundata per Chilpericum Regem, anno 531. inaugurata Dominæ noſtræ, & tradita Benedictinis, quibus poſtmodum ſuffecti Canonici Regulares, legibus Diui Auguſtini ſola profeſſione deuoti, nam tenore conſuetudinis reuerà exleges. Philippus de Bethuna Cellarum Comes, prò Rege Chriſtianiſſimo bis Romæ Orator ad Paulum V. & Vrbanum VIII. alijſque deinde Chriſtianos apud Reges legationibus cum laude perfunctus induxerat noſtratum manipulum in ſedem collapſam, vbi enim à fulgore obſeruantiæ Aſcetica excidit manſio, rectè collapſam dixeris, & Abbatiæ largitione conſtabiliendos à Rege curauerat. Recenti Coloniæ Euſtachius delectus Antiſtes cum facultatum ſcholas ſimul ibidem regeret, religioſæque adoleſcentiæ ingenia ad honeſtum ſapientiæ ignem accenderet, ſimul abſoluendæ ſeptorum ſtructuræ, ſimul faſtigiando vacauit Templo, ſimul vindicandis inhæſit Cœnobij iuribus, quà neglectis, quà direptis.

Primam ſpartam ad vota cum impleſſet, conſalutatus Prior Sancti Bernardi Pariſienſis, multi non ſecus ponderis, quàm momenti ſuſcepit munus agitandi ſancitorum vim, ac centum alendi Monachos aduentitiam præter ſtipem certò quocunque prouentu omninò deſtitutos. Adeat qui addubitet Perandæ Epiſtolas, enimuerò ibi reperiet, & Cardinalem Caietanum, literis Romà Pariſios datis, Vrbis ſplendidiſſimæ ampliſſimos Conſules concitaſſe ad iuuandam hoſpitali manu inopiam ſummam Fulienſium Patrum, quos latifundijs vacuos inuit, & ad victitandum contentos paucis vnà commendat. Sed annonæ charitatem in copiam perpetuò exuberantiam, breui manu ſolers Prior conuertit plurima, quam apud Regem ſibi inierat, cum gratia, tum & exiſtimatione. Ludouicus quippe Rex huius nominis tertius & decimus cum clauſtri limina frequens tereret, & humilitatis, ac beneuolentiæ exceſſu planè ſuſpiciendo diſcumbentium menſis Patrum quidpiam obſequij Regia non dedignaretur præſtare manu, munificam in Nos deuotionem proſequutus, attribuit in dotem Cœnobij Vallem Sanctæ Mariæ, quo nomine venit Abbatia Ordinis Ciſtercienſis, de linea item Ciſteroij ſecus Lutetias, ad viginti

argen-

argenteorum millia diues. Tantæ accessione pinguedinis solemnis Conuentus Regiæ adsitus, Regiam vndequaque præfert maiestatem æqualem amplitudini trium Regum, è quibus Henricus III. fundator primum, sed angustioris schema Hospitij instruxit, tanto ardore Barrerium cum socijs secus Vicenarum saltum hospitantem ibidem traducendi, vt compelleret adlaborantes incumbere ædificationi die, noctéque. Cum autem excrescente sodalium multitudine imitari oportuit Diuum Bernardum, & quemadmodum ipse penes Claram-Vallem, ita nostrates Lutetijs secundum, ampliorisque vastitatis adoriri Cœnobium, Henricus IV. & Maria Medicea primordialem Ecclesiæ lapidem vno, eodemque die voluere singulatim deponere, Henricus quidem de mane, Maria vero ad vesperam. Currebat tunc æui labentis annus primus, mensis autem Martij 27. toti Galliæ auspicatissima lux, qua partui iam accincta Regina Medicea simul atque magnificentissima ab hac celebritate in Aulam concessit, Delphinum feliciter enixa, pro æde Deo posita Regnorum successorem progenuit. At funesto quòd nimium sublati fato, seu Henricus III. seu Henricus IV. implere nequierint fundatorum nomen congrua elargitione censûs, Ludouicus inito sceptro, & memor Regem genitorem suum ad impetrandam sobolem Fuliensem vouisse Basilicam, nec primum collocatum ab eo lapidem, quin statim Natalitius suus, suæque contoralis Reginæ illuxisset dies, prædecessorum æquauit mentem, & substantijs muniturus pauperrimos lares transtulit in iûs Congregationis à Cistercio deriuatæ Vallem Sanctæ Mariæ Cistercij filiam. Sacris ideò redditibus Asceterium Parisijs impinguatum alumnos alit ad centum, è quibus alij adolescentiores scholastico versantur in stadio, alij in facultatibus iam emeriti ad quodcunque præterea bonarum artium corollarium comparandum assurgunt, alij Ecclesiasticum exercent dicendi genus, in quo adeo præstant, vt si citrà inuidiæ discrimen veritati litare fas sit, Fuliense atrium consalutare liceat equum Troianum, è cuius penetralibus Athletæ prodeant, populis ad Dei amorem inflammandis, zeli feruore, exempli face, doctrinæ copia, dictionis elegantia, & actus energia aptissimi. Illustres hasce Athenas in Principe regni vrbe Regique, Eustachioque debet Ordo, opum elargitore altero, altero promotore votorum, qui etiam ad Congregationis commoda vlterius semper progrediens intra sinum beneficen-

tiæ,

tiæ, & Regis, & Optimatum, fauorum protensione, impetrauit annò quidem 1622. nostros homines dilatari ad Sancti Martini Lemouicensis, indè amandatis aliò paucis Monachis habitus, at non iam Benedictinæ viuendi normæ; anno autem 1629. Cœnobium Vallis Sanctæ Mariæ Cistercienſis professionis spiritum rediuiuum postliminiò recipere, Reformationi scilicet, quam vouemus, integrè subijci, & quemadmodum Abbatialis opulentia mensæ Parisiense rectum dictabat, ita Monachali portione propaginem illuc extendendam enutrire. Quæ præter cum Franciscus Annibal de Estree Franciæ Marescallus, conflata pietate cum Maria de Bethuna vxore, adornaret Suessione contubernium Sancto Bernardo nuncupandum, & sub reformatis Sancti Bernardi sancitis Deo obsequuturum, ductorem propaginis anno 1624. illuc emisse Eustachium expetijt; qui effusa benignitate ab Antistite, & cunctis Ciuitatis Ordinibus exceptus, aream comparauit, septis aperuit fundamenta non alteri in tota prouincia elegantia, & laxitate concessuris, quando postrema detur manus primę, quam ipse apposuit. Sed sanctiorem meditabatur semper tyronum informationem, adeoque volens & illorum segregi ab antiquioribus conuersationi prospicere, Petrum Seguier Francię Pro-Cancellarium induxit suis auspicijs singulare eisdem conderet ędificium, quod sub inuocationę Angelorum Tutelarium in Vico S. Michaelis Lutetię Parisiorum consurgens fundamentale habet saxum in hęc verba insculptum.

Deo Opt. Max.

Lapis iste pro fundamento huius Monasterij Congregationis Fuliensis, sub auspicijs Sanctorum Angelorum custodum erigendi, ab Illustrissimo, ac Nobilissimo Viro D.D. Petro Seguier Francia Pro-Cancellario meritissimo, positus est Anno Domini M.DC.XXXIII. Die VII. Kal. Iul.

Huius coronidi fundationis męliores ne intenderit neruos lector dijudicet. Qui gradu tunc pollebat Assistentis, migrauit in Rectorem ędificandę sedis, nec Antistitis Generalis repetijt latus, Consultorumque subsellia, nisi Templique, Tectique excitatione iam consummata.

Nec Regularia compendia plenè absorbebant Eustachium. Ad Doctorem cum fama sapientissimi vbique celeberrimum conueniebant

bant vndequaque expostulatores consilij. A secessus prętereà studio, ab Asceticis Pręfecturis, ab elucubrando abripiebatur ad instauranda vbique sanctiora virtutum exempla, ad declamandum in vitia, ad procurandas conscientias, ad regenda sanctimonialium Collegia, ad Monasticorum quorumcunque Cœtuum emendandos mores vbi legum excusso fręno conuiuerent, ad mortales fatali in articulo adiuuandos. A sacro confessionum ministerio cum esset plurimæ Ordinum eunctorum frequentiæ, Principissæ Condęui, Comitissæ Suessionensis, Ducissarum Longauillæ Matris, ac Nurus, Catharinæ Aurelianensis temperabat in primis, expiabatque conscientias. Discretione pollens animarum probauit Spiritum Mariæ ab Incarnatione inter Sorores asperioris Carmeli supernis reuelationibus, & integerrima conuersatione effulgentis; indoles autem damnauit ex alijs plurimas, quas deprehendit miserum in modum vitiatas hypocrisi, corruptas animi elatione, & gressu à sanctitatis consequutione quam longè aberrante in dæmonis artes concedere. Ingrediendam cum sensit communem vniuersæ carni viam Magnus Franciæ Cancellarius de Beliure, pendere continuò voluit ab ore deuotissimi viri, vt sensu pręcipuè diuinorum, ac gustu oppeteret feruentiùs Cœlum, & per gloriæ libamenta supernæ desiperent animo Mundi honores, rerumue splendor caducarum. Marescallus de Marillac anno 1632. damnatus capite à spiritualibus sibi adiumentis Eustachium admoueri cooptauit, habuitque cum fruge cohonestatæ corporeæ cladis pulcherrimæ specimine mortis. Haustis nimirùm nobilibus ad pietatem excitamentis æquanimiter admodum accepit sortem asperam fati; Criminationis molitoribus remisit perquam generosè odia ad perniciem instructa; Cognatos, amicos monitos voluit compescerent & ipsi iras, motusque vindictæ, quibus ipse præposuisset indictam à Christo dilectionem in hostes. Vitæ anteactæ generalem obiuit expiationem, corde à doloris vi in lacrymarum imbrem propemodum abeunte. Absolutione autem à noxis in ipso percussionis articulo percepta, afflatæ deuotionis egit Eustachio grates, pro se oraret expostulauit; ab adstantibus precum item subsidia deprecatus est, Deo commendauit spiritum, & pœna capitali gradu sibi facto ad dierum clausulam apprimè dilaudandam, dedit spiculatori ceruicem.

Hæc super inualuerat eodem temporis rumor ad reficiendàm, pro-

promouendam disciplinam in virorum, mulierumque Monasticę conuersationi deuotis septis Eustachium vnicè natum. Ergo complectetur vigilias exorari passim, hortari ardentiùs, vrgeri, nec illum obluctati, sed opportunas dare manus contentionibus Deo longè gratissimis. Cum, Gregorio decimoquinto maximam demandante prouinciam, Cardinalis Rupefucaldus in tota Galliarum amplitudine Monasticorum iniijt visitationem, & sartam tectam Ordinum S. Augustini, S. Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis, purpurato Eminentissimo subijt in mentem consilium expleri id negotium nec rectiùs, nec sanctiùs posse, quàm si ingenti curæ viros deligeret comprobatæ prudentiæ, exactæ probitatis, nec impares solidæ fama doctrinæ. Asselino primæ delatæ partes, sine cuius Oraculo innouatum nihil, quo dictante conscripta, prolata instaurationis sancita, consultumque laborantibus institutis egregiè. Eius potissimùm natiuitate luculenta S. Dionysij Abbatia annò 1634. adijcitur Congregationi S. Mauri, cuius itidem ornatissimę Reformationis Cœnobiticos antea maturauerat Canones, & primus post Rupefucaldum Apostolicum Delegatum subscripserat anno 1623. Adlaboraret pręterea oportuit absolutiori Sanctimonialium consuetudini, ac censoria defungi inspectione Regiarum fundationum Calensis, Malnouij, & Vallis-gratię terque quaterque, septies Gynęcei Matrum ab Assumptione Deiparentis nuncupatarum, octies Vrsulinarum in Vico S. Iacobi, quarum simul statutis ad apices strictioris obseruantię elimandis operam nauauerat suam. Solemnis autem Abbatia Fontis-Ebraldi; & familię ius Monasticum à nobili planè capite accipientes ad totos annos tres inuisorem tenuere disciplinę, & Rectorem in spiritu. Desudauit & ad miraculum feliciter pro sanctiùs expolienda professione splendidissimi Collegij Virginum de Maubuisson Ordinis Cisterciensis ad Pontisaram, ea propter inter Virgines Agnum cęlestem nunc verè sequentes, seu imitantes iuremeritò adnumerandas. Apud Moniales de la Saulseay secus Lutetias pręterquam quòd à sacris ministerijs, Censorque conuersationis, audit restaurator, & post Diuum Benedictum Legislator alter. Quippe qui Reginæ Regentis iussu solicitudinem complexus asserendi in inclyta statione Benedictinam viuendi methodum, Constitutiones edidetit, reparationem adornarit adeò ad vota auspicantis Reginæ, vt quidquid in hanc rem solers

 pro-

promotor deposceret, statim illa iuberet. Rogata amandarentur illuc tres Sorores è mansione filiarum Dei, electissima in Vrbe Parisiensi sacrarum Vestalium sede, continuò scripsit Abbatissæ Fontis-Ebraldi cuius propositum regularitatis inibi floret, & ablegandas sategit. Deprecata accederet ipsamet ipsa, conatus prosperè euntes auctoraret, è vestigio perrexit, & rerum faciem pro desiderio speciosiorem demirata, sanctimonialibus in aula capitulari collectis verba fecit pijssimæ Dominantis maiestate, zelo, benignitateque condigna, ac renouationem mirificè gratulata, commendata insistentia, vestigia iterum reuocauit ad regios lares.

Non hæc profectò citra Asceta absolutissimi celebritatem summam, laudemque. In Vrbe rerum arbitra Prior S. Bernardi ad Thermas apertum teneret limen fas erat Regio Ablegato Annibali d'Estree, Franciæ postea Marescallo, Cardinali Marquemontio, multis è Prælatorum censu, Gallo cuique illustriori, confluentibus cunctis siue expostulandi consilij causa, siue exponendi interiorem animarum sinum. Ipse Pontifex Maximus Paulus V. agnitum, auditum, à sapientia dilaudatum arduis consultationibus sæpè sæpiùs occupabat. Vbi verò in Gallias rediјt Nuntium Apostolicum passim monebat opera vteretur eximij cum paucis viri, quem etiam augustam assumere ad Purpuram secum voluens, Annibali de Estree, qui supra, Aulæ Christianissimæ apud S. Sedem Oratori conceptam aperuerat mentem, condicens, aduocatum Lutetia assereret iterum Romæ. Ille verò Vaticano Galero prehabita absconsione sub modio, Oratorem sibi intimum exorauit reditum nequaquam vrgeret, & Papæ animos in se amplissimos in alios deflecteret dignitatis eminentissimæ promerentiores. Porrò moras ducentem Parisijs cum Rege Christianissimo, Regina Matre, & Regina Sponsa, supremo è sanguine Principes cuncti, Cardinales Rupefucaldus, Berullus, de Richelieu, de Rhets pari habebant existimationis loco. Aulæ Administri, Senatus Patres conscripti ad expetenda consilia, & amplectenda ferebantur arcana vi, quam sententijs influebat cùm profunda doctrina agendi suauitas, atque candor. Odorem inhalantes præstantioris virtutis impensiùs reuerebantur, colebantque, & si qui alij D. Franciscus Salesius, Cardinales Rupefucaldus, & Berullus, Maria ab Incarnatione, Margarita de Arbouze. Et quidem cum celeberrimo Gebennensium Præsule arctior à facultatum puluere necessitudo, propagata vsque ad cine-

res genij conformitate, & ingenij, accessibus cum Parisijs adesset, cum verò in sua Diœcesi consisteret compellatione epistolarum*, in quarum vna inquit: *Enitamur nos simul vnire in Christo Iesu: tu, mi Pater ad meas descendendo infirmitates, ipse verò assurgendo, & ad tua conscendendo incrementa*: Ab eisdem studiorum spatijs intimæ nexus amicitiæ cum Cardinali Berullo, qui Congregationis Oratorij adhuc Generalis ad se aduenientem genibus in solo positis aliquando excepit, eratque, Eustachio item ad eius pedes procumbente, cernere quodãmodo amplexus SS. Caroli Borromęi, & Philippi Nerij, itemque S. Ludouici Galliarum Regis, & B. Egidij è Socijs S. Francisci; nempe inter Dei famulorũ nobile par silere linguam, corda loqui, nescire alterum ab alterius vestigijs assurgere primum, & complexus dimittere sanctiores. Cardinalis Rupefucaldus piarum curarum grauiora illi momenta demandans, dextrum suum appellabat brachium ad inopum subsidium, Religionis fulcimen, vitiorum excidium, peregrinarum euersionem doctrinarum, oppressorumque leuamen. Accepto decessus nuntio intimè doluit, ingentem iacturam multa etiam lacryma contestatus. Maria ab Incarnatione, quæ consummatæ perfectionis coruscum iubar, prælucenti exemplo addebat cæteris mentes ad virtutem ardentiores, factos mirificè suo pectori sentiebat animos cum alloqueretur Eustachium, & pro sui regimine spiritus legere censebat consilium Numinis cum illum audiret. Qui nam porrò forent de illo sensus in Margarita de Arbouze, cuius memoria in benedictione, petendum ab eius vita edita Parisijs 1628. Michael de Marillac à secretioribus Regis consilijs, & demùm Regni Procancellarius Eustachio, cum Romæ hæreret, significauit consobrinam suam Margaritam, ex Sanctimoniali in Monasterio Montis-martyrum traductam ad Vallis gratiæ Abbatiale Parthenium, moderatricem ibi renuntiatam à Rege. Benedictina illic penetralia à præclaræ decore institutionis in indolem degenerasse laxiorem. Electæ in Antistitam stare cordi occurrere neglectæ Regulæ, & vitæ regularis integrum restituere cultum. Negotio Romæ prius transigendo conatus impenderet & ipse suos. Eustachius arrepta statim occasionis tempestiuitate, & compositis epistolis concitatam inflammare vehementiùs studuit Margaritam, egitque apud Cardinalem Bellarminum obsignarentur quantocitiùs Bullæ à Pontifice Summo, cum additamento

facultatis ad priscos reuocandos mores, eliminata liberiori viuendi licentia. Primo autem Vallis-gratiæ inspectore D. Bernardo Benedictini propositi assecla pretiosa Sanctorum morte reuocato ad meliora, Venerabilis Mater, subdit ejus vitæ auctor pag. 237. reputare apud animum suum incępit sufficiendum defuncto R. P. D. Eustachium Benedictino-Fuliensem, quem, supra scientiam pietate instructum, & probitate, donorum elargitor bonorum Charismate cumulauerat visitandi cum operæ fructu, & reformandi claustralium penates Virginum. Aberat eo quidem temporis ex Gallia P. Eustachius, sed illuc maturabat regressum ex Vrbe. Cardinalis de Rhets votis Margaritæ deposcentis annuit quàm statim ad annum, quo elapso Sanctimonialium suffragia incubuere in eandem sententiam successiuè ad alios iuxta statutorum præscriptum. Tota Abbatissæ fiducia impetrato inhęrebat Visitatori, quem cœlitùs sibi donatum asserebat ad progressus restaurationis inuectæ. Delectus apprimè in rem cecidit, æquauit nimirùm Vir Dei existimationem de se conceptam. Nemo satis benè excogitauerit vnquam quanti compendij sit reformandis Religiosarum Collegijs aptum directorem contingere.

Nec mirum comperta virtute pollentibus Eustachium oppidò acceptum, cuius literarum ornamenta, famam nominis, labores item pro animarum salute exantlatos condecorabat affatim morum sanctitas. Dignoscendus ex vngue leo; à spiritualium scilicet contentionum momentis indictis, & proprio sibi caractere conscriptis. Documenta profectò sunt animi ad perfectionem reuerà collimantis. 1. Cum aliquis te visitatum accesserit, scias te in Deum colligere, linguam compesce, ne fortè tota Christi sapientia in multiloquio diffluat, & exinanita depereat. 2. Cum tua ad pietatem adhortamenta serò procedere inspexeris, informatione non proficientem habeto arbusculi excrescentis loco, te verò cultorem considera. Insta operi, irriga, cole. Fructus si non tam citò, dabit tamen in tempore suo. 3. Ne cuiuspiam fueris vnquam acceptor. Id cum paucis caueto, & institutas animas, omnes in Christo Iesu compari dilectione complectere. 4. Quandocunque nonnemo, aut sanè eius consuetudo tuo se genio minùs accommodauerit, nullam conferas in illum culpam, sed nota duntaxat inure tuæ defectum charitatis. 5. Ama nesciri, & pro Iesu Christo contemni. 6. Ne pijs coram hominibus pietatis sectator censeri

feri affectes; quinimò contende eifdem latere perindè ac reliquis. 7. Si amatorum Christi quempiam dilexeris, fatagito ne in illo illum potiùs, quàm Christum Iesum dilexeris; paratus femper eundem pro Christo dimittere. 8. Senfibilem veritus quandoque affectum, non ideo à quoquam è veftigio recedas: exorato potiùs Christum Iesum, Deumque Patrem, puta te donent flamma, quam ipfi fpirant, alio quocunque defęcato amore, quo ab ipfis maximè auctaris. 9. Si ex fententia nequaquam adolefcere infpexeris, quæ procuraueris, bona, prębeto fua patientiæ fpatia. Perpende quanta nam tolerantia innumera propemodum patrari quotidiè mala Deus ipfe fuftineat, quandiù iniquorum refipifcentiam cunctetur, tui potiffimùm. Ergo & tu lentè feras pro Deo. 10. Deteriorem præ cæteris de te mentem femper habeto, non enim ęquè benè alios dignofcis ac temetipfum. In finus noftræ prauitatis nunquam intimè fatis peruadimus. Maiori illa ex parte noftros vt plurimùm latet obtutus. Verendum quidpiam continuè fupereft, magis quàm penetrandum, & dilucidè confpiciendum. 11. De re dubia difceptaturus aliqua, nunquam in promptu non fit in aliorum magis tranfeundi placitum, quàm tuam pro virili propugnandi fententiam. 12. Et fi de re ipfe probabiliter magis quandoque fenferis, tunc pofthabeto acriori conteftationi filentium. 13. Alio commendandam ineunte prouinciam, cui ftudia iam ipfe adieceris, ęqui boniq; confule, & cęterorum conatus in fpiritualem eandem curam adlaborate; nullius quippe difcriminis eft, vbi animo benè fedeat reliquos pro diuina amplificanda gloria in pij aliquid operis intendere mentem, ingentis verò gaudere in finu, quòd illam promouere nobis interfit. 14. Valde difficilè eft fanctiorum etiam focietates hominum aliqua non interturbati contentione, pifcina quippe funt agitata paffim, aliquando quidem commouente Angelo lucis ad propinandam alicui falutem, vt plurimùm autem perturbante fpiritu tenebrarum ad inferendum Communitati excidium. Quandocunque igitur excitam confpexeris difceptationem aliquam inter confocios, prompta in Deum mente inuolato, & illius fpiritu ductus obfequeris tempori, vel conticefcens pro opportunitate, vel loquens, fed medius, & neutrius partium, conciliaturus potiùs animos, & fententias, vt dicere valeas cum Rege Propheta: *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.* 15. Summum te defiderium teneat cæte-

cæteros ad diuinæ augmentum gloriæ eniti præclarè, & mortalium, Cęlituumque cum laude omnium vacare contentioni bonorum. *Tibi* verò solicitiùs inhæreat vita cum Christo Iesu traducenda abscondita in Deo. Securior nimirùm huiusceмodi vitæ ratio. Præstat à ministeriorum luce subduci, & ignorari, quàm ab eisdem benè gestis spectari, & plausu attolli. 16. Salutaribus quotiescunque monitis erudieris animas, ne votis insedeat illas sentire egregiè seu de tuo eloquio, seu de tua virtute. Proficiant institutione, cæterùm paruipendant & te, & adhortationes tuas; verè enim nihil sumus absque Deo, nihil sumus nisi pro Deo, & è re nostra magis foret nihil esse, quàm præsumere quidpiam esse absque Deo. 17. Tuas continuò aures euerberent verba Christi dicentis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ita haud dubiè: enimuerò humilis semper quiescit, & solus humilis verè quiescit. Et huiusceмodi quidem amoris in Deum, charitatis in proximos, declinationis à promerita gloria, mansuetudinis, suauissimæ animarum tractationis exactos numeros cum ante, & post exutum Sęculum Eustachius accuratissimè impleret, cumulabat etiam reliquarum Auctuario virtutum rigidus exceptor corporis, impuritatis nescius, iniuriarum perpessor, orationi intentior, laborum tolerantior, addictior simplicitati, seu vero disciplinæ spiritui fictam effugienti pietatem, quæ omnia disertiùs videre est penes Antonium à S. Petro Auctorem eius vitæ publicæ luci concinnatæ, expositæ anno 1646. Tanto cum apparatu meritorum Eustachius noster abijt ad superos 26. Ianuarij 1640. Indole lenis, & placidi oppetitor fati, sacra solemnia Diui Protomartyris Stephani quàm deuotè obiuit, interfuit decantationi Vesperarum, contigit ipsi pręintonare Antiphonam *Sepelierunt Stephanum*, & eadem die tactus apoplexia, Ecclesiæ Sacramenta è vestigio percepit, ac trium horarum intra spatium mortalitatem tumulo donandam deposuit.

1640. *Magdalena à S. Ioanne*, Patre genita Ioanne Sublet ex Regi à Secretis, & in Parisiensi Regia Computorum Camera Magistro Auditore Cartusiensis propositi alumno, Matre verò Magdalena Bouchart, Sorore Protoprędidis de Champigny. Mortis legem subiuit Lutetijs 18. Octobris 1640. cum vitæ annum excederet sexagesimum,

ſimum, Religionis verò vnum ſupra quadrageſimum, quorum totos viginti,& alterum in Præfectura Nouitiarum emenſa, vndecim in Subprioriſſæ Officio, ſeptem in Prioriſſæ munere exegit. Vota nuncupauerat in Toloſano S. Scholaſticæ Gynæceo, vnde commigrata Pariſios, effulſit ad miraculum maturiori quodam prudentiæ genere, & religioſis virturibus excultior Virgo in Parthenio Dominæ noſtræ de Charitate recenter molito in Vrbe principe auſpicijs Mariæ Mediceæ Galliarum Reginæ, vbi & defungi promeruit Antiſtitæ gradu. Euſtachius à S. Paulo temperator ſpiritualis ſacri eiuſdem Collegij, & delectus ad regimen Auctor in eius paſſim laudes effundebatur exuberanti cum præconio nunquam ſuis obuerſatam obtutibus Rectricem clauſtralium Sororum mentis adeò tranquillæ inter curarum momenta, in tranquillitate vigilantis,ac operoſæ,& vi intimæ vnionis cum Deo, actu puriſſimo, ſemper agente, & ſemper quieto, portante ſine pondere omnia, citra laborem oratione, & actione continuò diſtentam. Valebat & ad gubernium lenitate adeò conſtanti, conſtantia adeò humili, humilitate adeò depurata, & depuratione in tantùm ſapienti, vt Sancius à S. Catharina Congregationis Cœnobiarcha eandem accenſeret moderatricibus Religioſarum amplioris eo temporis capacitatis, & perfectionis magis excelſæ. Nimiùm facit ad rem Magdalenæ præſtantes adeò Chriſti Veſtalium directores Sancium à S. Catharina, & Euſtachium à S. Paulo tanto habuiſſe illam in pretio.

1649. *Stephanus à S. Ioſeph è Ciuitella Sabinorum*, naſcitur 16. Maij anno 1621. editus genitoribus, quos religio, morumque candor commendabant cum paucis. Ab ephebo incubuit in ſalutis incrementa cauendo à prauis conſuetudinibus animæ laqueis,addictior ſtudio rudimentorum fidei, illibati curæ pudoris, modeſtiæ, verecundiæ, inſigniter pius in Deiparam mulro vſu globorum Roſarij, egregiè pius in ſummam Triadem, ad quam vnoquoque mane conſalutandam ter ſaltabar in ortu Solis. Quòd verò, Opilionem agendo, victui neceſſaria procuraret, viſum nonnullis puerum ſuas in domos cooptandum, & præſtò eſſe ad ſubleuandam incunabulorum inopiam commodiori fortuna. At ille damnata inanitatis libidine amplificandæ pro virili propriæ conditionis, è re ſua potiùs duxit clauſtrali ſub aliqua inſtitutione mereri, vbi non pereuntium opum inhiaret lucris,

ſed

sed diuitiarum perennium inhæreret compendijs. Ea propter annorum viginti adolescens Montem-Soractem adijt, exposuit PP. se illuc accessisse aurigante Diuino Spiritu, velle exuere Sæculum, poscere inferrent candidatum in Oblatorum, Donatos vocamus, censum. Seniores, quorum intererat probare mentem deposcentis sodalitatem, iniecere postulationi moras. Sed trimestri famulatu in Sæculari lagena, magis autem indole ad concipiendam institutionem mirificè attemperata, euicit suffragantium sententiam, initiatusque est obseruantiæ. Vbi induit habitum, probitas illa morum explicare se latiùs, & consummatæ virtuti pedetentim accedere è vestigio cœpit. Simplicior ne an humilior? Quòd iuniores Clericos contendere in literario puluere cerneret, addubitauit nouiter Reformationi adictos, Laicos etiam, addici scholis. Doluit proinde in sinu, & animaduertendum ratus ab elationis animi irrepturo discrimine, conuenit Institutorem tyrocinij, defectum ingenij indissimulanter accusat, exorat, ne falliturum operam ludis literarijs destinarent. Humilitatis sensus demiratus Magister, vnum, respondit, ferendæ crucis studium omnibus Ordinibus in Monasterio commune. Cæterùm Laicorum palæstram esse obsequij domestici multiplex pondus. Cui Stephanus cum ceruicem flexisset alacriùs robore virium, animi ardore, occupationes vorabat. Labor nunquam prædurus, ingratus nunquam. Ita verò actuosior erat, vt verus etiam obediens audiret: Iniungeret quantum vellet Superior oneris, ab vno officio euocaret repentè ad aliud, nihil detrectabat, improbabat nihil. Mandasse Antistitem sat erat, vt inducias abrumperet, abijceret voluntatem. Semel ille ad sanctiùs obtemperantis periculum nescio quid operis ita & ita conficeret imposuit. Prudens ratio secus agendum dictabat. Qui quidem Antistes cum suo imperio morem incunctanter geri conspexisset: nunquid, interrogat, non perperam cernis actum quod agis? Cæcutis ne? Cui Stephanus. Videris Pater quod mandaueris. Ipse optimè egerim, si ad præscriptum peregerim. Tibi oculis, mihi vtendum est manibus. Par labori, par obedientiæ integritas, quam profligato corpore, & viribus puritati aduersantibus defatigatione attritis, labis nesciam ad cineres vsque seruauit. Liquet etiam an charitate arderet. Cum Portarium exerceret, nota effusior pietas colligebat inopum affluxum ad Monasterium. Ille Ministros vrgebat panderent

cella-

cellaria, aperirent femini manum, gauifuram de fegete falcem. Si minus copiosè prębêrent quod elargiretur abundè, adibat Rectorem. Festiuè, & perblandè nuntiabat diuitiarum fontes pulfare fores, quorum fi indigentijs fubueniret, hauriret domus ipfa opulentiam. Impetrabat quod cuperet. Neminem non aliqua iuuabat ftipe. Nec opere externo abripiebatur totus. Imò ab orationis ftudio nullum penè fluebat vacuum tempus. Ineunte mane aderat Sacro. Inde pergebat ad iniunctæ exercitium operæ. Ipfam inter operam, aliquid, fi pateretur, fufurrabat precis. Horas feriatas integrè tranfigebat cum Deo. Precationi prolixiori dabat opportunum noctis filentium. Feffis artubus, & fomnum oppetentibus fepofuerat paucas horas ante vigilias nocturnas, ad quas excitandi mancipatos Choro gerebat etiam partes. Super hæc profequebatur venerari quotidie tribus faltibus Numen vnum trinumque. At cultus, Religiofi quamuis, & ex corde, rudioris tamen, admonitus, deuotionem inijt, continuauitque expolitiorem. Oriente fiquidem lucis fidere ter diebus fingulis demittebat genua, affurgebatque, ter etiam repetens inuocationem illam vfu probatam. O beata Trinitas Pater, Filius, & Spiritus Sanctus Perfonæ tres, vnumque Numen, afflare quæfo pectora mea, & cordi infpira viuam Fidem, firmam Spem, & perfectam Charitatem. O beata Trinitas.

His erant finitima animi ornamenta inceffere corpus flagris, adamare defpicatiorem paupertatem, iræ fuccenfionem compefcere manfuetudine, à vanis colloquijs fubducere aures, & pedem, ad gulæ triumphum fectari parfimoniam, familiarum prædiligere nullam, emanata obedientia ab vna in aliam actutùm migrare, migrauitque è Soracte in Vrbem, ex Vrbe Ariminum, Arimino Perufiorum Auguftam, vbi virtutis laude feftinauit tempora, & intra octauum Religionis annum exuit mortalitatem. In vitæ confinio Sacramentalem pectoris recognitionem expofuit D. Francifco à. S. Ioanne, Cochlino, afferuitque grauiter vir Exgeneralis nunquam à Stephano admiffam lethalem culpam in animam. Totus honor tumuli fuit humo tegi in communi dormitionis loco, addita plumbi lamina cum incifo nomine *F. Stephanus*. Contigit autem anno 1688. exuiffe hominem in eadem Perufiæ domo D. Ioannem Laurentium à S. Philippo Nerio, cui deponendo cum effoderetur fepulcrum, obiecit fe fe corpus Ste-

phani trigesimo octauo post excessum anno suauem inhalans odorem, & vda sub tellure incorruptum, veste etiam à tabe illæsa. Non sine Cęli nutu id euenisse existimarunt Patres, ne diutiùs Serui Dei fama vnà cum exuuijs consepulta iaceret. Nihil tamen innouarunt, sed procumbentes tantùm in orationem, animæ, quam beatam putarent, implorarunt subsidia, & cadauer, de cuius visa integritate publicè rogatæ tabulæ, suo iterum puluere operuerunt. Faxit Numen, vti speramus, optimi viri merita innotescant clariùs, & nostratum exiguitatem Monasterij eximia hac laude Perusijs ornet, emisisse è pauperiore tecto animas Cęlo dignas. Sanè sua lusit inuitamenta Ioannes Baptista Pontanus Fundator. Patritius ille Perusinus, inter Aulæ Romanæ, opumque domesticarum splendorem luminum cæcitate captus, maturauerat regressum in Patriam, vbi corporalis damna orbitatis repensare gaudebat luculentis elargitionibus ad sacrarum Deo stationum nitorem. In Iesuitarum Templo Diuini reconditoriū ferculi pretioso è marmore posuit. Templi Dominicanorum dextrum latus à primo ad summum lapidem excitauit. Carmelitas nudipedes mille aureorum dono iuuauit. Puellis orphanis ad S. Claræ leges conuiuentibus Collegium erexit, dotemque attribuit. De nostris etiam hominibus cum præclaram induisset mentem, illud in paucis optabat, vt Perusijs Reformatio consisteret. Singulari in nos voluntate cum Neapolione de Comitulis præstantissimo Ciuitatis Antistite communicata, eius etiam nomine compositæ literæ ad Comitia Generalia celebranda Pinerolij anno 1657. Illæ significabant Institutionem Fuliensem futuram decori Augustæ Vrbi, Augusta verò domicilium in Vrbe futuram Institutioni ornamento. Vltroneis tantùm postulationibus aures accommodarent. Esse Patritiorum munificētissimum Ioannem Baptistam Pontanum, qui domus Diuinæ, penetraliumque Monasticorum molitionem curaret, & redditibus certis cōsuleret perpetuæ annonæ pro sexdecim ad minus enutritione Ascetarum. Patres conscripti Pinerolij sedentes renuntiarunt Congregationis Archimandritam Sancium à S. Catharina, qui post maturam missionis consultationem, delectis Patribus, profectionem iniunxit, attigeruntque Perusias decimo sexto Calendarum Augusti. Viros conuersationis prorsus celebrandæ eadem qua inuitassent benignitate fundator, promotorque complectuntur. Pontanus prædium satis lautum in

agro

agro Assisinate pro sustentatione adsignauit. Neapolio ad se euocatis Hospitium adornauit in Aula Episcopali, suspiciebatque psallere, meditari, sacrum facere, corpus diuerberare in conclaui, degere solitarios in ipsa Palatij celebritate. Sed præclarius contubernium officiorum decantationi, quemadmodum & vitæ Monasticæ pleniori exhibendæ normæ minus aptum,non diù placuit. Itaque opportuniorem deprecantes mansionem benemerentior semper Antistes transtulit ad Ecclesiam S. Bartholomæi auctoritate Apostolica à Parochialis titulo,& animarum procuratione dudum absoluta. Coloniæ aduocator Pontanus, agitato interea Consilio de figenda illis sede, comparauerat domum Tiberij de Oddis in Parçcia SS. Gregorij atque Susannæ, quæ domus excisa locum daret erectioni Cœnobij iam designati. Sed morbo decessum interminante, legauit sustentationi pauperum aureos ad triginta millia pro Claustri ædificio, & dote iam sepositos. Fuerit necnè qui concepta in nos benefica vota, pecuniam aliò auertendi causa, corruperit, viderint alij. Ab eius fatis vsque in præsentiarum Patres incolunt præfatas ædes olim Tiberij de Oddis, quà apertas in Sacellum nuncupatum Præcursori Verbi Diuini, quà aptatas in conclauia pro more Institutionis, & ampliori licet fundatoris beneficentia destituti, eius tamen effigiem erexere in Sacrario cum inscriptione eiusmodi.

Io. Baptistæ Pontano Patritio Perusino
Stirpis Hieronymi Patris sui extremo
Cœnobiorum
S. Io. Baptistæ Monachorum Reformatorum S. Bernardi,
&
S. Mariæ Virginum Orfanarum Ordinis S. Claræ
Fundatori,
Qui
Diù inter Romanæ Curiæ aulicos versatus
Io. Bernardino Cardinali Scoto maximè carus fuit:
Vita eo mox functo in Patriam reuersus,
Hic se totum pietatis operibus dedit.
Lapideum ornatum Sanctiss. Eucharistiæ in Ecclesia Soc. Iesu erexit,
Totum parietem dextri lateris Templi S. Dominici extruxit,
Mille aureis Fratres Carmelitas discalceatos donauit,

Plurimorumque inopiam ita eleemosinis sublenandam curauit,
Vt
Animam iam acturus, ad pauperes Ciuitatis alendos,
Facultates suas ad summam XXX. mil. aureorum
Ex testamento à venerabili Confraternitate S. Martini
Administrandas voluerit.
Caeterùm quantus in reliquis virtutibus fuerit,
Hoc vna testetur patientia,
Qua per annos penè XXX.
Oculorum orbitatem, aurium surditatem toleranter sustinuit.
Plenus meritis ac diebus moritur
Kal. Iulij Anno à Christo nato CIↃIↃCXXX.
Ætatis suæ 97. supra Hebdomadam
Prior & Monachi Benemer. pos.

1686. *Andreas à S. Bonauentura*, qui Etruscus, è Burgo S. Sepulchi, *Cæsar Cugius* in Sæculo appellabatur, cum, post stabilitatem suam pridie Idus Iunij 1633. consueto iureiurando Romæ obfirmatam, varijs in Claustris consedisset, ad Soractensem aliquando amandatus, secessum offendit suo mori prorsus Cœnobitico apprimè adblandientem. Præruptum Soractis Montem præterquam quòd à S. Syluestro persequutorum insidias Cæsarum declinante, quæsitum, tutumque effugium, viris insuper à Mundo sequestribus domicilium nunquam non acceptum, aptissimumque iam exposuit narratio. Quare citra admirationem sit & ad Eremi conuersationem propendenti feruentiùs Andreæ in paucis arrisisse. Erat autem & solitudinis amantior, quàm vel in ipso recentiori S. Mariæ gratiarum Monasterio consisteret. Propiùs accedebat antiquiorum Cœnobitarum semotiori adhuc à Turbis genio, placuitque inhabitare vacuas à multo tempore eorundem sedes, Ecclesiæ S. Syluestri adsitas, & sublimiori rupium cacumini impositas. A furentibus procellis turbinum, à comminantium fragore tonitruum, ab ædium mole fulminum vi quà complanata, quà labescente nullus ei pauor vnquam incussus, mente nimirùm peruadebat Cœlos, poteratque nimbos despicere infra se detonantes. Germanum profectò orationis studium amori solitudinis associauerat. Plenum sibi gratulatus otium integra illi spatia laxabat. Contemplationi multam impendebat moram. Sederet postmodum,

modum, ambularet, aliquid ſemper ex Mariano Serto admurmurabat, ſeu ex Dauidica pſalmodia, aut piarum alio precationum libello. Addebantur hæc virgineis, ac diuinis laudibus condicto à Rituali Monaſtico tempore in nocte perſolutis, diurniſque eorundem officiorum horis, in quibus alta, & clara voce decantandis gaudebat, vel ſolus complere Chorum. An verò oraret attentè, dignoſcebatur, cum obortæ tempeſtates in ſublimem nimis Soractis verticem collimarent. Ad emiſſa ſiquidem eliſis nubibus tela, nec ab illo longè excuſſa, quemadmodum ſulphureo inuolutus igne perſtabat impauidè ante Aram ſummam, ita euadebat inoffenſus à diſcrimine præſentiſſimo. Cætera etiam præcellebat virtute. Humilitate munerum ambitum ablegabat. Pœnitentia compeſcebat carnis illecebras. Puritate candidiſſimam indolem præſeferebat. Paupertate aliquid ſibi detractum ſemper volebat ex ipſa opportuniori Cellulæ ſuppellectili, nec erat ademptio abſque Antiſtitis nutu, quò inopiæ decus obedientiæ nitore cohoneſtaret. Religionis autem zelo nimiùm quantùm caleſceret? Quæ curæ lectionis, itemque precum abrumpebant curſum, non aliæ proculdubiò, quàm vrbana aduentantium exceptio, prompta, ſi depoſcerent, aurium præbitio ad pœnitentiæ tribunal, Euchariſtici porrectio Epuli, & ſacri receſſus commonſtratis monumentis pietatem excolere, quæ illuc confluentes attraheret. A Religione item in diuinam Prolem, in Matrem intemeratam, ac in almum Sponſum Ieſus, Maria, Ioſeph dulciora melleum ſuper fauum nomina, centies ac centies vſurpabat per diem. Epiſtolas, Salutationes, Sermonem, & quidquid moliretur operis à prolatione eorumdem inchoabat. Nec alijs ſanè auſpicijs aggreſſus eſt priſcum reſtaurare cultum S. Nonnoſi. Incoluerat olim Soractem Nonnoſus miraculorum claritate, & Magni Gregorij commendatione percelebris. Integritate confractæ lampadi reſtituta ſuſpici valuit Donatus alter. Monaſterij dolijs ſola precum vi oleo vſque ad effuſionem oppletis nouum præbuerat Benedictum. Nec defuit ingentis ſaxi aliò iuſſa, imperioque orationis facta translatio, qua Taumaturgum æquaret. Quòd autem ſuo functus die, continuis adhuc prodigijs inclareſceret, corpore à Nitgero Friſingenſi Epiſcopo in Bauariam translato, immutauerat Cælum, & frequentia ad magnos Cineres celebrabatur inibi morborum propulſator, & Friſingæ gemmà. Cum oſſium arca commigrauerat

in

in Germaniam, & nominis Nonnosi fama. Illic duntaxat efflorescens, excidisset pęnitùs in Italia, nisi adiectior Andreæ animus restituetentur satagisset & nomini celebritas, & deuotioni sacella, & sacellis frequentia. Itaque egregiam dum nauat operam, egregiam sanè (quando ex eius responsionibus ad epistolas in hanc rem exaratas, datas autem à Purpuratis Patribus, Principibus Viris, Ecclesiarum Pastoribus, Regulariumque domorum Præfectis, copiosa supersint octo volumina) ex dono Serenissimi Alberti Sigismundi Frisingensium Episcopi, Comitis Palatini, & Ducis Lantgrauij, Leuthembergici, reportantur in Italiam nonnullæ eius Lipsanorum partes, quarum alia suæ S. Syluestri stationi vindicata, alia in collegiali Parçcia S. Edystij reposita, alia verò ad S. Pudentianæ de Vrbe collocatur. Imagines etiam, & Numismata, vnà cum ampullis olei ex eius lampade hausti, ac breuiori vitæ compendio per Sabiniam primò, mox verò Romæque, Neapolique, & in alijs Vrbibus, Prouincijsque distributis, redintegrata veneratio, latèque amplificata. Profligandis ærumnis, depellendis languoribus, cęlestis quia Medicus, vir Dei iterùm adhibetur. Ad famigeratum tumulum conueniunt vndique probatæ beneuolentiæ grata anathemata. A Romana Congregatione Ecclesiasticorum moderationi Rituum præposita indicitur cunctis Benedictinæ professionis recitatio eius officij postridie Calendarum Septembris, sub quam etiam diem inuitantur quotannis Christifideles ad eius festum concelebrandum, proficiendumque indulgentijs à largitione Pontificia impertitis. Et solemniter quidem cum in Vrbe, tum alibi colitur, sed in Oppido potissimùm S. Edystij, cuius Accolæ, gnari quantum firmamenti à Nonnosi tutela publicæ felicitati accedat, sicut redeuntes exuuias ingenti cum gaudio exceperant, ita habendum deinceps, qualem renunciarunt pro Patrono, & natalium in Cœlo recurrentem lucem summa deuotione transigendam sanciere, diuite apparatus pompa, Panegyricis gestorum laudibus, musicis concentibus, & processionali ad S. Syluestrum profectione.

Celeberrimum olim Nonnosum ad has, aliasque solemnitates nostra ætate iterùm emersisse in laudem planè, decusque vertitur Andreæ Cugij, cuius nauitate absolutissimi Ascetæ fama nomenque, obliuione excussa, cum miraculorum plausu per Orbem feruntur. Ita planè cum nostro D. Benedicto à S. Mauro Stella in breui elucubratiun-

tiuncula de inchoata, seu restituta in S. Nonnosum deuotione Romæ edita 1668. & cum Antonio, delli Effetti nuncupato, vltimæ nequaquam notæ inter Exteros Scriptore in suo de Diuo Nonnoso Soractis Abbate Historico commentario, in quo & admirationi sibi, alijsque tradit diuturnam Andreæ à S. Bonauentura conuersationem in mansione ab impegentibus fulmineis telis concussam, à multis expetitam, ab omnibus destitutam. Enimuerò minimi ille faciebat, & impetrata Nonnosi lypsana in ipsius dormitionis restituisse loco, & occidentem fere memoriam in Italia excitasse, nisi venerationis studium asseruisset præclariùs æmulatione morum. Itaque post commendatum ad S. Syluestri domicilium, inibi quoque foueam sibi aperuit, in qua exutam corporis sarcinam, quanto citiùs iuberent fata, deponeret. Sed placuit Cœlo ætatem decrepitam diù sustineret, & primùm Comitijs generalibus, deinde verò Numinis vices in Terris gerenti Clementi decimo ne illam alibi circumferret, sed in optato Soractis apice impleret. Literæ Pontificiæ in forma Breuis inquiunt. *Dilecto filio Andreæ à S. Bonauentura Monacho expressè professo Congreg. Ref. S. Bernardi Ord. Cister. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vita, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, vt te specialibus fauoribus, & gratijs prosequamur. Cum itaque sicut accepimus nobis nuper exponi fecisti tu, qui (vt asseris) in ætate sexaginta quatuor annorum sacro Presbyteratus ordine constitutus existis, & habitum per Monachos Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ord. Cist. gestari solitum ante annos quadraginta suscepisti, & professionem per eosdem emitti consuetam expressè emisisti regularem, viginti vnius annorum, die quarta Februarij proximè præteriti completorum spatio in Monasterio dictæ Congregationis, quod in Monte-Soracte situm est, assiduè commoratus fueris, & interea per annos sexdecim, & amplius de tuorum Superiorum licentia vitam solitariam apud Ecclesiam, & in loco S. Syluestri in vertice dicti Montis egeris, eaque licentia tibi à Capitulo generali eiusdem Congregationis mense Maij 1666. celebrato ad tui vitam concessa fuerit prout in ipsius Capituli generalis decreta to desuper emanato vberiùs asseris contineri. Vt autem adspirante superni fauoris auxilio pia tua exercitia in eodem loco S. Syluestri*

con-

continuare , & deuotionem in honorem S. Nonnosi Abbatis tempore tuæ illic permansionis institutam ampliare, atque dilatare valeas, opportunè tibi à nobis in præmissis prouidere, & vt infra indulgere summoperè desideres Nos supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, licentiam permanendi quoad vixeris apud Ecclesiam, & in loco S. Syluestri huiusmodi tibi à memorato Capitulo generali concessam, vt præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 24. Septembris 1672. Loco ✠ Sigilli. Qui huiuscemodi ante emanationem literarum, annos iam septendecim in Soractis fastigio durauerat, illud ipsum perseuerauit adhuc decennio incolere, & 1686. viam vniuersæ carnis religiosissimè ingressus, hanc gloriam posteris celebrandam reliquit ad annos septem supra viginti inhabitasse ædes, quæ præter Eremicolarum quamplures, Benedictinorum insuper, Camaldulensium, B. Petri de Pisis, ac S. Francisci de Obseruantia Regulares Cœtus excedere iusserant, sodalium alijs ignitorum è Cœlo missilium ictu percussis, alijs terrore perculsis, ad vnum denique vertere solum coactis.



CISTERCII REFLORESCENTIS
ABBATVM GENERALIVM
INDEX CHRONOLOGICVS.

1592. Ioannes à S. Hieronymo, Gualtheronus.
1598. Guillelmus à S. Claudio, Enuoion.
1601. Petrus à S. Bernardo, Matharel.
1604. Petrus à S. Bernardo, secundò.
1607. Sancius à S. Catharina, Beauuer.
1610. Ioannes à S. Mauro, Balades.
1611. Martialis à S. Bernardo, Golet.
1614. Sancius à S. Catharina, secundò.
1617. Sancius à S. Catharina, tertiò.
1620. Hilarius à S. Ioanne Baptista, Ratta.
1622. Ioannes à S. Francisco, Gulonius.
1825. Ioannes à S. Francisco, secundò.
1628. Carolus à S. Paulo, Vialart.

ABBATVM GENERALIVM
Congreg. Beatæ Mariæ Fulsensis in Gallia.

Index Chronologicus.

1631. Carolus à S. Paulo, Vialart.
1634. Carolus à S. Maria, Lauson.
1637. Carolus à S. Paulo, secundò.
1640. Carolus à S. Paulo, tertiò.
1643. Matthæus à S. Gerardo, Maillons.
1646. Matthæus à S. Gerardo, secundò.
1649. Arnaldus à S. Benedicto, Tappiè.
1652. Arnaldus à S. Benedicto, secundò.
1654. Matthæus à S. Gerardo, tertiò.
1657. Matthæus à S. Gerardo, quartò.
1660. Arnaldus à S. Bernardo, Boc.
1663. Arnaldus à S. Bernardo, secundò.
1606. Cosmas à S. Michaele, Rougier.
1669. Cosmas à S. Michaele, secundò.
1672. Petrus à S. Francisco, Rougier.
1675. Petrus à S. Francisco, secundò.
1678. Io. Dauid à S. Bernardo, Tourseus.
1681. Io. Baptista à S. Anna, Pradilion.
1684. Io. Baptista à S. Anna, secundò.
1087. Antonius à S. Benedicto, Fremicour.

ABBATVM GENERALIVM
Congreg. Reform. S. Bernardi in Italia.

Index Chronologicus.

1633. Philippus à S. Io. Baptista, Malabayla.
1636. Lazarus à S. Francisco, Martinez.
1640. Ioannes Franciscus à S. Bernardo, Maynardus.
1643. Io. Franciscus à S. Bernardo, secundò.
1645. Lucas à S. Carolo, Bertolotus.
1648. Antonius à S. Io. Baptista, Molinarius.
1651. Ioannes à S. Catharina, Bona.
1654. Franciscus à S. Nicolao, Coquelinus.
1657. Ioannes à S. Catharina, secundò.
1660. Ioannes à S. Catharina, tertiò.
1664. Antonius à S. Io. Baptista, secundò.
1667. Lucas à S. Carolo, secundò.
1670. Io. Baptista à S. Geltrude, Cartonius.
1673. Nicolaus à S. Mauro, Pistorius.
1676. Marcus à S. Andrea, Menichellus.
1678. Octauianus à S. Anna, Cacheranus.
1681. Florentius à S. Catharina, Ballius.
1684. Ioseph à S. Petro, Virgilius.
1687. Carolus à S. Francisco, Vertua.

ABBATVM GENERALIVM

Index Alphabeticus Nominum.

ABBATVM GENERALIVM
Congreg. B. Mariæ Fulsensis in Gallia.

Index Alphabeticus Nominum.

1681.

1681. Io. Baptista à S. Anna, Pradillion.
1643. Matthæus à S. Gerardo, Maillons.
1672. Petrus à S. Francisco, Rougier.

ABBATVM GENERALIVM
Congreg. Reform. S. Bernardi in Italia.

Index Alphabeticus Nominum.

1648. Antonius à S. Io. Baptista, Molinarius.
1687. Carolus à S. Francisco, Vertua.
1681. Florentius à S. Catharina, Billius.
1654. Franciscus à S. Nicolao, Coquelinus.
1651. Ioannes à S. Catharina, Bona.
1670. Io. Baptista à S. Geltrude, Cartonius.
1640. Io. Franciscus à S. Bernardo, Maynardus.
1684. Ioseph à S. Petro, Viriglius.
1636. Martinus à S. Francisco, Martinez.
1645. Lucas à S. Carolo, Bertolotus.
1676. Marcus à S. Andrea, Menichellus.
1673. Nicolaus à S. Mauro, Pistonus.
1678. Octauianus à S. Anna Cacheranus.
1633. Philippus à S. Ioanne Baptista, Malabayla.

ABBATVM GENERALIVM.

Index Alphabeticus Cognominum.

1610. Balades, Ioannes à S. Mauro.
1607. Beauuer, Sancius à S. Catharina.
1598. Enuoion, Guillelmus à S. Claudio.
1612. Golet, Martialis à S. Bernardo.
1592. Gualtheronus, Ioannes à S. Hieronymo.
1622. Gulonius, Ioannes à S. Francisco.
1601. Matharel, Petrus à S. Bernardo.
1620. Ratta, Hilarius à S. Ioanne Baptista.
1628. Vialart, Carolus à S. Paulo.

ABBATVM GENERALIVM
Congreg. B. Mariæ Fuliensis in Gallia.

Index Alphabeticus Cognominum.

1660. Boe, Arnaldus à s. Bernardo.
1687. Fremicour, Antonius à s. Benedicto.
1634. Lauson, Carolus à s. Maria.
1643. Maillons, Matthæus à s. Gerardo.
1681. Pradillion, Io. Baptista à s. Anna.
1660. Rougier, Cosmas à s. Michaele.
1672. Rougier, Petrus à s. Francisco.
1649. Tappiè, Arnaldus à s. Benedicto.
1678. Tourseus, Io. Dauid à s. Bernardo.
1631. Vialart, Carolus à s. Paulo.

ABBATVM GENERALIVM
Congreg. Reform. S. Bernardi in Italia.

Index Alphabeticus Cognominum.

1645. Bertolotus, Lucas à s. Carolo.
1681. Billius, Florentius à s. Catharina.
1651. Bona, Ioannes à s. Catharina.
1678. Cacheranus, Octauianus à s. Anna.
1670. Cartonius, Io. Baptista à s. Geltrude.
1654. Coquelinus, Franciscus à s. Nicolao.
1633. Malabayla, Philippus à s. Io. Baptista.
1636. Martinez, Lazarus à s. Francisco.
1640. Maynardus, Io. Franciscus à s. Bernardo.
1676. Menichellus, Marcus à s. Andrea.
1648. Molinarius, Antonius à s. Io. Baptista.
1673. Pistonus, Nicolaus à s. Mauro.
1687. Vertua, Carolus à s. Francisco.
1684. Viriglius, Ioseph a s. Petro.

ATHENÆI.

Index Chronologicus.

1588. Anonymus.
1589. Petrus Tolosanus.
1595. Marcellinus a s. Benedicto, Louerius.
1598. Bernardus de Montgaillard.
1599. Ludouicus a s. Malachia, Eustache.
1600. Ioannes a s. Malachia, Obry.
1607. Sancius a s. Catharina, Beauuer.
1608. Ioannes a s. Francisco, Gulonius.
1609. Eustachius a s. Paulo, Asseline.
1615. Carolus a s. Maria, de Lauson.
1615. Ioannes a s. Paulo, de Vassan.
1618. Franciscus a s. Bernardo, du Soulier.
1619. Nicolaus a s. Martino, de Sarue.
1619. Hieronymus a s. Roberto, Cartera.
1620. Bartholomæus a s. Fausto, Pitrus.
1620. Franciscus a s. Bernardo.
1621. Io. Iacobus a s. Scolastica, Berthier.
1622. Philippus a s. Io. Baptista, Malabayla.
1622. Anonymus.
1623. Petrus a s. Bernardo, de Flotes.
1625. Petrus a s. Ioseph, Comagere.
1630. Carolus a s. Paulo, Vialart.
1630. Alexander a s. Catharina, Vitalis.
1635. Franciscus a s. Mauro, Manfredus.
1637. Claudius a s. Petro, de la Nouè.
1640. Nicolaus a s. Vincentio, Grandinus.
1640. Georgius a s. Benedicto, Celle.
1640. Ioannes a s. Martiali, Vincent.
1641. Antonius a s. Vincentio, Lopez de Quintal.
1641. Petrus a s. Maria Magdalena, de Sanctis.
1641. Lucas a s. Carolo, Bertolotus.
1641. Andreas a s. Ioseph, Rossotus.
1642. Ioannes Franciscus a s. Bernardo, Maynardus.
1642. Petrus a s. Romualdo, Guillebaud.
1644. Martinus a s. Bernardo, Tornamira.
1644. Antonius a s. Petro, Le iune.
1645. Nicolaus a s. Bernardo, Bellostus.
1647. Iuuenalis a s. Ioseph, Prettus.
1648. Petrus a s. Catharina Senensi, Massonius.

1649.

1649. Gabriel a s. Malachia, de s. Gemme.
1652. Anonymus.
1652. Franciscus a s. Nicolao, Coquelinus.
1653. Ioannes a s. Catharina, Bona.
1653. Cosmas a s. Michaele, Rougier.
1654. Sigismundus a s. Bernardo, Gastaldus.
Parisienses Ascetæ.
1655. Carolus a s. Bernardo, Malletus.
1651. Antonius a s. Frontone, Deriue.
1657. Franciscus a s. Matthæo, Bonomine.
1660. Claudius Thomas a s. Bernardo, la Blonde.
1666. Antonius a s. Gabriele, Desprez.
Gregorius a s. Eusebio, Agatia.
1667. Laurentius a s. Petro, Bertrandus.
1668. Benedictus a s. Mauro, Stella.
1668. Ioannes a s. Genuefa, Berard.
1668. Ioseph a s. Laurentio, Ormea.
1670. Carolus Ioseph a s. Anna, Morotius.
1670. Franciscus Antonius a s. Catharina, Porronus.
1670. Ioannes a s. Ludouico, Rocherius.
1670. Iacobus a s. Michaele, Legris.
1672. Ioannes Laurentius a s. Cæsareo, Trombetta.
1673. Martinus a s. Maria, Incesin.
1675. Iulius a s. Anastasia, Bartoloccius.
1677. Ioannes Baptista a s. Anna, Pradillonus.
1681. Philippus a s. Ioanne Baptista, Bursius.
1682. Matthæus a s. Benedicto, Durandus.
1686. Ioannes Maria a s. Florido, de Gabriellis.
Hilarius a s. Ioanne Baptista, Firat.
Ioannes Baptista a s. Philippo, Borgia
Io. Baptista a s. Bernardo, Ascherius.
Carolus Ioseph a s. Benedicto, Imbonatus.
Marcus Antonius a s. Maria, Carrettus

Index Alphabeticus Nominum.

1630. Alexander a s. Catharina, Vitalis.
1641. Andreas a s. Ioseph, Rossotus.
1588. 1622. 1652. Anonymi.
1656. Antonius a s. Frontone, Deriue.
1666. Antonius a s. Gabriele, Desprez.
1644. Antonius a s. Petro, Le iune.
1641. Antonius a s. Vincentio, Lopez de Quintal.
1620. Bartholomæus a s. Fausto, Pirrus.
1668. Benedictus a s. Mauro, Stella.
1598. Bernardus de Montgaillard.
1658. Carolus a s. Bernardo, Malletus.
1615. Carolus à s. Maria, de Lauson.
1630. Carolus a s. Paulo, Vialart.
1670. Carolus Ioseph a s. Anna, Morotius.
Carolus Ioseph a s. Benedicto, Imbonatus.
1637. Claudius a s. Petro, de la Nouë.
1654. Claudius Thomas a s. Bernardo, la Blonde.
1653. Cosmas a s. Michaele, Rougier.
1609. Eustachius a s. Paulo, Asseline.
1670. Franciscus Antonius a s. Catharina, Porronus.
1620. Franciscus a s. Bernardo.
1618. Franciscus a s. Bernardo, du Soulier.
1657. Franciscus a s. Matthæo, Bonomine.
1635. Franciscus a s. Mauro, Manfredus.
1652. Franciscus a s. Nicolao, Coquelinus.
1649. Gabriel a s. Malachia, de s. Gemme.
1640. Georgius a s. Benedicto, Celle.
Gregorius a s. Eusebio, Agatia.
1619. Hieronymus a s. Roberto, Carrera.
Hilarius a s. Ioanne Baptista, Firat.
1670. Iacobus a s. Michaele, Legris.
1653. Ioannes a s. Catharina, Bona.
1608. Ioannes a s. Francisco, Gulonius.
1668. Ioannes a s. Genuefa, Berard.
1670. Ioannes a s. Ludouico, Rocherius.
1600. Ioannes a s. Malachia, Obry.
1640. Ioannes a s. Martiali, Vincent.
1615. Ioannes a s. Paulo, de Vassan.
1677. Ioannes Baptista a s. Anna, Pradillonus.
Ioannes Baptista a s. Bernardo, Ascherius.
Ioannes Baptista a s. Philippo, Borgia.
1642. Ioannes Franciscus a s. Bernardo, Maynardus.
1621. Ioannes Iacobus a s. Scholastica, Berthier.
1672. Ioannes Laurentius a s. Cæsareo, Trombetta.
1686. Ioannes Maria a s. Florido, de Gabriellis.
1668. Ioseph a s. Laurentio, Ormea.
1675. Iulius a s. Anastasia, Bartoloccius.
1647. Iuuenalis a s. Ioseph, Prettus.
1667. Laurentius a s. Petro, Bertrandus.
1641. Lucas a s. Carolo, Bertolotus.
1599. Ludouicus a s. Malachia, Eustache.
1595. Marcellinus a s. Benedicto, Louerius.
Marcus Antonius a s. Maria, Carrettus.
1644. Martinus a s. Bernardo, Tornamira.
1673. Martinus a s. Maria, Incesin.
1682. Matthæus a s. Benedicto, Durandus.
1645. Nicolaus a s. Bernardo, Bellostus.
1619. Nicolaus a s. Martino, de Sarué.
1640. Nicolaus a s. Vincentio, Grandinus.
Parisienses Ascetæ.
1623. Petrus a s. Bernardo, de Flores.
1643. Petrus a s. Catharina Senensi, Massonius.
1625. Petrus a s. Ioseph, Comagere.
1641. Petrus a s. Maria Magdalena, de Sanctis.
1642. Petrus a s. Romualdo, Guillebaud.
1589. Petrus Tolosanus.

1681. Philippus à s. Ioanne Baptista, Burlius.
1622. Philippus a s. Ioanne Baptista, Malabayla.
1607. Sancius a s. Catharina, Beauuer.
1654. Sigismundus a s. Bernardo, Gastaldus.

Index Alphabeticus Cognominum.

Agatia, Gregorius a s. Eusebio.
Ascherius, Io. Baptista a s. Bernardo.
1609. Asseline, Eustachius a s. Paulo.
1675. Bartoloccius, Iulius a s. Anastasia.
1607. Beauuer, Sancius a s. Catharina:
1645. Bellostus, Nicolaus a s. Bernardo.
1668. Berard, Ioannes a s. Genuefa.
1620. a s. Bernardo Franciscus.
1621. Berthier, Ioannes Iacobus a s. Scholastica
1641. Bertolotus, Lucas a s. Carolo.
1667. Bertrandus, Laurentius a s. Petro.
1654. la Blonde, Claudius Thomas a s. Bernardo.
1653. Bona, Ioannes a s. Catharina.
1657. Bonomine, Franciscus a s. Matthæo,
Borgia, Ioannes Baptista a s. Philippo.
1681. Burlius, Philippus a s. Io. Baptista.
1619. Carrera, Hieronymus a s. Roberto.
Carrettus, Marcus Antonius a s. Maria.
1640. Celle, Georgius a s. Benedicto.
1625. Comagere, Petrus a s. Ioseph.
1652. Coquelinus, Franciscus a s. Nicolao.
1656. Deriue, Antonius a s. Frontone.
1666. Desprez, Antonius a s. Gabriele.
1682. Durandus, Matthæus a s. Benedicto.
1599. Eustache, Ludouicus à s. Malachia.
Frrat, Hilarius à s. Ioanne Baptista.
1623. de Flotes, Petrus à s. Bernardo.
1686. de Gabriellis, Io. Maria à s. Florido.
1654. Gastaldus, Sigismundus à s. Bernardo.
1649. de s. Gemme, Gabriel a s. Malachia.
1640. Grandinus, Nicolaus a s. Vincentio.
1642. Guillebaud, Petrus a s. Romualdo.
1608. Gulonius, Ioannes a s. Francisco.
Imbonatus, Carolus Ioseph a s. Benedicto.
1673. Incesin, Martinus a s. Maria.
1644. Le inne, Antonius a s. Petro.
1615. de Lauson, Carolus a s. Maria.
1670. Legris, Iacobus a s. Michaele.
1641. Lopez de Quintal, Antonius a s. Vincentio.
1595. Louerius, Marcellinus a s. Benedicto.
1622. Malabayla, Philippus a s. Ioanne Baptista.
1658. Malletus, Carolus a s. Bernardo.
1635. Manfredus, Franciscus a s. Mauro.
1648. Massonius, Petrus a s. Catharina Senensi.
1692. Maynardus, Ioannes Franciscus a s. Bernardo.
1598. de Montgaillard, Bernardus.
1670. Mototius, Carolus Ioseph a s. Anna.
1637. de la Noue, Claudius a s. Petro.
1600. Obry, Ioannes a s. Malachia.
1668. Ormea, Ioseph a s. Laurentio.
Parisienses Ascetæ.
1620. Pirrus, Bartholomæus a s. Fausto.
1670. Porronus, Franciscus Antonius a s. Catharina.
1677. Pradillonus, Io. Baptista a s. Anna.
1647. Prettus, Iuuenalis a s. Ioseph.
1670. Rocherins, Ioannes a s. Ludouico.
1641. Rossotus, Andreas a s. Ioseph.
1653. Rougier, Cosmas a s. Michaele.
1641. de Sanctis, Petrus a s. Maria Magdalena.
1619. de Sarué, Nicolaus a s. Martino.
1618. du Soulier, Franciscus a s. Bernardo.
1668. Stella, Benedictus a s. Mauro.
1589. Tolosanus, Petrus.
1644. Tornamira, Martinus a s. Bernardo.
1672. Trombetta, Ioannes Laurentius a s. Cæsareo,
1615. de Vassan, Ioannes a s. Paulo.
1630. Vialart, Carolus a s. Paulo.
1640. Vincent, Ioannes a s. Martiali.
1630. Vitalis, Alexander a s. Catharina.

FASTORVM PIETATIS

Index Chronologicus.

1600. V. P. Ioannes a s. Benedicto, Barrerius.
1585. Ioannes Iacobus de Luopes.
1588. Iacobus de Rupe.
1588. Ioannes a s. Mauro, Balades.
1593. Ioannes a s. Basilio, Marionus.
1596. Nicolaus a s. Bernardo, de Faur.
1598. Margarita a s. Anna, de Polastron.
1601. Margarita a s. Maria, Clausse.
1603. Ludouicus a s. Malachia, Eustache.
1606. Petrus a s. Bernardo, Matharel.
1610. Placidus a s. Mauro, Bernarducci.
1610. Dionysius a s. Bernardo.
1611. Godiferus a s. Mauro.
1613. Ioseph a s. Germano, Minittus.
1618. Antonia a s. Scholastica, de Orleans.
1620. Ioannes a s. Hieronymo, Gualtheronus.
1621. Ioannes Iacobus a s. Scholastica, Berthier.
1621. Carolus a s. Bernardo, de Texier.
1621. Ioannes Baptista à s. Bernardo, Rodulfus.
1622. Hilarius a s. Ioanne Baptista, Ratta.
1623. Guillelmus a s. Alexio, Gallettus.
1624. Franciscus a s. Maria Magdalena,
1624. Guillelmus a s. Genuefa, Compans.
1627. Ioannes a s. Dionysio, ab Insula.
1629 Sancius a s. Catharina, Beauuer.
1630. Gregorius a s. Eusebio, Agatia.
1630. Claudius a s. Ioanne Baptista.

1632

1632. Iacobus a s. Dionysio, Desbordes.
1632. Ioannes a s. Mauro.
1636. Bartholomaeus a s. Fausto, Pirrus.
1640. Eustachius a s. Paulo, Asseline.
1640. Magdalena a s. Ioanno, Sublet.
1649. Stephanus a s. Ioseph.
1686. Andreas a s. Bonauentura, Cugius.

Index Alphabeticus Nominum.

Index Alphabeticus Cognominum.



